Ad [illegible]
F. [illegible] H[illegible]ER
O. S. E. P. A.

V. 11. Sing
65c

ad Conv. Ramsaviens.

DE REBUS GESTIS

S. AUGUSTINI

Latinorum Patrum nobilissimi,

LIBRISQUE AB EODEM CONSCRIPTIS

Commentarius editus ab humillimo ejus filio

F. JOANNE LAURENTIO BERTI.

Accedit de Sanctissima ejusdem S. Augustini Parente Monica,

Et quibusdam aliis ipsi necessitudine, & religiosæ vitæ professione conjunctis,

HISTORICA LUCUBRATIO.

Ad Conventu Ramsaviensem Ord: Eremit: S. P. Augustini

VENETIIS, MDCCLVI.

EXCUDEBAT ANTONIUS BASSANESE.

SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.

Veneunt in Via Mercatoria ad signum Sacræ Scripturæ.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Reverendissimo, ac Præstantissimo Præsuli,

P. FRANCISCO-XAVERIO VASQUEZ

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

Atque universi Ordinis FF. Eremitarum S. P. AUGUSTINI Vigilantissimo Moderatori, & Magistro

FR. JAONNES-LAURENTIUS BERTI

Filiorum, servorumque ejus minimus, felicitatem.

RErum ab AUGUSTINO Parente nostro præclare sancteque gestarum, atque librorum ab illo utiliter ac sapienter conscriptorum editurus epitomen quamdam historicam, nec multum, nec diu, Præsul humanissime, cogitavi, cujus inscripta nomine prodiret in lucem. Cum enim Scriptoribus patronus

ille ſit eligendus , cui Opera ipſorum minime ingrata futura ſint , & quem ceteris eadem commendaturum fore haud inani fiducia confidant ; nulli mortalium hoc magis , quam tibi , convenire unquam poteſt , ut vehementius lætetur de Beatiſſimi Inſtitutoris noſtri virtutibus & ſapientia, aliiſque, ac præſertim noſtratibus , ipſarum virtutum magnitudinem , & ſapientiæ ſplendorem celebret , & exponat . Nam licet cuique noſtrum de tradita nobis ab AUGUSTINO vivendi norma, de copia virtutum ejus uberrima, de proſtratis hoſtibus & profligatis hæreſibus , de libris numero & eruditione admirandis, atque de laudibus , quibus ab omnibus cumulatur , ampliſſimis magnopere ſit gratulandum; hæc tamen illos jucunditate & delectatione magis afficiunt, qui eadem ſæpenumero memoria repetunt, imitari conantur , & in Sanctiſſimi Præceptoris domo , plena vaſis , aureis pariter, ac fictilibus , hominibus nempe cæleſtibus ſpiritu, & infirmitate terrenis, munere funguntur Patrisfamilias. Quanto enim AUGUSTINI celebrior eſt fama, tanto ſubli-

blimior est illorum conditio, quibus regenda ejus familia committitur: & quanto ipse salubrioribus institutis imbuit formavitque cœtum, in quem nos fuimus cooptati, quanto is longe lateque Parentis opera meritisque in universo terrarum orbe viget & propagatur, tanto amplior est eorum, qui nobis præficiuntur, dignitas atque honestas. Tu vero idem es, Ornatissime Antistes, qui post nobilissimum clarissimumque Patriarcham, plurimosque decessores, qui sapientiæ decora sibimet comparando, & ceteros edocendo, atque semitas probitatis & sanctimoniæ sectando, calcarunt Magni AUGUSTINI vestigia; selectus Numinis providentia ad hanc administrandam regendamque rempublicam, tali præditus es auctoritate, tali cohonestaris officio. Enim vero ut olim AUGUSTINO Tagastenses ascetæ, clerici Hipponenses, Adrumeti, aliorumque monasteriorum incolæ, & qui per Etruriam, Siciliam, Hispaniam, & reliquas mundi plagas Evangelicæ perfectionis vel arripiebant, vel conficiebant itinera, devincti animi obsequia, & filialis

de-

devotionis teſtimonia exhibebant plurima, & frequentiſſima: ita venerantur Te modo, tuiſque præceptis & monitis ſedulo obtemperant, & a nutu pendent tuo cuncti, qui Auguſtinianæ familiæ nomen dedere; atque in Te uno fulgidiſſimum illud Eccleſiæ lumen, fideique Catholicæ columen & propugnaculum ſuſpiciunt, diligunt, colunt. Profecto dignitatem in Te iſtam nec tua ignorare poteſt humilitas, quamvis ſingularis & maxima, adeo, ut ſi aſſererem Te de Augustini nomine, laude, & celebritate minime gloriari, dicerer jure meritoque omnium prorſus hominum dementiſſimus. Quænam vero hac de re poteſt in mentem meam cadere dubitatio, ſi ſtatim ac audacter, fidenterque comentariolum iſtud, quod probe ſentio quam impolitum ſit, & minus elaboratum, tuo nomini inſcribere & nuncupare deliberavi, haud tibi moleſtum futurum fore peramanter ſignificaſti? quod ideo crediderim eveniſſe, propterea quod exigui munuſculi, rudiſque pretium opelæ, ſupplere quodammodo videatur argumentum lucubrationis,

nis, ipſe nimirum, cujus vices ſollertiſſime geris, & quem maximopere diligis, AUGUSTINUS.

Hujus præterea vitam, & ſcribendi docendique ſtudium ardentiſſimum atque acerrimum, nunquam a caritate, humilitate ceteriſque virtutibus ſejunctum, nunquam a recto fine deflectens, a quo aberrans ſcientia aut languet, aut marceſcit, aut inflat, a Te ſemper, vehementerque commendatum iri, Pater (Sine ut ita filiolus tuus Te blande leniterque compellet) Pater amantiſſime, nullus dubito. Tuum enim eſt id præſtare: id a Te demandatæ provinciæ ratio etiam atque etiam efflagitat. Queruntur hac tempeſtate nonnulli, quod dolens & invitus litteris trado, neque ullatenus proferrem, niſi verſaretur in ore omnium; queruntur, inquam, apud nos Italos non tanta, quanta opus foret, diligentia & alacritate adoleſcentium ingenia exerceri, ſive illorum imbecillitati, aut ignaviæ, ſive id tribuendum ſit Inſtitutorum ſocordiæ, ac torpori: queruntur prædeceſſorum tuorum aliquos conſtruendis potius ornandiſque ædificiis,

quam

quam instituendis gymnasiis, & moribus recte instituendis animum applicuisse, amplificando quidem corpori, sed interiori Religionis forma neglecta, præcipuis curis intentos; nondum vero solicitudine tua, virorumque sapientissimorum, quorum consilio uteris, gliscenti malo remedium allatum esse opportunum ac præsentissimum. Ego sane credo falsam omnino esse hujuscemodi querimoniam; hujusque morosos & difficiles architectos, Tui, tibique adstantium providentiæ, gloriæ, integritati, & sorti, quam illi inepte inscienterque fortunam, sive politicæ appellitant artificium calliditatis, firmissime puto invidere. Nihilotamen minus in sublimiori positus specula, an ea dicteria verisimilitudine nitantur aliqua, cernis aperte. Cernis num vigeat inter nos eloquentia illa, & bene ornateque dicendi facultas, cujus præceptores me juniore fuerant in Italia instituti: num Physiologia Matheseos suffulta adminiculis; num exoticarum linguarum & historiarum munimentis corroborata Theologia; & num illa, quam Tu recte prudenterque præscribis,

Ca-

Canonici Juris peritia optimis elementis, atque idoneis auctoribus propagetur. Quæ omnia dum quidam ajunt in hac florentissima terrarum parte, & in tanta felicitate temporum in alienis Religiosorum virorum Familiis reperiri exquisitissima & perfectissima, apud nos vero parva admodum, vel mediocria; facit hæc sola, quamquam levis, suspicio, ut invidia tabescam, & commovear indignatione. Verum recreat me, exhilaratque plurimum, quod propositam habeo spem, futurum fore, ut Te Moderatore, Te Præside, torpentia quælibet ingenia excitentur, & obloquentium querelæ penitus conticescant. Cogitanti enim mihi, cur Tu, Vir Præclarissime, ex remotissimis Mundi oris adveniens, extemplo mores nostros indueris, & annuente Pontifice Maximo, ac tota Urbe plaudente, per omnes gradus brevissimo temporis intervallo perveneris ad supremum Ordinis regimen, vix exempto humani rebus Viro sublimium idearum, rerumque difficilium tentatore; in Comitiis vero Bononiensibus non exteri tantum, sed etiam Ita-

li, penes quos diu ſupremus conſtiterat Magiſtratus, & quibus fortaſſe non deerant Patres alii, cum doctrina percelebres, tum prudentia rerumque gerendarum experimento conſpicui, in Te, florente adhuc ætate, & quod vixeris, nobis præficiendum prævio, & librato examine conſpiraverint: hæc, inquam, cogitanti mihi occurrunt non ſolum merita, quibus exornaris, plurima, verum etiam peculiaris providentia Numinis, & nunquam nos deſerentis Inſtitutoris ac Patris ſolicitudo. Utique tua in adverſis tolerantia, in proſperis æquanimitas, in peragendis negociis dexteritas, in cunctis rebus temperamentum & moderatio: tua in promovendis litteris cura, in augenda pietate ſtudium & vigilantia; & quæ priori loco erat commemoranda, ſumma illa, & incomparabilis caritas & benevolentia, qua omnes, vel minimos, ita complecteris, ut dignitatis tuæ videaris oblitus: hæc, aliaque animi decora & ornamenta, quæ in ceteris perpauca & diviſa, in Te plura & ſimul reperiuntur unita, eum, qui inter nos ſublimior erat, contulerunt honorem, atque

lon-

longe ampliores, nisi vota me fallant mea, pollicentur. At iis preces quoque gloriosissimi Protoparentis apud Largitorem omnium bonorum accesserunt; ut sui vices demandarentur irreprehensibili viro, qui veterem disciplinam saluberrimis monitis, & Sanctissimis legibus restitueret, traderet Scholis formam, methodum statueret scientiarum, & meliora ingenia inflammaret remuneratione proposita: sine qua, licet sapientia merces sit sui ipsius, licet rationalis animus in finem niti debeat præstantiorem, ipsa ingenia meliora defatigantur, & robustiora flaccescunt. Itaque, Optime Moderator, ea, qua polles, sagacitate, & industria in id animum intende, ne ab AUGUSTINO simus aliquo pacto degeneres, filiisque tuis Opusculum istud, si tamen profuturum existimas, lectitandum propone: stimulis tardiores ad scientias capessendas impelle: aggredientibus arduum virtutis iter adde calcaria: desides increpa: diligentioribus peculiarem impende benevolentiam: emeritis duntaxat præmia repende. Parce demum ingenuitati, & ætati meæ, nec

non (ſi id commemorare fas eſt) anteactis a me, minimi licet & nullius precii, laboribus, quod Ordinis commodo & utilitati proſpiciens, tecum tam demiſſo, ac tam familiari utor ſtylo. Teſtor enim Deum Optimum, Maximum, nihil me in hac mortali & breviſſima vita ulterius deſiderare, præter beneficentiſſimam Dei gratiam & peccatorum meorum veniam, præter Ordinis noſtri gloriam & incrementum, ac præter illam diuturnam incolumitatem, quam Tibi, Domine, ac Præſul Clariſſime, non fuco verborum apprecor, ſed intimo corde & affectu.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *QUi Augustini Vitam ediderint*. pag. 1
II. *De Augustini patria, nativitate ac parentibus*. 2
III. *Prima Augustini institutio; qua commemorata inquiritur num Græcas litteras, quas puerulus adversabatur, tandem didicerit*. 4
IV. *Augustinus linguam Hebraicam haud penitus ignoravit*. 6
V. *Puerilis institutio, & laxitas: iniqua crapulæ insimulatio*. 7
VI. *Adolescentis præclarum ingenium, & lapsus in Manich. errores*. 8
VII. *De Manichæorum origine*. 9
VIII. *Describuntur præcipua dogmata Manichæorum*. 11
IX. *De Augustini usque ad Baptismum consuetudine*. 13
X. *Ambrosii de baptismo Aug. sermonem esse suppostitium quænam argumenta suadere videantur*. 14
XI. *Qua ratione Augustinen. Scriptores productis argumentis occurrerint*. 15
XII. *In prædicto Sermone producendo Augustinensium ingenua fides*. 17
XIII. *Aug. a suscepto baptismate sese Eremiticæ Vitæ applicuisse quomodo Scriptores nostri demonstrent*. 19
XIV. *De libris ab Aug. conscriptis priusquam discederet Mediolan*. 23
XV. *De Hymno*, Te Deum, *& cur hujus auctor existimetur incertus*. 26
XVI. *Ostenditur inveteratam traditionem non esse temere rejiciendam*. 27
XVII. *Ad ea, quæ dicta sunt num.* 15. *Responsio*. 30
XVIII. *De tempore, quod inter Augustini baptismum, ejusque ab Italia discessum intercessit*. 34
XIX. *Dicta superiori numero luculentius enodantur*. 36
XX. *Ostenditur potuisse Augustinum interea temporis ad Thusciæ Eremitas accedere, nec valide oppugnari Nostrates id asserentes*. 40
XXI. *Non allatis duntaxat momentis inniti fratrum nostrorum persuasionem*. 42
XXII. *De libris ab Aug. scriptis antequam in patriam transmitteret*. 45
XXIII. *Aug. postquam remeavit in Africam, egisse Monasticam, seu Eremiticam vitam, Scriptores omnes nostri affirmant, & conantur adstruere*. 37
XXIV. *Monachismum Aug. præter Augustinianos Eremitas, Scriptores alii quamplurimi, ac præstantissimi asseruerunt*. 49
XXV. *Scriptorum aliorum testimonia apertissima producuntur*. 54
XXVI. *Monasticam vitam Aug. duxisse, tradunt quoque Jurisconsulti, & Theologi præclarissimi*. 56
XXVII. *Sanctorum Possidii, & Paulini testimonium producitur*. 59
XXVIII. *Quomodo ex ipsomet Augustino prælaudati Scriptores probare nitantur institutionem ejus Monasticam*. 62
XXIX. *Proponuntur tria, quæ Nostratibus passim objiciuntur, ut imperiti, & nimium creduli appareant, atque ita tanquam malæ causæ patroni ab emunctarum narium judicibus despiciantur*. 66
XXX. *Ostenditur eorum, quæ dicta sunt, veritatem persistere, rejectis quoque inter suppositios Serm.* ad Fratres in Eremo. 68
XXXI. *Non esse existimandum Nostratium figmentum eorumdem Sermonum Volumen*. 69
XXXII. *De Lovaniensium Censura*. 70
XXXIII. *De Censura Desiderii Erasmi*. 73

XXXIV.

XXXIV. *De Censura aliorum, ac præsertim S. R. E. Cardinalium, Roberti Bellarmini, & Cæsaris Baronii, Venerabilium Servorum Dei.* 74
XXXV. *Ostenditur non rejiciendos esse, tanquam aperte nothos singulos omnino Sermones, de quibus agitur.* 77
XXXVI. *Agitur de Regula, ex qua cap. 29. petita est adversus Eremiticum Augustini Ordinem secunda objectio.* 80
XXXVII. *Regulam Augustinianam primum viris, quam feminis fuisse traditam.* 83
XXXVIII. *Proponuntur objecta quædam adversus ea quæ superiori §. dicta sunt.* 85
XXXIX. *Præmissa momenta diluuntur.* 86
XL. Regulam *ab Augustino Monachis, non autem Clericis datam fuisse, quomodo præstantissimi viri demonstrent.* 87
XLI. *Quæ opponi solent, breviter enarrantur.* 90
XLII. *Superiores oppositiones diluuntur.* 91
De Monastico Augustini habitu pertractatur. 93
XLIII. *Proferuntur contraria momenta quatuor.* 98
XLIV. *Explicantur præcipua vocabula, quibus religiosorum virorum vestis significatur in antiquis, & recentioribus illorum Institut.* 100
XLV. *Discutiuntur quæ objecta sunt num. 43.* 104
XLVI. *De Scriptis, quæ Augustinus in Africa elucubravit, priusquam ordinaretur Hipponensis Ecclesiæ Presbyter.* 110
XLVII. *De Augustini in Presbyterum ordinatione, monasterio, prædicatione verbi Dei, atque institutione Sanctimonialium.* 113
XLVIII. *De iis libris, quos Augustinus Presbyter ante Episcopatum conscripsit.* 117
XLIX. *De Augustini ad Episcopatum promotione, de oppositione Megalii Primatis Numidiæ, & de Canone 8. Nicæno, quo prohibetur ne duo Episcopi in eadem civitate simul sedeant.* 119
L. *Quæ Sanctus Augustinus Episcopus scripsit adversus deliramenta Manichæorum.* 122
LI. *Schisma, & hæresis Donatistarum brevissime describuntur.* 126
LII. *Quænam scripta S. P. Augustinus contra Donatistas ediderit.* 129
LIII. *De Priscillianistis, horumque dogmatibus.* 135
LIV. *Recensentur Augustini scripta adversus Priscillianistas.* 138
LV. *Quænam Ariana hæresis, & quomodo irrupit in Africam?* 141
LVI. *Quomodo S. P. Augustinus hæreticos Arianos devicerit?* 144
LVII. *Hæreses quoque Joviniani, Tertullianistarum, Novatianorum, Apollinaristarum, atque Abeloitarum ab Aug. refutatæ.* 147
LVIII. *Pelagianæ hæreseos præcipui propugnatores, & dogmata.* 150
LIX. *Recensentur S. P. Aug. scripta adversus hæreticos Pelag.* 154
LX. *Semipelagianæ hæresis brevissima descriptio.* 163
LXI. *Quæ S. P. Aug. contra Semipelagianor. errores elucubravit.* 165
LXII. *Contra Jud. perfidiam Sanctum Parentem Aug. pugnasse.* 169
LXIII. *Res ab Augustino gestæ, ejusque Scripta, ut Paganos ad Christi fidem converteret.* 171
LXIV. *De libris, quos Augustinus inscripsit de Civitate Dei, atque de ipsorum librorum pretio, editionibus, & commentariis.* 175
LXV. *Dogmatica Augustini Opera, ac primum Exegetica in vetus, & in novum Testamentum.* 179
LXVI. *Reliqua Augustini Opera,*

quæ spectant ad fidelium institutionem, moresque formandos. 183
LXVII. *De XIII. Confessionum & II. Retractationum libris.* 187
LXVIII. *Operum Aug. recensentur Epitoma, & Collectiones nonnullæ a viris doctissimis pro variis scientiarum generibus elucubratæ.* 188
LXIX. *Non tantum conscribendis libris, sed etiam virtutibus exercendis Aug. sese totum aplicuit.* 192
LXX. *De Augustini morte, & quando, & quomodo evenerit.* 195
LXXI. *Agitur de Oratione, quæ incipit,* Ante oculos tuos, Domine. 197
LXXII. *De litteris Theod. Aug. ad Ephesin. Synod. invitantis.* 199
LXXIII. *De Corporis S. P. Augustini duplici Translatione.* 204
LXXIV. *Quibus laudibus S. P. Augustinum Pontifices, Conciliorum Episcopi, Sancti Patres, ac Theologi prosequantur.* 209
LXXV. *Qua ratione ii, qui in Augustinum acuere stylum, compressi fuerint, & refutati.* 211
LXXVI. *Recensentur variæ Operum S. P. Augustini editiones, & agitur de pretio quo illarum præcipuæ habendæ sunt.* 214
LXXVII. *Librorum S. P. Augustini juxta postremam Parisiensem editionem recensio.* 218
LXXVIII. *Augustini Opera, quæ adhuc desiderantur.* 225

De Monica Augustini Parente.

CAP. I. *Cur de Monica hoc in Opere dicere instituerimus.* 235
II. *Vitæ S. Matris Synopsis Chronologica.* ibid.
III. *S. Matris Monicæ virtutes, ac merita commemorantur.* 238
IV. *De Corporis S. M. Monicæ Translatione.* 241
V. *Translatio Corporis S. Monicæ ad Monasterium Aroasiæ a Waltero Canonico Regulari descripta narratur, unde adversus dicta num. præcedenti oritur oppositio.* 242
VI. *Asseritur Translatio corporis S. Monicæ Romam, ejusdemque corporis* identitas *ex Historia Maphæi Vegii Laudensis.* 244
VII. *Superius dicta Martini V. Pontificis Maximi comprobantur auctoritate.* 247
VIII. *De Sermone ejusdem Martini V. ad Fratres Augustinenses.* 249
IX. *Confirmat prædictam Translationem Martyrologium, ac Breviarium Romanum.* 251
X. *Enarratur eadem Translatio in Martyrologio, & in Breviario Augustiniani Ordinis.* 253
XI. *Discutiuntur quæ num.* 5. *præmissa sunt de Translatione altera, a Waltero descripta.* 254
XII. *Responsio ad conjecturas Bollandistarum, & ad testimonium Molani.* 257
XIII. *De perspicaci S. Matris Monicæ ingenio, ejusque sapientia.* 260
XIV. *Carmen Vegii, quod extat in fine illius Opusculi de Translatione S. Matris de quo supra num. 6. edito Romæ anno 1479. & rursus ab Augustino Fivizanensi anno 1586. post Serm. Martini V.* 263

De Adeodato.

CAP. I. *Concubitus, ex quo Adeodatus procreatus est, excusatur.* 265
II. *Brevissimæ Adeodati vitæ dilucidatio.* 286
III. *De acumine ingenii, ac præstanti doctrina, ad quam Adeodatus magnis gressibus properabat.* 267

De Licentio.

CAP. I. *De Licentii genere, & rebus ab eo gestis.* 270
II. *Sanctorum Augustini, ac Pauli-*

ni

ni erga Licentium singularis benevolentia. 272
III. *Quem in finem descripta solicitudo protenderet.* 174
IV. *Sublime Licentii ingenium, & in scientiis profectus.* 277

De Trygetio.

CAP. I. *Quo tempore Trygetius vixerit, cujus fuerit, & quibus scientiis atque exercitiis addictus.* 379
II. *Ingenii, quo Trygetius pollebat, probabilia quædam, aliaque certa argumenta.* 280
III. *Proloquia nonnulla a Trygetio adhuc adolescentulo inter disputandum prolata.* 281

De Profuturo Episcopo.

CAP. I. *Profuturi cum Augustino amicitia, ætas* Episcopatus, *& apparitio post mortem.* 283
II. *De Monastico Profuturi Instituto.* 285
III. *De Profuturi sapientia, ac doctrina.* 286

De Nebridio.

CAP. I. 288
II. *De Nebridii ingenio, ac vehementi ejus in sapientiam amore.* 290
III. *Mutuæ Nebridii, & Augustini Epistolæ recensentur.* 291

De Evodio Episcopo Uzalensi.

CAP. I. *Rerum ab Evodio gestarum Epitome.* 293
II. *Evodii Martyrium exploditur.* 295
III. *De singulari sapientia Evodii.* 296
IV. *De Scriptis Evodii veris, ac suppositis.* 298
V. *Animadversio in Phereponum.* 299

De Valentino Abbate.

CAP. I. *De monasterio Adrumeti, in quo Valentinus Abbas fuit.* 301
II. *Exortam in monasterio Adrumetino hæresim Prædestinatianorum quinam affirmaverint.* 302
III *Qua ratione prædictorum Auctorum assertio videatur conformis S. P. Augustini testimoniis?* 304
IV. *Veriorem esse sententiam eorum, qui negant in monasterio Adrumetino Prædestinatianorum hæresim erupisse.* 306
V. *Expenduntur testimonia producta numero 2.* 309
VI. *Diluuntur ea, quæ num. 3. fuerunt præmissa.* 313
VII. *De solicitudine, ac sapientia, qua Valentinus compescuit monasterii sui dissensiones.* 315

De Utroque Leporio.

CAP. I. *De Leporio Hipponensi Presbytero.* 317
II. *Quo tempore Leporius monachus vixerit.* 318
III. *Testimonia quædam de Leporii erroribus, & de ejus emendatione.* 320
IV. *Quomodo, & quando prædicta Leporii emendatio contigerit.* 321
V. *Agitur de Libello Emendationis Leporii.* 323
VI. *Pelagianorum, & Nestorianorum affinitas.* 325
VII. *Cetera ad Leporium pertinentia enarrantur.* 326

De Eraclio.

CAP. I. *Haud improbabile est Eraclium, antequam ordinaretur in Clericum, fuisse Monachum.* 329
II. *De Eraclii merito, ac de sermone, quem habuit Augustino præsente.* 331
De Anonymo. 333

DE

DE REBUS GESTIS
S. AUGUSTINI
Latinorum Patrum nobilissimi.

CAPUT I.

Qui Augustini Vitam ediderint.

COgitanti olim mihi Historiam Litterariam Scriptorum, qui in Eremitana S. Patris Augustini Familia ab hujus institutione ad hæc usque tempora floruerunt, quantum patiebatur imbecillitas ingenii mei, diligenter & accurate conscribere, necessarium atque opportunum videbatur initium ducere ab eodem Sanctissimo ac præstantissimo Institutore. Sed quoniam aliis mihi commissis muneribus præconceptum illud consilium evanuit, illam ineundi provinciam alteri committo, eique in Schedis meis haud exiguam ad id operis perficiendum, monumentorum copiam relinquo; interim quæ de beatissimo Protoparente conscripseram, quæcunque ea sint, vereor autem ne alicujus sint precii, cuique ultro libenterque communicans.

De rebus itaque ab Augustino gestis, librisque ejus opera studioque exaratis pertractarunt innumeri propemodum auctores. Eminent hos inter Sanctus Possidius, Philippus ab eleemosyna Præmonstratensis, Benedictini, ac Lovanienses Operum illius editores, Antonius Godeau Venciensis Episcopus, auctor itidem Gallus, quem Itala lingua reddidit, vulgavitque Cæsar Benvenuti Cremensis, Canonicorum Regularium Abbas, ac Generalis Antistes, & qui conscribendis Sanctorum Actis sedulam navant operam, in postremo mensis Augusti volumine. Insudarunt eadem in re nostratium plurimi, ac præter eos, qui aut Ordinis, aut ejusdem S. Patris vindicias exornarunt, aut familiæ nostræ historiam illustrare curarunt, Augustini Vitam data opera contexerunt Beatus Jordanus de Saxonia, Augustinus Fivizanius, Simplicianus Sammartinius, Ludovicus de Angelis, Franciscus Lancellotus, Joannes Rivius, Franciscus de Ribera, aliique in hoc opere laudandi. Idem præstarunt viri de Historia Ecclesiastica optime meriti, ac præsertim in selectis, eruditisque adnotationibus suis Tillemontius. Omnes pariter, qui de Ecclesiasticis Scriptoribus commentaria ediderunt, Augustini vitam librosque complexi sunt, Trithemius, Bellarminus, Labbeus, Possevinus, Dupinius, Caveus, Oudinus, Fabritius, aliique sexcenti. Sat est, si hoc unum pronuntiavero, nullum inter Catholicos, aut Orthodoxos Scriptores adinveniri, qui Augustini præclarissimum nomen, librosque numero atque eruditione admirandos summis laudibus non prosequatur, si perpaucos excipias, qui præditi fuerunt summa temeritate, atque arrogantia, ut qui sibi Phereponi, ejus scilicet, qui laboris patiens est, honestum nomen adscivit, Joannes Clericus Arminianus.

CAPUT II.

De Augustini patria, nativitate ac parentibus.

Itaque Augustinus Tagastæ obscuro Africæ ac provinciæ Numidiæ municipio Idibus Novembris anno 354. natus est. Ac de patria & de natali die nulla oriri potest difficultas: nam ipsemet Augustinus in libro de Beata Vita cap. I. num. *6.* *Idibus Novembris*, inquit, *mihi natalis dies erat*; ac de patria

tria in epiſtola 225. ad Albinam, nunc. 126. n. 7. *Neque in hoc inviderunt Eccleſiæ Tagaſtenſi, quæ carnalis patria mea eſt.* De anno quoque, etſi nonnulli diſſentiant, conveniunt accuratiores, ea ducti ratione, quod S. Pater obierit v. Kalendas Septembris Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Corſ. anno ſcilicet 430. dum ageret annum ætatis ſuæ ſeptimum ac ſeptuageſimum. Vide Henricum Cardinalem Noriſium in priori libro Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 3. atque in quiquaginta ſomnia Macedi. Progenitum honeſtis & Chriſtianis parentibus, qui erant de numero Curialium, tradit Poſſidius. Curiales Rivius, aliique noſtrates illos intelligunt, qui curant civilia munera, & quibus a provida gubernatione nomen eſt; eamque interpretationem Bollandiani haud improbabilem eſſe cenſent. Sane in ea ſignificatione Curialium vocabulum acceperunt Gloſſaria, Iſidorus, Senator, Juſtinianus, Salvianus frequenter, aliique apud Ducangium. Plura de Curialibus habentur quoque in Codice Theodoſiano libro XII. Tit. I. atque in adnotationibus clariſſimi Juriſconſulti Jacobi Gothofredi: ex quibus facile percipias inter Curiales, ac decuriones nullum fuiſſe diſcrimen. Generoſa ac nobili ſtirpe Auguſtinum procreatum fuiſſe cenſuerunt auctores complures, Melgarus Canonicus Regularis, Sammartinius, Nævius, Torrellius, aliique: ſed quod de progenie ejus, illiuſque ſplendore narratur, incertum Stellartius ceterique fatentur. Crediderim inter proceres, vulgareſque homines (hæc enim curialium conditio erat,) medios Auguſtini majores conſtitiſſe. Haud magna rerum copia abundaſſe illinc evincitur, quod ſermone 356. n. 6. vir humillimus ſe *pauperem, atque ex pauperibus natum* appellaverit, ac patre e vivis ſublato, ut ſtudiis ſedulo incumberet, atque in urbe Carthagine commodam vitam ageret, Romaniani concivis ſui ope atque liberalitate indiguerit. Pater Patritius appellabatur, quem gentilem antea & a vera religione alienum, quum ad extremam vitam jamjam perveniſſet, piiſſima conjux lucrata eſt Deo. Huic, ſupra quam dici poſſit, religioſæ, ac probatiſſimæ feminæ, nomen Monica. Peperit hæc filium alterum, Navigium nomine: quem ſplenis vitio laboraſſe ſcribit Auguſtinus in libro de Beata Vita num. 14. necnon præclariſſimam feminam, illam nempe germanam Auguſtini ſororem, quæ, ut Poſſidius ait capite 26., *vidua Deo ſerviens*

 mul-

multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit. Neptes quæ pariter Deo in monasterio servierunt, necnon consobrinos ejus Lastidianum & Rusticum, aliosque ipsi sanguine conjunctos prætermittimus.

CAPUT III.

Prima Augustini institutio; qua commemorata inquiritur, num Græcas litteras, quas puerulus adversabatur, tandem didicerit.

PUerulus impellente sollicitudine consilioque parentum Augustinus litterario ludo dedit operam: tametsi prima rudimenta, ut assolent pueri, qui nondum percipiunt litterarum utilitatem, aliquatenus fastidiret. Adamavit tamen latinas præ Græcis litteris; quamvis fabulas, quibus istæ abundant, audiret maxima animi voluptate. Verum ætate grandævus cognita Græcæ linguæ ad divinarum litterarum intelligentiam necessitate, illi haud mediocrem operam impendisse, nobis complura argumenta suadent. Quamquam enim pro ea, qua pollebat humilitate, scripserit in secundo libro contra litteras Petiliario cap. 38. se Græcæ linguæ *præparum* assecutum, & *prope nihil*, tamen eo loci adversarium ead. lingua abutentem his verbis refellit: *Non tamen impudenter me dico nosse* ὅλον *non esse* UNUM, *sed totum*, & καθολον, *secundum totum*, *unde Catholica nomen accepit*. In libro etiam adversus Priscillianistas cap. 5. commonstrato discrimine inter αἰών, & αἰώνιον, egregie differit de æternitate. Advertit item lib. 22. de Civit. Dei cap. 19. quomodo Latini interpretes, qui ἀορασίαν enuntiatam de re, quæ sub aspectum non cadit, reddidere *cæcitatem*, laboraverint vocabulorum inopia. Plura, ne hæc minute prosequar, occurrunt exempla in commentariis in Psalmos. Quædam duntaxat ex Enarrationibus ejus in centesimum decimum octavum seligamus. Eo itaque loci inquirit significationem græci verbi σφόδρα, eaque comprobat Latinorum versionem, eruitque ejusdem sensum peroptimum. Ostendit plateam a latitudine dici, quoniam Græcæ πλατὺ dicitur *latum*. Exponit quid sit πλεονεξία, quam nonnulli *emolumentum*, quidam *utilitatem*, alii melius *avaritiam* interpretatur, recteque illius vocabuli a πλεῖον, &

ab

ab ἕξις derivat originem. Pro eo ab Apoſtolo ad Timotheum ſcribente ſubſtitutum monet φιλαργυρίαν, quod idem ſonat, ac *amor pecuniæ*. Advertit in illis verbis, *Exercebar in juſtificationibus tuis*, ſignificari exercitium quiddam magnæ delectationi conjunctum, quum id exprimat Græcus ἠδολέσχουν. Diſcrimen quoque inter λόγον, & λόγιον, inter δικαιωσύνας, & δικαιώματα expendit, multiplicemque affert ſignificationem verbi παρεκλεῖθειν. Declarat quid ſit φυλάξασθαι, quid παιδεία, & cur χρηστότητα, ſcilicet *ſuavitatem*, Latinus *bonitatem* veterit, quomodo item quod noſtri interpretati ſunt, *Da mihi intellectum*, Græci complectantur hoc uno verbo, συνέτισον. Exponit quare ἀδολεσχίας quidam *delectationes*, alii autem *fabulationes* reddiderint; quodque Græci inquiunt τοῖς ἀντιδικοῦσι, nonnulli verterint *nocentibus*, & *perſequentibus*, nonnulli vero *calumniantibus*. Obſervat variationem Græcorum codicum ob ſimilitudinem verborum ζῆσον, & ζήτησον, eoſque conciliat. Et hæc quidem exempla in illius pſalmi explicatione occurrunt; unde colligere poſſumus quot inveniantur in tanta ampliſſimorum voluminum multitudine. Nec latuerunt Auguſtinum Grammaticæ, quæ ad Græcam linguam viam ſternit, regulæ atque elementa; ut conſtat ea ſolutione quæſtionum, quas illi propoſuit Paulinus Epiſcopus. Diſputans quoque adverſus Julianum diligenter collegit Græcorum Patrum teſtimonia, quibus demonſtratur originale peccatum, ac producturus teſtimonium S. Baſilii, libro I. cap. 5. num. 8. hæc verba præmittit: *Quod etſi reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem rei fidem verbum e verbo malui referre de Græco*. In epiſtola demum ad Quodvult Deum 222. quæ præmittitur libro de Hæreſibus, aperte Auguſtinus ſignificat ſe legiſſe Epiphanii ſcripta, quibus LXXX. hæreſum hiſtoriam complexus eſt; quum tamen Epiphanii liber de hæreſibus nondum eſſet Latinitate donatus; idque facilius & commodius fieri potuiſſe apud Carthaginem, ubi morarabatur Quodvultdeus, ibidem Auguſtinus affirmet. Atque ex his conſtat maximum hunc virum Græcæ linguæ ignarum nequaquam fuiſſe; ut in illius vita Benedictini, necnon Bollandiſtæ obſervarunt.

CA-

CAPUT IV.

Augustinus linguam hebraicam haud penitus ignoravit.

POtest hac data occasione quæri, an hebraicam linguam Augustinus omnino ignoraverit: de qua re legendus pag. *64.* Joannes Rivius. Narrat is Augustinum se ejusdem linguæ non uno in loco appellare imperitum; sed plura haberi momenta, unde facillime dignoscatur id etiam humilitatis gratia ab Augustino affirmari. Plura enim illius linguæ vocabula interpretatur, serm. 35. de verbis Domini, Tractatu 15. in Joannem, in Psalmum 139. aliisque in locis. Arbitramur quoque non semel interrogasse Hebræos circa propriam hebraicorum vocabulorum significationem: quemadmodum de voce *Raca*, quæ non sonat *pannosum* aliquem, ut Græcus ῥάκος, sed quemdam indignantis animi motum, testatur lib. 1. de Sermone Domini in Monte num. 23. Præterea Augustinus nequaquam ignorabat Punicam linguam, quæ Hebraicæ sociebatur quadam significationis vicinitate, & cum illa magnam habebat in plurimis vocabulis consonantiam: nam passim Punica proloquia exposuit, vocesque explicavit, *Punicus* proinde a Secundino, sicuti a Juliano Pelagianorum coriphæo, disputator *Poenus* aliquando appellatus. Quum vero Augustinus permultas habræorum voces calleret, & quarum vim ignorabat, sedulus a peritioribus investigaret, idque etiam in Græcis faceret; profecto apparet summa arrogantia, & iniquitas Pheroponi, vitio ei vertentis, quod absque adjumento exoticarum linguarum sacras litteras explanaverit: ne dicam falli plurimum, qui ad regulas grammaticorum, ob solam syntaxim, verborumque proprietatem percipiendam admodum utiles, non vero ad Patrum documenta, atque ad præceptiones catholicæ Ecclesiæ exigunt divinarum Scripturarum arcana. At in viam, ex qua aliquantulum discessimus, redeundum.

CA-

CAPUT V.

Puerilis institutio, & laxitas: iniqua crapulæ insimulatio.

ITaque Augustinus latinis litteris, quarum sonum vocesque, cum debellatis ab exercitu Romanorum Afris, obtinere communesque reddi cæpissent, audierat inter amplexus ac blandimenta nutricis, ad pædagogi ludos Tagastæ primum, deinde Madamis imbuendus urgetur. Tanto autem pollebat ingenii acumine, ac tenacitate memoriæ, ut humanioribus litteris eruditus, sub annum ætatis suæ sextum decimum, Madamis in patriam se receperit. At ibi otio magis, quam studiis indulgens in vitia sensim declinavit, quæ postmodum in libris Confessionum suarum humillime recensuit, vehementerque deflevit. Inter ea vitia Medicorum quidam Petit nomine, in Opere, cui titulus, *Homeri Nepenthes*, *sive de Helenæ medicamento*, typis procuso Ultrajecti anno 1689. crapulam recenset, adeo, ut tantum vini hauriret, ut non posset sibi inter pocula temperare, quin valetudini suæ nimio potu interdum incomodaret: quamobrem libro X. Confess. cap. 31. Dei misericordiam his verbis imploravit: *Ebrietas longe est a me: misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo, misereberis ut longe fiat a me.* Existimavit vero memoratus medicus sese Augustinum pluribus quidem potionibus ingurgitasse, sed ea fuisse cerebri ac mentis firmitate, ut in eadem vini quantitate, quæ multos redigeret ad insaniam, rationis usum servaret. At quum crapula sit ebrietate deterior, est enim capitis lucta & agitatio ex vinolentia proveniens, forte dicta ex κάρα, *caput*, & πάλλω, *vibro*; aut, quod nonnulli evincere student ex pervulgatis latinorum phrasibus, *Crapulam exhalare*, *edormiscere*, *discutere*, nullum inter crapulam atque ebrietatem inveniatur discrimen: mirum videri potest, quomodo Augustinus, qui se nunquam ebrium fuisse testatur, crapulam sibi aliquando subrepsisse affirmaverit. Itaque *crapulæ* nomine non bibendi usum, sed corporis sui dispositionem, atque bibendi appetitum, ibidem significat. Nam eo loci, postquam ait spectare potum & escas *ad indigentiam*, & causæ edendi ac bibendi adjungere se tan-

quam

quam pedissequam *periculosam jucunditatem*, ait se adversus suavitatem istam pugnare, ne capiatur, atque audire se vocem Dei jubentis, *Non graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Implorat ergo adversus subrepentem cupiditatem bibendi auxiliantem gratiam, qua se contineat; quod jure meritoque facit, cum ob corporis sui constitutionem, tum ob consuetudinem totius Africæ, in qua ebrietatem, etiam inter Christi ministros, fuisse ætate sua frequentissimam, Augustinus ipse non uno in loco conqueritur. De mensa Augustini ad hunc modum loquitur S. Possidius cap. 22. *Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera, & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat. Quia noverat, & docebat, ut Apostolus dicit, quod* omnis creatura Dei bona sit, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. *Et, ut idem Augustinus Sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens, Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis.* Ex quo loco magis in ea opinione confirmor, quod Augustinus *crapulam* acceperit, pro immodica bibendi cupiditate. Petrum vero Petitum, cui Augustinus visus est meribulus, stylo fusiori Cousinus, aliique refutarunt.

CAPUT VI.

Adolescentis præclarum ingenium, & lapsus in Manichæorum errores.

NE præstantissimum Aurelii Augustini ingenium in Patria adolescentiæ vitiis subrueretur, Carthaginem Urbem totius Africæ nobilissimam missus est. In eadem quidem Urbe Rethoricæ sedulam navavit operam, omnesque coætaneos suos longe superavit, adeo ut de ingenii sui præstantia, ac plausibus institutorum superbe gauderet, ac typho quodam tumesceret. Cum vero inter perditissimos juvenes versaretur, circumstrepere eum cœpit flagitiosorum amorum sartago, qua incensus habuit mulierem quamdam thori sociam, genuitque ex illa puerum Adeodatum, præditum tanta ingenii perspicacitate, ut patri; quod ipse scribit nono Confessionum suarum libro,

hor-

horrori esset *ingenium illud*. Non tamen carnalibus illecebris adeo Augustinus abreptus est, ut studia omnino pessumdaret. Nam undevigesimum ætatis suæ annum agens, illectus quodam Tullii libro, qui vocatur *Hortensius*, cæpit flagrantissimo animi æstu concupiscere sapientiæ immortalitatem; & quod portento simile est, nullo tradente magistro, annos natus ferme viginti legit percepitque Categorias Aristotelis, omnesque Artium liberalium libros pervolutavit quamcitissime, & absque ulla difficultate, facultatem disserendi, mathesim, musicam, & arithmeticam assecutus. Veritatem autem, cujus desiderio angebatur, non in Deo humiliter quærens, in Manichæorum apud se illam tantummodo adinveniri jactantium, errores prolapsus, horum assertoribus, ut S. Possidius ait, *ceteris suspensior aderat, ne quid pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur*. Nec mirum, adolescentem in Manichæorum deliramenta impegisse. Nam ex una parte sacras litteras, in quibus veritas delitescit, fastidiebat propter styli simplicitatem, ideoque a veritate capescenda terrebatur puerili quadam superstitione: ex alia autem parte Manichæi loquaces erant, habebantque in ore laqueos, & viscum confectum dulcissimarum syllabarum commixtione, & incautos quamfacillime alliciebant, pollicentes se veritatis cupidum, in secretiora illius penetralia, sublata errorum caligine, introducturos. *Quis* autem, ut ejusdem Augustini utar verbis, cap. I. de utilit. cred., *his pollicitationibus non illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri?* Adde Manichæorum ostentationem continentiæ, & adumbratam simulatamque virtutem: quibus miserrime deceptus, non solum ipse illis adhæsit, verum etiam exemplo atque hortatu ad eos traxit Romanianum, Honoratum, amicorumque omnium honestissimum Alipium.

CAPUT VII.

De Manichæorum origine.

FActa Manichæorum mentione, non abs re erit aliqua ad illam spectantia commemorare. Auctorem habuit hæc hæresis Manetem quemdam, Persam genere, abjecta stirpe progenitum, sed corporis, animique aptitudine præstantem: cujus

rei causa a vidua in filium adoptatus magicas ceterasque Persarum disciplinas edoctus est. Cubricus antea dictus fuit; cæpitque hæresim disseminare circa annum 277. Cum Scythiano eum confundit lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 26. Theodoritus: cum uterque sit distinguendus. Scythianus enim fuit Saracenus, vel Arabs, Græcorum lingua, & disciplinis omnibus apprime eruditus, qui domus suæ ruina oppressus, ut Epiphanius inquit, sive, ut alii scribunt, e superiori domus tecto mente alienatus, aut diabolo impellente, dejectus constituto hærede librorum, operumque suorum Terbintho discipulo, dogmatum præstigiarumque suarum conscio, miserrime interiit. Terbinthus vero in Palæstina aliquandiu commoratus, magna ob novitatem pravitatemque doctrinæ in illum excitata persecutione, arrepta fuga apud Viduam, quæ Manetem alebat, diversatus juvenem satanæ mysteriis imbuit; Scythianumque imitatus, cum superiorem domus partem, ut moris erat, speculationibus, præstigiisque suis daturus operam ascendisset, e sublimi delapsus interiit, sive, ut scribit Epiphanius, a diabolo asportatus in solitudinem, maligni spiritus opera præfocatus est laqueo. Atque Terbinthus iste fuit famosus ille Buddas, Manichæorum antesignanus, & præceptor Manetis, qui ut securior lateret, antiquum nomen permutavit. Versabatur itaque in errore Guilelmus Caveus, quando in sæculo Novatiano pag. 89. suspicabatur Buddam unum, eumdemque esse, cum Addam, sive Adimanto Manichæi discipulo, quem S. P. Augustinus peculiari opere confutavit. Hujus itaque Buddæ, aut Terbinthi libros opesque adeptus Cubricus, sibique etiam in matrimonium copulata Vidua, ut censent qui cum Lamberto Danæo inter Manichæum & Maumethem instituunt parallelum, divitiis pristigiarumque ampliori notitia adauctus, abjecto Cubrici nomine, Manetem se nominavit, quo vocabulo Cyrillus Jerosolymitanus ait Persica lingua significari *sermonem*, Epiphanius autem *vas*: quare ideo hac nomenclatura, semetipsum distinxit, ut alter Paulus haberetur; qua superbia inflatus sese *Apostolum Jesu Christi* appellabat, epistolis suis omnibus hoc exordio præfixo. At cum *Manes* ei videretur nomen abjectissimum, postquam advertit illo potius significari hominem quemdam insanum (est enim μανία idem, ac dementia, se Manichæum, quasi *manna* (*furorem potius*) *fundentem*, vocari præcepit. Falluntur

tur autem, qui hunc fuisse imperitum existimant; siquidem Archelaus in Mesopotamia Episcopus, qui non semel cum illo publice disceptavit, eruditum dixit *pene super omnem hominem*: ideoque mirum non est, si cum praeclarae mentis acumine, intimisque naturae latebris, fabellarumque lenimentis instituta factione, optima quoque ingenia deceperit. Non habuit tamen Manes finem Scythiano, ac Terbintho feliciorem: nam cum incantationibus suis necasset filium Regis Persarum, hujus jussu excoriatus est vivus.

CAPUT VIII.

Describuntur praecipua dogmata Manichaeorum.

INter Scythiani scripta, quae tandem ad Cubrici manus pervenerunt, quatuor erant volumina: quorum primo titulus erat *Evangelium*, alteri *Capita*, tertio *Mysteria*, quarto *Thesaurus*. Manes itidem libros *Thesauri*, & *Mysteriorum* titulo inscriptos edidit, necnon de *Astrologia* & *de Fide*, atque *Epistolam ad Marcellum*, quae, cum scripta alia interciderint, legi potest apud S. Epiphanium, de H. Manich. num. 6. & in disputatione Archelai, cujus paullo supra mentionem fecimus, edita ab Henrico Valesio. In his Manes Empedoclis sententiam secutus, statuit duo esse rerum omnium principia invicem pugnantia, Bonum unum, alterum Malum: quod se demonstrare putabat ex oppositione, & lucta lucis ac tenebrarum, albi nigrique coloris, corporum & spirituum, Veteris ac novi Testamenti, vitiorum atque virtutum. Inter haec vero pugnam cieri ajebat, ut quae permixtione boni & mali constant, mutuo conflictu, & collisione purgentur, donec oppositarum qualitatum expertes in suum principium, regnumque Dei sui unde prodierunt, reverti possunt. Quidquid vero undique purgatur, reditque ad simpliciorem Dei substantiam in rebus coagmentatis commixtam, propriis sedibus reddi autumabat, per quasdam naves, quas esse solem, & lunam stultissime perhibebat. Locabat iisdem in navibus sanctas Virtutes sese transfigurantes in masculos, ut illicerent feminas gentis adversae, commotaque per hanc illecebram concupiscentia, lumen illarum membris im-

mixtum excitaretur ac fugeret, in divinam ſubſtantiam, cujus particula eſt, reverſurum. Etſi autem Manichæi uterentur conjugibus; conceptum tamen generationemque vitabant, ne divina ſubſtantia, quam in eos per alimenta ingredi aſtruebant vinculis carnis ligaretur in prole. Adamum & Evam procreatos aſſerebant ex principe fumi Sacla, qui cum ſociorum ſuorum fætus devoraſſet, quidquid inde attraxerat divinæ ſubſtantiæ, cum uxore concumbens in carnis tenaciſſimo vinculo colligavit. Quamobrem Manichæorum electi hoc ſibi officium demandatum affirmabant, ut Dei boni ſubſtantiam immixtam Dei mali particulis ſegregarent, *Catharistæ* idcirco appellati, ideſt purgatores. Atque ad hanc purgationem horrenda & ſacrilega Sacratiſſimæ Euchariſtiæ contaminatione uſi ſunt: quam horrent Chriſtianæ aures audire. Procreationem rerum corporalium, generationes, nuptias, & quidquid divinæ ſubſtantiæ in carnis, ſcilicet, malæ naturæ carceres detruſionem, & colligationem compatitur, omnino damnabant. Chriſtum propterea nunquam corpoream adſumpſiſſe naturam, neque pro corporibus immortalitate donandis veniſſe dicebant, ſed phantaſtica duntaxat in carne: imo illum ſub ſerpentis imagine mulieri ut ederet de arbore ſcientiæ ſuaſiſſe, unde cognitionis lumen, aliaque plura evenerunt, quæ ſpectant ad boni a malo ſegregationem. Demum ut in rebus ceteris, ita in homine ſtatuerunt bonam, ac malam ſubſtantiam, duaſque animas, quarum una virtutis, altera peccati ſit cauſa: eaſdemque animas in corporum ſolutione materiam aliam ſubire putarunt, quoaduſque totius mali concretione depoſita redeant in lucis plenitudinem, quæ poſt mundi conflagrationem in vorticem globumque coacta ſeparatim a mala ſubſtantia juxta eorum placitum perſeverabit. At de his, ceteriſque Manichæorum deliramentis, Auguſtinus in libris adverſus illos conſcriptis, ac poſtmodum recenſendis.

CA-

CAPUT IX.

De Augustini usque ad Baptismum consuetudine.

HIs itaque Manichæorum insaniis Augustinus novem annorum spatio plus, minus adhæsit; deceptus ipse, aliorumque deceptor. Verum, cum esset præstanti ingenio, eique splendor veritatis aliquatenus illucesceret, animadvertit in Elpidii adversus Manichæos disputatione, ab ipsis catholicorum argumenta eludi potius, quam solvi, ac dolose eo ipsos confugere, ut dicerent novi Testamenti Scripturas esse falsatas, quum interim illi non possent incorrupta exemplaria proferre. Vidit quoque prodigiosam, quam jactabant, institutoris sui sanctitatem non convenire gestorum ejus narrationi, & quæ magnopere commendabantur, inanibus illos verbis, non factorum imitatione probare. Plura insuper, quæ in Philosophorum libris legerat, comparans Manichæorum insaniis, verisimiliora ei videbantur: opponebatque illius sectæ doctioribus circa quæstiones animum ejus pulsantes dubia adeo difficilia, ut hæc non possent dissolvere, promittentes interim quamprimum Carthaginem adventurum Faustum generis sui eloquentissimum ac sapientissimum, cujus eloquio quidquid difficultatis irrepsisset, enodatissime expediretur. At ubi Faustus, quem fama præcucurrerat, agente Augustino undetrigesimum annum, Carthaginem adventavit, expertus quidem est hominem facundum, ac suaviter garrientem; sed liberalium disciplinarum expertem, fatentem quoque se non posse rationum pondere confirmare quidquid de Cœlo, de Luna, de Sole, de Sideribus Manichæorum scripta comprehendunt. Ita Augustinus assequendi veritatem in hac hominum secta desiderio frustratus, cæpit illis frigidius adhærescere, veriorem religionem amplexurus, cum ipsi primum innotuisset. Postquam vero Grammaticam prius in sua Civitate, deinde Rhetoricam in Africæ metropoli Carthagine docuisset, & conscripsisset quoque libros *de Pulchro & Apto*, quos dicavit Hierio Romanæ Urbis Oratori clarissimo, Romaniani favore ac liberalitate in ipsius familiam adscitus, atque primatus communicatione honestatus, Romam primum anno reparatæ salutis 383. ætatis suæ vicesimo nono nondum exacto,

deinde

deinde Mediolanum labente anno Christi 384. profectus est, comitante natum, hujusque errores inconsolabiliter deflente Matre. Hujus lacrymis precibusque, ac Ambrosii Sanctissimi Mediolanensis Antistitis frequentissimis disputationibus, divina præstante opitulatione, factum est, ut tricesimo tertio ætatis anno salutarem Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, & divina perciperet Sacramenta, ea ratione, quam ipsemet Augustinus libro nono Confessionum suarum enarravit.

CAPUT X.

Ambrosii de baptismo Augustini sermonem esse supposititium quænam argumenta suadere videantur.

ORdinis nostri Scriptores tradunt ab Augustino una cum Baptismate Monachale institutum fuisse susceptum: quod alii nostratibus exprobrant, quasi id ex supposititio Ambrosii sermone, ut imperitis fucum facerent, nixi sint commonstrate: quumque Stellartius asseruerit sermonis ejusdem germanitatem; qui conscribendis Sanctorum Vitis impendunt operam, appellant illum pag. 216. num. 19. (tom. 6. Aug.) *Virum litterarum humaniorum, quam artis criticæ peritiorem*. Attingam vero nonnulla de hac nostratium opinione, sed levi, ut inquiunt, brachio; nam ad libros, quos interea temporis Augustinus elucubravit, quod propius ad hunc attinet scopum, mihi convertendus est sermo. Ac primum non diffiteor haud leves esse conjecturas, quibus permoti viri doctissimi, non tantum sermonem nonagesimum quartum, in quo legimus Augustinum post susceptum baptisma fuisse indutum *cuculla nigra* quam dono dedit Sanctus Simplicianus, & *cingulo ex corio* præcinctum, verum etiam sermones omnes alios, qui sub Ambrosii nomine circumferebantur, inter adscititios spuriosque communiori eruditorum judicio fuisse rejectos. De hoc insuper, in quo agitur de Augustini baptismo, peculiares suppositionis notæ afferuntur. Nam primo inquiunt, non habere illum Ambrosii salivam, ac plurimum ab illius phrasi abhorrere. Deinde ajunt in eo sermone dici Augustinum *Carthaginiensem*, cum civitas Tagastensis fuerit illi natale solum. Addunt ibidem de Augustino affirmari ad Christianam religionem pervenisse *contempto*

Gen-

Gentilium cultu, id, quod falsum esse convincitur; cum nunquam ille mancipatus fuerit idolorum superstitioni. Præterea veteri consuetudini, juxta quam baptismate regenerati albis vestibus induebantur, oppositam esse constat *nigram* impositam Augustino *cucullam*. Demum *religionis* nomen, quod in Pseudo-Ambrosii oratione occurrit, nondum ea ætate, qua salutari lavacro tinctus est Augustinus, ad Monachorum statum significandum usurpabatur. Atque hæc sunt, quæ suadent eruditorum compluribus sermonem, de quo loquimur, nothum esse, & Ambrosio suppositum.

CAPUT XI.

Qua ratione Augustinenses Scriptores productis argumentis occurrerint.

HÆc quidem haud multum negocii sibi facessere nostrates existimarunt. Enimvero, etsi Scriptoribus omnibus proprius est stylus, quemadmodum hominibus singulis facies sua; non tamen orationes ejusdem auctoris omnes eamdem præsefeſerunt elegantiam, eamdemque proprietatem verborum, præsertim cum aliquæ ex tempore recitentur, quædam coram populi multitudine, nonnullæ in sapientum congressu; in quibus si eamdem phrasim requiras, nimium videberis superstitiosus. Sed neque sermo ille, de quo loquimur, barbariem redolet, aut locutionem Ambrosio indignam; ut notum erit legenti. *Carthaginiensis* quoque cur dictus sit Augustinus nemo jure mirabitur, si animadvertat in ea urbe Augustinum peregisse ampliora studiorum suorum curricula, ibidem docuisse Rhetoricem, atque illinc Italiam profecturum solvisse; cumque Urbs Tagastensis obscuri esset nominis, Carthaginem Africæ caput adeo fuisse percelebrem, ut non immerito patria clarissimi rhetoris, qui illinc discesserat, diceretur. Hinc Julianus Augustini acerrimus hostis illum contumeliæ causa appellabat *Poenum disputatorem*; quem lib. 3. cap. 17. n. 32. Augustinus (a) refellens auctoritate beatissimi Martyris Cypriani, Virgilium imi-

(a) *Aen.* 12. *v.* 67.

imitatus inquit. *Poenus disputator, non ego, sed Cyprianus Poenus, te hoc vulnere Poenus immolat, & pœnam scelerato ex dogmate sumit:* quibus verbis Augustinus se cum Cypriano Carthaginiensem dici gloriatur, ostendens inter Poenos floruisse, qui Juliani hæresim præfocassent; & hæretico homini disputatores Afros formidandos esse, non deridendos. Idolis autem nunquam revera Augustinus immolaverat: at *Gentilium* nomine ii omnes comprehenduntur, qui sunt a vera Religione alieni, & Manichæi præsertim, quibus Augustinus adhæsit, in tantas profanarum opinionum absurditates demersi, ut dogmata paganorum deteriora adoptarent, & de Deo etiam tam abjecte sentirent, ut supremo bonorum auctori principium aliud malum, malorumque omnium caussam opponerent. Quamobrem nos in matutinis horis Deum hisce verbis alloquimur ex initio *Confessionum* ex parte depromptis: *Magnus Dominus, & laudabilis valde, qui de tenebris Gentium lumen Ecclesiæ suæ vocavit Augustinum.* Catechumenos salubris baptismatis lavacro tinctos, albis indumentis vestiri solitos, nemo nostrum ignorat: putant tamen facile dilui objectionem inde petitam, sive cum Nicolao Crusenio dicatur, non legi in eo sermone Augustinum pulla indutum veste in ipso die initiationis, idque contigisse cum regenerati octiduo transacto candida indumenta deponerent; sive Carolo Moreau subscribamus, reponenti nil repugnare, si dicamus talari tunicæ a Simpliciano donatæ vestem candidatorum fuisse injectam. At vocabulum *Religionis* etiam pro Monachorum institutis fuisse ætate Ambrosii frequenter acceptum, ex quarto Carthaginensi Concilio, ex Libris Institutionum Cassiani, atque ex eodem Ambrosio scribente ad Sabinum, laudatus Moreaus evidenter demonstrat: quamvis in eo sermone *Religio* dicatur Christianæ fidei professio, non, ut inquiunt, inanium oppositionum artifices, institutio Monastica. Id vero ex sola ejusdem sermonis lectione unusquisque, licet mediocris sit intelligentiæ, percipiet. Itaque hæc sunt, quibus nostrates præmissas oppositiones superiori numero diluere ac frangere adnituntur: de qua re legendi Ambrosius Coriolanus in Opere quod inscripsit, *defensorium Ordinis*, impresso Romæ elegantissimis typis anno 1481. §. *Quinto*. Crusenius Parte 1. Monastici cap. 5. Moreau p. 1. Vindiciarum §. 4. Stellartius in Augustinomachia P. 2. differt. 1. Marquez de

Orig.

Orig. FF. Erem. cap. 5. §. 12. Herrera in Resp. Pacif. p. 64. & 74. Torellius Tom. 1. pag. 128. &c.

CAPUT XII.

In prædicto Sermone producendo Augustinensium ingenua fides.

QUamquam ego non ausim refragari criticis prælaudatum sermonem inter supposititios rejicientibus; propterea quod non Erasmus tantum vir non contemnendi judicii, sed & Ecclesiasticorum Annalium Venerabilis (a) Parens, aliique viri doctissimi in eamdem sententiam abierint: illud tamen certissimum esse puto, Majores nostros non fraude aliqua eumdem sermonem sub Ambrosii nomine produxisse, sed communi opinione, ac magna etiam probabilitate ductos, ideoque fastidiosissimos esse, qui illos irrident, & iniquissimos, qui temeritatis, fraudisque redarguunt; maxime cum nostrates, qui posteriori ætate, & suspicione suborta floruerunt, minime pertinaces fuerint in propugnanda ejusdem sermonis germanitate. De qua transacta ætate communem viguisse opinionem (præter quædam martyrologia, de quibus pertractabo num. 42.) evincunt rationes, quæ modo subjiciuntur. Principio continetur idem sermo in vetustioribus Ambrosii editionibus, non in sola Basileensi, an. 1491. quam citant Bollandistæ, sed etiam in Parisiensi anni 1549. prope finem tomi 3. pagina 221. col. 4. in quas editiones sermonem hunc irrepsisse dolo nostratium, nemo sui compos asseruit. Præterea sermonem tanquam Ambrosii genuinum fætum receperunt auctores extra familiam nostram quamplurimi; inter quos Florentinorum Antistes S. Antoninus 3. p. Chronicorum tit. 24. cap. 14. pag. 804. editionis Lugdunensis, ubi plura in causam nostram producit Petrus Maturus S. J. Chronicorum illorum illustrator, qui negantes Augustinum nigrum gestasse habitum, ac Sermones ad *Fratres in* C *Ere-*

(a) *Baronius enim Decreto Bened. XIV. S. P. die* 12. *Januarii* 1745. *Venerabilis Servi Dei Titulo est decoratus.*

Eremo explodentes, appellare non dubitat *calumniantes perversosque censores*; nec sermonem Ambrosio attributum, & laudatum ab Antonino, ullatenus in dubium revocat. His adde Dionysium Carthusianum, Jodocum Clitoveum, Paulum Morigiam, Aubertum Miræum, Basilium Sanctorium, Gregorium de Valentia, Hieronymum Torrensem, aliosque complures a Crusenio pag. 14. laudatos. Gregorium autem de Valentia, & Hieronymum Torrensem legisse vellem Societatis Jesu viros præclaros, qui, ut diximus, mirantur Stellartium adeo artis critices fuisse ignarum, ut Ambrosio spurium atque adulterinum Opusculum adtribuerit. Quæ si jure dicerentur, etiam in sodales suos proculdubio quadrarent: quorum alter, idest, Torrensis lib. 4. Confess. Augustin. §. *6.* pag. 475. editionis Parisiensis ex Ambrosiano sermone demonstrat Augustinum fuisse Monachum: alter vero 2. 2. disp. 10. puncto 1. pag. 1753. Edit. Venetæ probat pium esse religiosorum hominum institutum exemplo Augustini, *Qui regulam* (inquit) *præscripsit Monachis, & ipse Monachus fuit, ut indicat lib. 3. contra litteras Petiliani cap.* 40. *& epist.* 89. *ad Hilarium, imo etiam cuculla nigra indutus, ut de illo D. Ambrosius Serm.* 94. *testatur*. Istis quidem ceterisque Scriptoribus etiam Nostratium aliquos adjungi posse censemus, saltim beatum Jordanum de Saxonia, qui ejusdem Sermonis meminit lib. 1. *de Votis Fratrum* cap. 15. pag. 32. Romanæ editionis: ac prælaudatum Ambrosium Coriolanum, quem magno in pretio omnes habuerunt, ut constat ex præcitatis Chronicis Antonini; maxime quod Coriolanus producit quoque Clementis VI. quemdam sermonem de S. Augustino, ubi aliqua ex Ambrosiano, de quo pertractatur, Sermone allegantur: demonstratque vir doctus se Clementis orationem præ oculis habuisse, proferendo illius exordium, *Nephtalim cervus emissus dans eloquia pulchritudinis*. Horum itaque opinioni subscripserunt posteriores nostri auctores, qui sermonem illum probarunt, ex quibus persuasum est quidquid in ipso enarratur, non posse apertæ falsitatis revinci; atque inverisimile ulterius videtur Sanctissimum Mediolanensium Antistitem de re adeo celebri, & posterorum memoriæ mandanda, qualis est conversio & baptismus Augustini, nihil penitus litteris consignasse. Sed Nostratium momenta produxi hactenus, eaque simplici narratione complexus, aliis dijudicandare linquo.

CA-

CAPUT XIII.

Augustinum a suscepto baptismate sese Eremiticæ Vitæ applicuisse quomodo Scriptores nostri demonstrent.

ENimvero non ex solo Ambrosii sermone, sed ex munimentis aliis validioribus evincunt S. Patrem Augustinum a suscepto baptismate in Monachum fuisse attonsum: id, quod admodum probabile putant ob ipsas res ab eo gestas circa tempus baptismatis; nam quæ subsecutæ sunt postmodum, non probabile hoc reddunt, sed plane certum. Seligam vero ex pluribus rationes quinque nequaquam spernendas; reliquas brevitatis gratia prætermittens. Principio certum est ex *lib.* VIII. *Confess. cap.* I. & sequentibus, Augustinum cogitantem de meliori vita capescenda, ad varios hominum status, qui in Ecclesia Catholica inveniuntur, animum intendisse, ac præ ceteris probasse genus illud vivendi, in quo abdicatis bonis omnibus temporalibus soli Deo obsequium impenditur. Nam cap. I. n. 2. de paupertate religiosa, quam initio conversionis num amplecteretur, anceps pendebat, *Et inveneram*, inquit, *jam bonam margaritam, & venditis omnibus, quæ haberem, emenda erat, & dubitabam*. Atque hanc dubitationem a se excussam significat, cap. 12. ejusdem libri num. 29. his verbis: *Audieram enim de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur:* Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis; & veni, sequere me: *& tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius; ibi enim posueram codicem Apostoli cum inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei.* Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: Sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. *Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Quibus verbis, nisi fallit me opinio mea, aperte Augustinus indicat verbis

bis Apoſtoli monentis ne ob carnalium rerum providentiam ab induenda Chriſtianæ vitæ perfectione detineamur, cum ceteris noxiis atque ad hanc vitam pertinentibus ſollicitudinibus, diffugiſſe dubitationem comparandi margaritam illam, quæ emitur venditis omnibus, & quam adinvenit Antonius Evangelicis conſiliis obtemperans, & fugiens in ſolitudinem. Et ne ludere videamur in verbis ambiguis; probat explicationem noſtram, & perſpicue idem Auguſtinus confirmat, dum ſcribit epiſtola 157. ad Hilarium num. 39. *Ego perfectionem, de qua Dominus locutus eſt, quando ait diviti adoleſcenti*, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo; & veni, ſequere me, *vehementer adamavi, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adjuvante ſic feci.* Deinde adamaſſe Auguſtinum, & ſelegiſſe vitam Monachalem & Eremiticam inde colligimus, quod de Baptiſmo cogitans ad Simplicianum Monachorum Antiſtitem perrexerit, a quo audita converſione Victorini vehementer in ejus imitationem exarſit, quamvis lege Imperatoris Juliani oratoriam docere Chriſtiani prohiberentur. Maxima quoque admiratione audivit quæ de Antonio Ægyptio Monacho ei, & Alipio narravit concivis ſuus Pontitianus; in cujus colloquio ad cætus Monachorum, atque Eremitarum tranſeunte Oratione, quanta voluptate loquentem Auguſtinus audierit, aperte ipſe commonſtrat, dum ait Conf. lib. VIII. cap. 6. num. 15. *Inde ſermo ejus devolutus eſt ad Monaſteriorum greges, & mores ſuaveolentiæ tuæ, & ubera deſerta eremi, quorum nos nihil ſciebamus.* Pontitiani quoque narratione cæpit Auguſtinus ardentius amare eos, qui ex codice, in quo ſcripta erat Antonii vita, relictis omnibus Deo ſervire ſtatuerunt, ac ſe nondum ad hujuſmodi vitæ propoſitum accedentem, quodammodo odiſſe ac reprehendere. Quare cap. 7. ejuſdem libri num. 17. ait: *Tunc vero quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam ſalubres affectus, quod ſe totos tibi ſanandos dederant, tanto execrabilius me comparatum eis oderam.* Altius quoque ipſius cordi hujuſmodi ſagittis infixis in hortum cum Alipio ſecedens, & quæ a Pontitiano audierat revolvens animo, in hanc exclamationem erupit: *Quid patimur, quid eſt hoc, quid audiſti? ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde ecce ubi volutamur in carne, & ſanguine? An quia*

præ-

præcesserunt pudet sequi, *& non pudet nec saltem loqui?* Ex narratione itaque gestorum Antonii, & eorum, qui eumdem imitati sunt, Augustinum ad consimile vitæ genus fuisse vehementer accensum, jure meritoque contendunt Familiæ nostræ Scriptores. (a) Nam & Sanctus Eutherius Lugdunensis Episcopus, qui proculdubio Eremita fuit, & Monachus Lirinensis, obiitque die 22. Junii anno 454. haud obscure id innuit in Epistola ad Valerianum, sive in Paræneſi de rerum humanarum contemptione: in qua pag. 386. edit. Romanæ, Sanctis quibusdam enumeratis, inquit: *dixerant*, *credo*, *& hi sibi*, *quod quidam nostrorum ait*, *cum se a sæculo in hanc beatiorem vitam hoc velut stimulo concitaret: dixerant*, *credo*: *Quid est hoc? Surgunt indocti*, *& cœlum rapiunt*, *& nos cum doctrinis nostris ecce ubi in carne volutamur & sanguine*. Quæ cum ab Augustino dicta sint; perspicuum videtur hunc illud vitæ institutum statim a baptismate arripuisse, quod Eutherius selegerat, Monachi scilicet, sive Eremitæ. Tertio Augustinus priusquam baptismate regeneraretur, in villam Verecundi secessit, quasi Eremiticæ vitæ, quam inter Christianos cooptatus agere statuerat, positurus tyrocinia; eamque vitam delineare mihi quoque videtur libro Confess. 9. cap. 3. num. 5. narrans suum in eamdem villam recessum: nam ait primo Verecundum de bono Augustini proposito maceratum fuisse anxietudine, quod ipse ab eodem itinere retardaretur *propter vincula sua*, *quibus tenacissime tenebatur*, scilicet, propter conjugis fidelis consortium, quo certe in monasteria eremumque præpediebatur recessio. Deinde in illo rure se vitam solitariam egisse, & ab æstu sæculi requievisse, ibidem S. Pater affirmat. Hæc, aliaque eo loci enarrata expendens Petrus Maturus in loco citato num. præced. ad hunc modum loquitur: *D. Augustinum eximium S. Ecclesiæ Doctorem*, *Hipponensem Episcopum omni laude*, *& veneratione dignissimum*, *antequam Christi Sacramentis esset initiatus*, *religiosam vitam*, *idest*, *cælibem*, *& ab omni rerum humanarum cura*, *& sollicitudine liberam* (*qualem illi agunt qui nostro tempore Monachi*, *& religiosi vocitantur*) *instituisse*

agere,

(a) *Vide Bellarm. de Script. Eccles. cum Dissert. Philipp. Labbe tom. 7. edit. Ven. pag. 160.*

agere, tam certum est, quam ipsum fuisse Augustinum. Quarto idem Augustini propositum eruitur a nostratibus ex gaudio, in quod piissima Mater Monica effusa est, ubi ei enuntiata fuit filii deliberatio. Illam quippe Matris exultationem ita Augustinus enarrat lib. VIII. Confess. cap. 12. num. 30. *Inde ad matrem ingredimur: indicamus; gaudet: narramus quemadmodum gestum sit; exultat & triumphat; & benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertisti luctum ejus in gaudium multo uberius quam voluerat, & multo carius atque castius quam de nepotibus carnis meæ requirebat*. Ex quibus constat amplius illud beneficium gemitibus Monicæ concessum esse aliquid præter conversionem atque baptismum, nimirum electionem status, in quo propter religiosam paupertatem & continentiam, nec initur connubium, nec desideratur nepotum propagatio, nec in bonis hujus sæculi spes collocatur. Hujusmodi autem status quinam est, obsecro, si non est status illorum, qui monachi, & religiosi appellantur? Ab illo demum tempore Augustinum posuisse vitæ Monasticæ rudimenta inde nostrates colligunt, quod ubi ex villa Verecundi cum sociis rediit, suscepitque baptismi gratiam, una cum illis extra urbem commorabatur, recepitque in contubernium etiam Evodium accinctum antea sæculari militiæ; unde lib. IX. Confess. cap. 8. n. 17. inquit: *Qui habitare facis unanimes in domo, consociasti nobis & Evodium juvenem ex nostro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est, & baptizatus, & relicta militia sæculari, accinctus in tua. Simul eramus, simul habitaturi placito sancto*. Hi, qui simul commorabantur, erant Augustinus, Alipius, Navigius, Lastidianus, Rusticus, Licentius, Evodius, Trigetius, & Adeodatus. Alios enumerat S. Antoninus loco supra citato, inter quos Simplicianum, Justum, Cordulum, Paulinum. In unum consociatis beatissima mater Monica ita servivit, *quasi omnes genuisset, quasi ab omnibus genita fuisset*, cap: 12. n. 22. libri noni paulo ante laudati. Ex primo quoque libro contra Academicos cap. 2. num. 5. intelligimus soli

Ali-

Alipio forensibus causis assueto commissum, ut ad civitatem pro comparandis rebus necessariis accederet. Ibi enim inducitur idem Alipius ita post Trigetium loquens: *Hujus quæstionis judicem me tutius puto. Cum enim mihi in urbem iter sit constitutum, oportet me onere alicujus suscipiendæ partis relevari.* Ex quibus haud obscure colligitur S. Augustinum statim a sui conversione vivendi extra urbes, cum viris ejusdem instituti sequacibus, absque ulla spe sæculi, & absque conjugio, propositum iniisse. Hæc autem sunt argumenta illa quinque, quibus Familiæ nostræ Scriptores absque præsidio Ambrosiani sermonis nituntur ostendere instituti nostri primordia ab Augustini baptismate repetenda, addentes alia momenta validiora, quæ cum petantur a posterioribus factis, producentur inferius.

CAPUT XIV.

De libris ab Augustino conscriptis priusquam discederet Mediolano.

MIhi enim hoc in loco commemoranda sunt ea scripta, quibus elucubrandis circa ea tempora, quibus Augustini conversio contigit, manum idem admovit. Itaque adhuc Cathecumenus, & dum se in agro Cassiciaco disponeret ad sacrum regenerationis lavacrum prope finem anni 386. incæpit libros tres *contra Academicos*, quos consecravit Mecenati suo Romaniano. Nam initio Retractationum inquit se *contra Academicos, vel de Academicis* primum scripsisse nondum baptizatum, cum jam se *ad Christianæ vitæ otium* contulisset, ac de Trinitate libro XV. cap. 12. tres libros adversus Academicos a se fuisse conscriptos *primo conversionis suæ tempore*, scilicet, cum nondum explesset trigesimum secundum ætatis annum. Dum tamen huic operi ultimum imposuit apicem, agebat Augustinus annum ætatis suæ tricesimum tertium; ut constat ex cap. 20. & ultimo num. 43. Instituitur priori in libro inter Licentium, ac Trigetium Dialogus circa cognitionem & inquisitionem veritatis, & inquiritur quid sit error, quid sapientia. Altero in libro ponit Alipius discrimina novæ & veteris Academiæ; profert Trigetius Academicorum cavillationes, rursusque is cum Licentio congreditur disputans de probabili, ac de veri-

simili.

ſimili. Diſcutitur in tertio num fortuna adjumento, vel impedimento ſapienti eſſe queat; redarguuntur duo Academicorum placita, *Nihil poſſe percipi*, *nullique rei debere hominem aſſentire*, oſtenditur neque ex ſenſuum imbecillitate, neque ex ſomnio & furore effici ut nihil percipiatur, ac demonſtratur nefarium eſſe illud agere, quod videtur tantum probabile. Sunt vero hi libri compoſiti ex plurium diſputatione, quoniam nati ex eorum colloquio, qui ſimul cum Auguſtino in villam conceſſerant; & recte diſquiſitionibus aliis fuerunt præmiſſi, quoniam fruſtra perquirendæ veritati incumbit qui nihil poſſe ſciri opinatur; Atque Auguſtinus ipſe cognita tandem Manichæorum inſania aliquandiu ſuſpenſus, & quo inclinaret ignarus, adhæſerat Academicis. Inter libros de Academicis eodemque in rure ſcriptus eſt liber *de Beata vita*, cum occurrente idibus Novembris Auguſtini natali die poſt prandiolum convivis ſuis hilarem congreſſum, jucundumque alloquium propoſuiſſet. Legito ejuſdem libri protheoriam num. *6.* & cap. 2. libri I. Retractationum. Quæritur eo in Opere quid ſit beate vivere, & Deum habere; ibique ſuam quoque ſententiam protulit Monica approbans reſponſum Adeodati aſſerentis Deum habere *qui ſpiritum immundum non habet*, pronuntianſque aurea illa verba n. 10. *Si bona velit & habeat*, *beatus eſt*. *Si autem mala velit*, quamvis habeat, *miſer eſt*: quibus auditis Auguſtinus, *Ipſam*, inquit, *prorſus Mater arcem philoſophiæ tenuiſti*. Dicatus eſt iſte liber Manlio Theodoro, qui conſulatum geſſit anno Chriſti *399.* & cujus etiam Auguſtinus meminit lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. Subſecuti ſunt libri duo *de Ordine* inchoati eodem tempore, eodemque in loco, ſcilicet apud Caſſiciacum percontante Zenobio, ut apparet ex lib. I. num. 20. In his libris magna quæſtio verſatur, ut I. Retract. cap. 3. Auguſtinus ipſe affirmat, *Utrum omnia bona & mala divinæ providentiæ ordo contineat*. Plurimum in primo libro P.P. Benedictini locum illum commendant, ubi comprimuntur motus æmulationis, & inanis jactantiæ, quibus in litterario certamine agitari ſolent adoleſcentes. Puto illum eſſe num. 25. ubi eleganter deſcribitur pugna nimium acris inter gallos gallinacios. Addendam puto objurgationem a religioſiſſima Monica factam Licentio garrule ſuccinenti verſiculum quemdam Pſalmi ſeptuageſimi noni, cum ad requiſita na-

turæ foras exiſſet. Hinc enim exemplo feminæ docemur, quanta devotione divina eloquia ſint proferenda. Demonſtratur altero in libro qua ratione mala in ordinem redacta conferant ad pulchritudinem univerſi, & quomodo ordo fuerit cum malum non eſſet; atque adoleſcentibus cum præcepta vitæ, tum ordo eruditionis traduntur. Proxime ſequuntur *Soliloquiorum* libri duo (qui etiam in Græcam linguam translati ſunt cum *Manuali* per Neophytum Rhodinum) inchoati dum adhuc in rure Caſſiſiaco Auguſtinus verſabatur, atque eo titulo inſcripti quod ſint veluti allocutiones hominis ad ſeipſum, ſive ut legitur 1. Retract. cap. 4. unius interrogationes ac reſponſiones, quaſi homo, ejuſque ratio duo ſint. Quamobrem his libris Auguſtinus graphice ſemetipſum delineat ac pingit, ac de vero & falſo copioſe diſputans ad immortalitatem animi, in quo veritas ſedem habet, ratiocinando pertranſit. Eapropter cum iidem libri imperfecti viderentur, jam Mediolanum de agro reverſus ſcripſit librum *de Immortalitate animæ*, quaſi commonitorium propter ſoliloquia terminanda, prout legimus libro 1. Retract. cap. 5. Hoc opus ibidem ab auctore appellatur ſic obſcurum, ut ratiocinationem contorſione ac brevitate fatiget legentem. Illinc id factum arbitramur, quod opus illud conſcriptum fuerit ineunte anno 387. quando Auguſtino ſuſcipiendi baptiſmatis, & ſeſe ad ſpiritalem gratiam parandi vehementior erat ſollicitudo. Baptiſmum vero Auguſtinus ſuſcepit eodem anno 387. die viceſimaquarta Aprilis: quod etſi olim apud eruditos controverſum fuit, nunc tamen firmatur *communi eruditorum ſententia*, ut inquit Pagius ad annum 388. num. 9., ac nos dicemus proximo num. 18. Hactenus de libris, quos tempore converſionis ſuæ Auguſtinus elucubravit, atque ad umbelicum perduxit. Plures enim alios antequam Mediolano diſcederet, inchoavit, nimirum *De Dialectica*, *de Rhetorica*, *de Geometria*, *de Arithmetica*, & de *Philoſophia*; quos omnes cum ederet libros retractationum, omiſerat, uti & contigit libro *de Grammatica* Mediolani itidem elucubrato. Opus quoque de Muſica in libros ſex diſtributum in illa Urbe conſcribendum ſuſceperat; ſed illud perfecit, poſteaquam regreſſus fuerat in Africam.

CAPUT XV.

De Hymno, Te Deum, *& cur hujus auctor existimetur incertus*.

COmpositum ab Ambrosio & Augustino hymnum, *Te Deum laudamus*, vetus erat, & communiter recepta traditio: quam recentiores, qui sese existimant doctiores majoribus nostris omnibus, subvertere & labefactare curarunt. Atque hæc in Criticorum libris inveniuntur dispersa, ut prælaudatis Ecclesiæ Doctoribus enuntiatus hymnus abjudicetur. Principio, inquiunt, Augustinum & Ambrosium hymnum illum alternatim edidisse obtinuit ex Chronico S. Datii; sed apocryphum istud esse evincit eruditorum consensus: dispungunt quippe idem Chronicon Bartholomæus Gavantus in Rubricas Breviarii sect. 5. num. 1. capitis 19. & qui in Gavantum edidit erudita commentaria Cajetanus Maria Merati, Card. Bona in notitia Auctorum præfixa operi de Divina Psalmodia, Hugo Menardus in Notis ad Ritum unctionis Regis Francorum post Sacramentarium Gregorii, Theophylus Raynaudus tom. 11. de bonis & malis libris *Erotem*. 10. n. 184. Edmundus Martene in Comment. ad Regulam S. Benedicti cap. 11. Ludovicus Muratorius 1. Tomo Anecdotorum cap. 6. & in præfat. ad Historiam Landulphi senioris, Joannes Mabillon Anecdot. lib. 1. & in dissert. de Azymo, Joannes Petrus Puricellus in Differt. Nazariana cap. 39. n. 10. Ant. Pagius ad annum 388. num. 11. Bollandistæ in Vitam Augustini num. 117. & seq. aliique permulti. Secundo, ajunt quidam, uni Ambrosio prædictus hymnus tribuendus est: nam Smaragdus in regulam S. Benedicti illum appellat hymnum *Ambrosianum*; eodemque titulo prænotatur a Scriptore miraculorum S. Pelini apud Ughellium tom 9. Italiæ Sacræ col. 38. necnon in Codice Bibliothecæ Cassinensis, qui annorum 360. ætatem superat, atque in alio Codice exarato anno 1472. quem n. 2. laudat Meratius atque ante ipsum Eustachius a S. Ubaldo Augustinianus excalceatus in Disquisitione de hoc hymno pag. 241. §. 5. ubi de hac secunda sententia occurrunt quamplura. Tertio, reponunt alii, auctor ejusdem hymni incertus omnino est: nam in perantiquo MS. Breviario

Col-

Collegii Aniciani de Urbe præfert hunc titulum: *Hymnus S. Abundii*. In Breviario altero Caſſinenſi deſcripto paulo poſt annum 1086. inſcribitur *Hymnus Siſebuti Monachi*: quem titulum præfert quoque in Pſalterio MS. Vaticanæ Baſilicæ. In Pſalterio autem Latino-Gallico, cujus meminit Jacobus Uſſerius in Tractatu de Symbolo Romanæ Eccleſiæ attribuitur Sancto *Nicetio*. Et Abbo Floracenſis in MS. quodam apud Pithæum illius hymni auctorem eſſe affirmavit S. Hilarium Epiſcopum Pictavenſem. Tanta itaque diſcrepantia demonſtrat verum ejuſdem hymni auctorem adhuc latere. Quarto tandem nullus veterum illius hymni mentionem aliquam fecit ante S. Benedictum capite 11. Regulæ, & Teridium diſcipulum S. Cæſarii Arelatenſis, qui pariter ipſius hymni meminit in ſua Regula, ut animadvertit vir doctiſſimus Joannes Cardinalis Bona in libro de Divina Pſalmodia cap. 16.

CAPUT XVI.

Oſtenditur inveteratam traditionem non eſſe temere rejiciendam.

HÆc omnia cum gravia ſint, nequeunt tamen convellere traditionem illam, quæ penitus inſedit & inveteravit: & quæ non tantum Datiano Chronico innititur, nec tantum Ambroſiano Sermoni, de quo diſſeruimus paullo ſupra, ſed momentis aliis validioribus. Inter quæ principem tenet locum communis hominum catholicorum perſuaſio, & traditio a majoribus derivata, quæ nonniſi certis & inconcuſſis rationibus ſubrui poteſt; nec rejici debet ob ſilentium quorumdam, & ob præcedentium temporum obſcuritatem, multo minus ob frivolas ineptaſque Criticorum animadverſiones. Quare Clariſſimus Pagius poſtquam multa de hoc hymno diſſeruit, cit. n. 11. concludit; *recedendum non eſſe ab antiqua traditione, quæ hoc Canticum SS. Ambroſio & Auguſtino tribuit, cum ſit adeo communiter recepta*; idque aſſerit ex ſententia Cardinalis Bona. Is enim in memoria MS. Correctionum antiqui Pſalterii Romani, quo utitur Vaticana S. Petri Baſilica, ita inquit: *pag. 27. Quamvis hymnus* Te Deum laudamus *in Pſalterio MS. Baſilicæ Vaticanæ nomen præferat S. Siſebuti, non eſt tamen*

recedendum ab antiqua traditione, quæ SS. Ambrosio & Augustino ipsum tribuit, cum sit communiter recepta, nec satis constat quis fuerit ille S. Sisebutus. Ab aliis tribuitur S. Nicetio, a quibusdam S. Abundio, ut observo in meo tractatu de Divina Psalmodia cap. 16. §. 12. num. 3. Delendum igitur nomen S. Sisebuti, & substituendum SS. Ambrosii & Augustini. Accepit adnotationem hanc a viro doctissimo Joanne Ciampinio Eustachius a S. Ubaldo, illamque suæ disquisitioni inseruit num. *496.* Exscripsit & illam in suis ad Gavantum notis p. 1. tom. 2. pag. *365*. editionis Romanæ Cl. Meratius: hisque admonemur, ne ob quamlibet conjecturam recedamus a traditione pervetusta & communi. Hujus autem traditionis testes primo afferimus plurimos & locupletissimos: inter quos, nostratibus prætermissis, connumerantur non solum ab Eustachio a S. Ubaldo num. 457. verum etiam a Puricello in Differt. Nazarian. cap. *39*. num. 12. & a Meratio loco cit. pag. *363*. Lorinus in Ps. 27. v. *9*. Rutilius Benzonius in Magnificat lib. *1*. cap. 1*9*. Henricus Spondanus in Epit. Annal. ad an. *388*. Joannes Azorius tom. 1. Instit. Moralium lib. 10. cap. 15. Carolus Macignus de Horis Canonicis cap. *36*. Jacobus Bayus Instit. Relig. Christianæ lib. 4. cap. 12. Franciscus Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 1. n. 14. Antonius Perez ad cap. *9*. Reg. S. Benedict. num. 4. Joannes Baptista Casalius de Vet. Sacr. Christianorum Ritib. cap. *46*. Antonius Bellotte de Rit. Eccl. Laudun. observat. 32. n. 3. Franciscus Carrier in Digest. Fidei Cathol. pag. 585. Joannes Stephanus Menochius p. 5. Stromatum cap. *6*. Emmanuel Gonzales in cap. *Presbyter*. de celebrat. Missarum n. 28. Alphonsus Villeg. Flos Sanct. die 28. Augusti, Dominicus Macrius in notitia verb. Ecclesiastic. V. Te Deum laudamus pag. 431. edit. Venet. Anno 1717. Placidus Pasinellus in Zodiaco Eccles. Mediol. p. 3. cap. 17. Andreas Piscara Castaldus in Praxi Cæremon. lib. 2. sect. 3. cap. 2. n. *9*. Joannes Baptista Rusca MS. in Bibliotheca Ambrosiana de Cantu Eccles. cap. 52. & Cornelius Schultingius in Biblioth. Ecclesiastica tom. 1. p. 2. cap. 2. Atque hi omnes Chronicon quoque Datianum, quod hujus ævi critici contendunt esse suppositum, laudant & genuinum agnoscunt. At alii plures eamdem traditionem amplectuntur, Chronico Datii nequaquam commemorato: eosque Eustachius a S. Ubaldo producit Disquisitionis suæ num. *497*. Hos inter recen-

sentur,

ſentur, ne ſingulos perſequar, Honorius Auguſtodun. in ſpeculo, Jodocus Clicthovæus p. 2. Elucid. Eccleſ. Guilelmus Durandus lib. 5. Divinor. Officior. cap. 3. num. 31. S. Antoninus p. 2. Chronic. tit. 10. cap. 8. §. 1. Pamelius in notis ad S. Cypriani librum de Mortalit. Venerabilis Cardin. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis V. *Ambroſius*, Cornelius a Lapide in Apocalypſim cap. 7. verſ. 12. Ferdinandus Ughellus Ital. Sacr. tom. 4. col. 32. aliique permulti. His omnibus, qui a noſtratibus laudantur, addo Concilium V. Generale Lateranenſe celebratum anno 1512. ſub Julio II. in cujus Concilii ſeſſ. 1. Joannes Zane Archiepiſcopus Spalatenſis, & Patritius Venetus habuit orationem; atque in ea ait: „ Proponite vobis Auguſtinum Africanum Tagaſtenſi urbe oriundum, qui Chriſtianæ „ Religionis oppugnator acerrimus Ambroſium doctiſſimum Mediolani antiſtitem intuens diſputantem, ſacrum baptiſma ſuſcepit de manibus ejus dicentis, *Te Deum laudamus*, ipſoque „ Auguſtino reſpondente, *Te Dominum confitemur*. „ Vide Tomum XIV. Concil. Collect. Lab. pag. 51. edit. Pariſ. Qui omnes, cum eruditiſſimi ſint, & nullum vel minimum dubitationis verbum habeant, ſatis oſtendunt traditionem, de qua ſermo eſt, ætate ſua penes univerſos invaluiſſe. Præterea non videtur nauci facienda populi urbiſque Mediolanenſis perpetua & inveterata traditio. Hanc perantiquam & communem eſſe non diffitetur Puricellus in Monum. Baſilicæ Ambroſianæ num. 300. confirmantque eamdem traditionem Mediolanenſes Scriptores alii, Ladulphus ſenior, qui ſcribebat ſeculo undecimo lib. 1. Hiſtoriarum, & quem auctorem Chronici, qui ſub Datii nomine obtinuit, auctorem eſſe eruditiſſimi viri inde colligunt, quod ea, quæ Sancto Datio tribuuntur, in Ladulphi hiſtoria inveniantur conſcripta: Beroldus Scriptor Mediolanenſis, qui floruit initio ſæculi tertiidecimi, cujus opera ſervantur in Bibliotheca Metropolit. Mediol. Auctor Chronici inſcripti, *Flos florum* in Bibliotheca Ambroſiana aſſervati, Franciſcus Pizzolpaſſus Archiepiſcopus Mediolan. in Decreto de Reform. Officii Ambroſiani, Paulus Morigia Hiſt. Mediolan. lib. 2. cap. 5. Petrus Paulus Boſca in Martyrologio Mediolanen. Eccleſiæ ad 5. diem Maji, & alii, quos brevitatis gratia ſilentio præterimus. Ad hanc Mediolanenſium traditionem corroborandam nonnihil facit vulgare nomen illius viæ, quæ a laterali janua Ba-

ſilicæ

ſilicæ Ambroſianæ ducit ad Eccleſiam, in qua Auguſtinus dicitur baptizatus, ut præmonui octavo libro Theologicarum diſciplin. cap. 14. His accedit quod huic hymno *SS. Ambroſii & Auguſtini* nomen præponitur fere in omnibus antiquioribus Breviariis, necnon in pervetuſto Pſalmorum libro, quem Carolus Magnus dono miſit ad Hadrianum Romanum Pontificem, & etiamnum in Bibliotheca Cæſarea aſſervato, plurimi quidem æſtimando, & longe, quam ſit idem Carolus, anteriore: non enim Imperator Pontifici Maximo munus aliquod vulgare obtuliſſet. In hoc ſiquidem libro præfigitur Cantico titulus iſte, *Hymnus quem S. Ambroſius, & S. Auguſtinus invicem condiderunt*. Præfertur quoque idem titulus in libris Alcuini, qui diſcipulus fuit Bedæ, & Egberti, & Caroli Magni præceptor, atque in compluribus aliis venerandæ antiquitatis Monimentis. Poſtremo nefas eſt ſapienti viro a majorum ſuorum traditione deſciſcere ob momenta non ſatis ad faciendam fidem idonea, qualia eſſe numero ſuperiori producta mox oſtendam. Nos itaque, poſtquam a patribus noſtris traditionem illam accepimus, atque in illius recordationem quotidie Hymnum, ſeu Canticum prædictum recitantes ad prima verba, quæ Auguſtinus baptiſmate regeneratus protuliſſe dicitur, genua flectimus, fixam animis noſtris ſententiam exuere non poſſumus.

CAPUT XVII.

Ad ea, quæ dicta ſunt num. 15. *Reſponſio.*

IIs autem, quæ in contrarium opponebantur, ita occurrimus. Primo falſum eſt quod doctiſſimi viri ſcribunt vulgarem opinionem *ſolo niti Pſeudo-Datii Chronico lib.* 1. *cap.* 10. ut legimus in Præfatione ad Opera Hilarii. Nam Joannes Mabillon, nomen univerſæ litteratorum Reipublicæ ſplendidiſſimum atque honeſtiſſimum in ſua diſſertatione de Azymo, licet vulgarem ipſam opinionem non omnino certam exiſtimet, ſcribit tamen non eſſe *admodum novam, & recentem*, idque evincit ex prælaudato Pſalterio Caroli Magni. Non itaque ſoli Chronico Datiano, ſed antiquæ & communi perſuaſioni ſententia innititur noſtra. Deinde extitiſſe olim Datii Chroni-

con

con non eſt omnino inveriſimile, primo ob auctoritatem illuſtrium Scriptorum, quos ſupra commemoravi: præterea quia demonſtrari non poteſt Ladulphum ſeniorem, cui adſcribitur Chronicon, Hiſtoriæ ſuæ vetuſtiora Datii fragmenta minime inſeruiſſe: inſuper quia nonnullis Ladulphi codicibus titulus iſte præponitur, *Chronica Datii Archiepiſcopi Mediolani*; quorum codicum unum ſe legiſſe teſtatur Antonius Maria Puſterla Bibliothecarius Capituli Metropolitani reſpondens ad quæſita Joannis Mabillonii, ut habetur in hujus Analectis tom. 1. pag. 5. alterum ſe legiſſe aſſeverat illuſtris Muratorius in Appendice ad 1. Tomum Anecdotorum: inſuper quemadmodum ex nomine *Datii* præfixo hiſtoriæ Ladulphi critici inferri putant hunc eſſe verum Chronici auctorem, hujuſque hiſtoriæ imperite Datii nomen fuiſſe præpoſitum; ita nos pari jure neminem nobis ignotum imperitiæ arguentes illinc inferimus Chronicon Datii a Ladulpho fuiſſe adauctum, & protractum ad ſua uſque tempora, cum hæc ſit Chronicorum librorumque annalium natura, ut eis nova accedant additamenta, uti contigit Chronico Euſebiano, aliiſque: ad hæc Sanctum Datium revera ſcripſiſſe Chronicon, aut Hiſtorias innuit Paulus Diaconus, qui floruit anno 780. lib. 16. Hiſtor. his verbis: *Tanta ſiquidem per univerſum Mundum eo anno maximeque apud Liguriam fames excreverat, ut ſicut vir beatiſſimus Datius Mediolanenſis Antiſtes retulit, pleræque matres infelicium natorum comederent membra*; Et Anaſtaſius itidem in Sylverio: *Eodem tempore tanta fames fuit per univerſum mundum, ut Datiius Epiſcopus Civitatis Mediolanenſis relatione ſua hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liguriæ mulieres filios ſuos comediſſent penuria famis, quas retulit ex Eccleſiæ ſuæ fuiſſe familia*. Me non latet Bollandum eruditiſſimum virum ad diem 14. Januarii §. 1. num. 13. reponere, *Relationis nomine fortaſſis intelligi Epiſtolicas narrationes*, ac Bollando Meratium ultro lubenterque ſubſcribere, propterea quod ſoleant Epiſcopi publica graſſante calamitate, hanc ponere ob oculos ſubjectorum ſibi fidelium, ut indictis ſupplicationibus avertere ſatagant juſtiſſimam Dei indignationem. At primum Joannes Bollandus caute particulam *fortaſſis* adhibet, nullatenus rem definiens: deinde eo loci pagina ſcilicet *968*. tomi 1. ait ſcripſiſſe Datium Chronicon, hiſtoriaſque ſui temporis,

ſi fi-

si fides habenda sit Joanni de Deis, Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Possevino, & Vossio, quos prælaudatis auctoribus, cum & hi præclarissimi sint, addere jure possumus. Præter hæc *Relationis* vocabulum proprius historicæ narrationi, quam hortatoriæ epistolæ convenit: ac insuper eodem vocabulo significari Chronicon censet eruditissimus Mabillonius, qui in Dissert. de Azymo & Fermentato cap. *6.* relata sententia Menardi in notis ad librum Sacramentorum Gregorii, ubi Datio Chronicum istud subtrahendum putat, quia in eo legitur conversio Augustini aliter ac ab ipso Augustino, & a Possidio referatur, & quia a nullo auctore citatum adinvenitur, ita scribit: *Verum ut prius ita sit, non raro auctores etiam æquales in unius ejusdemque facti narratione discrepant. Posterius inde refellitur, quod Chronicon istud citatum videatur, tum apud Paulum Diaconum in Historiæ Miscellæ libro* XVI. *tum apud vulgatum Anastasium de gestis Pontificum in Silverio Papa, ubi tempore hujus Pontificis, fames ingens seviisse memoratur ex Relatione Datii Episcopi Mediolanensis*. Atque ex his perspicuum puto, posse etiamnum defendi quod revera aliquando extiterit Chronicon a S. Datio conscriptum. Verum, etsi concedatur idem Chronicon esse fætum Ladulphi, immo & omnino apocryphum, auctoris incerti, atque ex variis laciniis assutum; nescio quid inde inferri possit adversus vulgatissimam traditionem. Etenim nec Ladulphus quæ narrat de hoc Hymno finxisse suomet in cerebro dicendus est, nec credendus voluisse posteris fabularum figmento fucum facere. Ex antiquioribus ergo, suaque ætate receptis munimentis traditionem, quam propugnamus, litteris consignavit. In apocryphis etiam scriptis vera complura narrantur; imo & ipsa ad confirmandam opinionem, quæ obtinebat quando edita deprehenduntur, non modicum afferunt adjumenti. At de prima oppositione, quæ sola lectorem commovere poterat, dictum satis superque. Reliquæ enim sunt facillimæ expeditionis. Etenim quod Hymnus *Te Deum* Ambrosianus dicatur, eorum firmat, non evertit opinionem, qui ajunt Ambrosio simul & Augustino esse adscribendum; maxime cum Codices supparis ætatis iis, qui dicunt *Ambrosianum*, eidem Hymno SS. Ambrosii & Augustini nomen præmittant: quos Codices laudat in sua Dissertatione num. 445. Eusthachius a S. Ubaldo, & pag. 371. Caje-

tanus Meratius. Obſervarunt hi quoque poſt Valafridum Strabonem de Rebus Eccleſiaſt. cap. 25. & Cornelium Schultingium tom. I. p. 2. Bibl. Eccleſiaſt. ſect. 2. cap. 7. Hymnos omnes ætate S. Ambroſii compoſitos dici *Ambroſianos* ac præterea vix unum, aut alterum extitiſſe Scriptorem, ut Smaragdus, & Gavantus, qui Hymnum hunc ſoli adſcripſerint Mediolanenſium Antiſtiti: atque his difficultas ſecundo loco poſita excutitur. Tertia item ejuſdem eſt notæ; nam ſingularis inſcriptio Breviarii Aniciani, cum omnium aliorum auctoritate refutetur, oſcitantiæ amanuenſis eſt tribuenda; quod aſſerendum quoque eſt de Codice præferente nomen Nicetii. Siſebuto autem non eſſe Hymnum hunc adſcribendum recte monuit Joannes Cardinalis Bona: idque etiam ratio ſuadet, quoniam hujus Hymni meminit S. Benedictus in Regula cap. 11. unde nullus Monachus Caſſinenſis illius auctor cenſeri poteſt, quemadmodum ingenue fatentur in Præfat. ad Hilarium PP. Benedictini. Adde Siſebutum floruiſſe circa annum 1082. ut conſtat ex Menologio Monaſtici Ordinis ad diem xv. Martii. Hinc refutatur etiam Natalis Alexander, Siſebuto Ordinis Benedictini Canticum iſtud attribuens in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculo IV. cap. 6. num. 12. Quid vero de Hilario? Tametſi unus Abbo Floracenſis diceret hujus Hymni parentem Pictavenſem Epiſcopum, quod forte ipſum Hymnum offendiſſet in MS. aliquo Operum Hilarii, plura olim Amanuenſibus in unum, abſque delectu & confuſe permiſcentibus; non proinde uniu Abbonis teſtimonium æquiparandum eſſet ceteris univerſis. Sed verba Abbonis relata in Præfat. Operum Hilarii ita ſonant num. 22. *In Palinodia, quam compoſuit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem, ſuſcepiſti, ſed potius ſuſcepturus legendum. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*. Jam vero quis Hymnum *Te Deum* Palinodiam dixerit? *Canticum fidei*, *Trinitatis*, *Gratiarum actionis*, nec non *Angelorum* dictum novi, quod Trinitatis, & Incarnationis myſteria Deique laudes atque Angelicum Triſagium comprehendat; ſed appellari *Palinodiam* novum mihi eſt, & qua ratione id nominis acquiſierit, ignoro. Senſus itaque Abbonis eſt, in Palinodia Hilariana legendum *Suſcepturus hominem*, eo modo quo legitur in Hymno Eccleſiaſtico, ubi occurit phraſis ei conſimilis, quam adhibuit Hilarius. Quod ſi

hæ responsiones minus arrideant; fas nobis sit dubitare de auctore Epistolæ Abbonis ea libertate, qua epistolam ipsam producentes dubitant de auctore hujus Hymni. In postrema tamen difficultate dirimenda non immorabor, cum ex præcitata S. Benedicti Regula aperte discatur Canticum, de quo disseruimus, esse ætate Benedicti antiquius: immo cœpit in Ecclesia decantari decreto Gelasii, qui obiit anno 496. si fides adhibenda est Benzonio libro 1. in *Magnificat* cap. 19. & Bartholomæo Gavanto in Rubricas Breviarii Romani sect. 5. cap. 19. Cetera, si quæ sunt adversus traditionem hactenus vindicatam, refutata a nobis invenies Tom. 2. discipl. Theologicarum pag. 209. & sequentibus.

CAPUT XVIII.

De tempore, quod inter Augustini baptismum, ejusque ab Italia discessum intercessit.

PRogredior modo ad investigandum tempus, quod fluxit ab Augustini baptismate ad obitum usque Matris. Cum enim Scriptorum nostrorum plures tradiderint Augustinum priusquam in patriam transmitteret, ad Eremicolas Pisani montis, & ad alios, qui prope Tyrrheni maris littus solitariam vitam degebant per aliquantulum temporis divertisse; illi ex adverso, qui solius Canonici Ordinis Augustinum parentem fuisse autumant, suadere imperitis nituntur illam S. Patris digressionem esse puram putam fabellam, propterea quod eodem anno, quo recurrentibus Paschalibus diebus nomen Christo dedit, beatissima Monica die Maji quarta apud Ostia Tiberina decesserit: ideoque exiguo temporis intervallo inter Paschæ celebritatem & Maji initia, vix ad conficiendum iter Italicum sufficiente, non potuisse Neophytum latentes in montibus silvestribusque maritimis anachoritas invisere. Id scribit Gabriel Pennotus lib 1. Hist. Tripart. cap. 5. n. 2. de Augustino hæc affirmans, *Eodem mense Aprilis, in quo fuit baptizatus, fuit etiam apud Ostia Tiberina in Africam rediturus; quia B. Monica obiit die 4. Maji: sed illa fuit in Ostiis Tiberinis saltem diebus tredecim priusquam ex hac vita migraret: ergo circa diem 21. Aprilis ejusdem scilicet mensis, in quo beatus Augu-*

stinus

stinus fuerat baptizatus, in Ostiis Tiberinis constiterant. Ac plane id sequitur, si Augustinus baptizatus dicatur eodem mense, anno 388. uti Pennotus statuit citato libro præcedenti cap. 4. Pennoto subscripsere alii ejusdem Canonici Ordinis, ac novissime Nicolaus Desnos lib. 3. cap. 5. ubi ait: *Baptismo autem suscepto, brevissimo tempore moratus in Italia Augustinus; statim enim maturavit reditum suum in Africam. Et inde falsum quod dicunt Eremitæ Augustiniani, ipsum triginta annos natum cum baptismum suscepit, tribus sequentibus annis in Italia remansisse, & versatum fuisse cum Monachis in Etruria & Centumcellis, &c.* quod & multis Chronologicis argumentis confirmat. Abiit in Canonicorum Regularium sententiam Franciscus Macedo; qui cum Norisio familiari prius consuetudine versabatur, & plura erga nos amor argumenta significabat, sed inter illum Norisiumque subortis litterariis diffidiis, nullum non lapidem movit, ut virum doctissimum exagitaret. Quare in Collat. x. de Incarnatione edidit opusculum, quod inscripsit, *Itinerarium Augustini post baptismum Mediolano Romam;* in quo opusculo probare nititur Augustinum baptismate tinctum die 9. Aprilis an. 388. ad Ostia Tiberina pervenisse *die* 20. *Aprilis consumptis in itinere diebus duodecim omnino necessariis ad iter illud prolixum conficiendum.* Et quod risu excipiendum est, cum libro 1. Collationum incisam posuisset venustam imaginem, in qua ipse locatus in Cathedra Augustino Monachali habitu induto, & Scoto auditoribus, docet ac disputat; priori illa imagine lacerata, quam tamen adhuc exhibent impressorum voluminum aliqua, jussit, ut Augustino incisor vestem immutaret, prioremque deleret. Sed invenit Macedus dignum, ut inquiunt, patella operculum: nam Norisius edito opere inscripto, *Quinquaginta somnia F. Macedo*, hunc evidentissime confutavit, ostenditque invicte Augustinum fuisse baptizatum anno 387. ideoque superest annus integer, quo potuerit Eremitas adire, & cum eis aliquantulum commorari. Neque enim Nostrates omnes hanc S. Patris in Italia moram protrahunt ad triennium, ut nullo auctorum facto discrimine inquit de Eremitis Augustinianis prælaudatus Nicolaus Desnos: sed permulti Norisio consentiunt, & Augustinum baptizatum demonstrant prædicto anno 387. die 24. Aprilis. Ipse Norisius ad Somnium Macedi XVIII. laudat pro

hac sententia Ludovicum ab Angelis lib. 1. de Vita Augustini cap. 4. Herreram in Alphabeto Augustiniano, & Aloysium Torrelum Tom. 1. sæcul. Aug. ad an. 387. Verum hoc solent qui ducuntur amore partium, si tantillum adversariorum aliquis aberravit, errorem universis impingere. Interim ergo Nicolao Desnos reponimus Eremitas Augustinianos, si consulantur plures ac doctiores, affigere S. Patris baptismum anno prædicto 387. a quo usque ad Monicæ obitum, reditumque in Africam Augustini & sociorum, non quidem triennium, sed integer annus cum mensibus nonnullis interfuit: atque ita perierunt omnia illius Recentioris argumenta calculis chronologicis concinnata.

CAPUT XIX.

Dicta superiori numero luculentius enodantur.

ITaque existimarunt nonnulli Augustinum baptizatum fuisse anno ætatis suæ trigesimo. Non tantum auctor sermonum *ad Fratres in Eremo*, & Marquez lib. de Origine FF. Eremit. cap. 4. Verum etiam Vincentius Bellovacensis lib. 17. speculi Hist. cap. 15. Nauclerus generat. 14. Volaterranus libro 1. Antropologiæ, etiam a Gabriele Pennoto laudati lib. Historiæ Tripart. cap. 4. aliique, verius & communius baptizatum dixerunt anno trigesimo tertio, inter quos Pennotus ipse num. 3. laudat Jordanum nostrum de Saxonia, & Ludovicum ab Angelis, quem num. 6. fatetur *propius accedere ad veritatem*, unde rursus adversus Desnium colligimus, sententiam asserentium baptizatum Augustinum triginta annos natum, non esse ita propriam *Eremitarum Augustinianorum*, ut eam hi soli adoptaverint, eamque horum aliqui non rejecerint, Pennoto fatente. Et quidem Augustinum baptizatum anno 33. extra controversiam positum esse debet, cum in villa Cassisiaco moram faciens ageret ætatis annum ipsum tertium ac trigesimum, ut constat ex lib. 3. contra Academicos cap. 20. & ex Soliloquiis lib. 1. cap. 1. cum autem Monica migravit e vita ex lib. 9. Confess. cap. 11. annum vigesimum tertium exegerit. Porro annum illum, quo Augustinus baptizatus fuit, concurrere cum anno Christianæ æræ 378. non autem cum

anno

anno 388. probabilius ab eruditis viris existimatur. In quorum sententiam me trahunt, primo quod post maturam discussionem eam veritati magis consonam existimarint in Vita Augustini lib. 2. cap. 7. PP. S. Mauri, illamque invictis argumentis confirmavit Cardinalis Norisius ad *Somnium* Macedi XVIII. probabiliorem quoque censuerint PP. Bollandistæ scribentes num. 113. Commentarii prævii, *Probabilior nobis videtur opinio illorum, qui conversionem ejus anno Christi 386. & baptismum anno sequenti affigunt:* eamdem sententiam amplexati fuerint Pagius ad annum 388. n. 10. ac doctissimus auctor Vitæ Augustini, quam in vernaculam linguam vertit Cæsar Benvenuti Canonicus Regularis lib. 2. cap, 7, num. 3. necnon Joannes Salinas ejusdem Canonicorum Ordinis ad Vitam a Possidio conscriptam, atque a se editam notisque illustratam, pag. 10. Nec sola auctoritate permoveor, ratione contempta. Ut enim prædicto anno alligetur Augustini baptismus, facit primum ratio ipsa auctorum illum in annum proximum protrahentium. Horum namque ista ratiocinatio est, Obiit Augustinus anno 431. & cum vixisset annis 76. ut cap. 31. ait Possidius: natus est itaque anno Christi 355. ac baptizatus an. 388. qui cum ætatis suæ 33. concurrit. At exploratum jam est eruditis omnibus Augustinum vita functum anno 430. ut constat ex Chronico Prosperi, atque ex epistola Capreoli primatis Carthaginiensis, qui ut refert Liberatus Diaconus cap. 5. Breviarii, Theodosio, qui Divali sua Augustinum ad Synodum Ephesinam invitaverat, circa Pascha anni 431. respondit Augustinum non amplius fuisse superstitem. Decesserat ergo elapso anno 430. cum certum sit obiisse V. Kal. Septembris. Idem evincitur ex quo Augustinus, testante Prospero, ordinatus fuerit Episcopus Olybrio & Probino consulibus, idest anno Christi 395. presbyter vero an. 391. circa tempus Quadragesimæ, in Clericatu autem & Episcopatu simul, auctore Possidio citato cap. 31. annum quadragesimum non expleverit: quæ si exacte conferantur, commonstrant annum emortualem fuisse 430. & annum baptismi 387. Deinde Augustinus 9. Confess. libro cap. 7. ait anno ante baptismum suum Justinam Valentiniani pueri matrem hæresis Arianorum causa in Ambrosium excitasse persecutionem, eoque tempore secundum morem Orientalium partium institutum fuisse ut in Ecclesia psalmi & hymni

hymni canerentur, ne populus mæroris tædio contabesceret, excubans in Ecclesia, & cum Episcopo suo mori paratus. Justina autem Valentiniano auctrix fuit publicandi legem adversus Catholicos, facta Arianis potestate publice conveniendi in Ecclesiam, Honorio N. P. P. & Evodio Coss. idest, anno 386. ut constat ex Cod. Theodosiano lib. 19. l. 4. *de Fide Cath.* Sequenti itaque anno 387. baptizatus est Augustinus. At in Africam reversus est post necem Maximi, qui per tyrannidem Gratiano imperium ademerat, ut Augustinus ipse testatur contra litteras Petiliani lib. 3. cap. 25. num. 30. Maximus vero occisus est anno Christi 388. die 27. Augusti, sive ut aliis placet die 23. Julii; de die quippe variant Idacius, & Socrates, ut animadvertit illustris Pagius ad eumdem annum num. 6. Si ergo Augustinus statim post mortem Matris remeavit in Africam; non discessit Monica e vita nisi transacto anno a filii baptismate. Et si Monica obiit eodem anno 387. aut Augustinus post ejus mortem per annum in Italia remansit, aut saltim Monica mortua non est die quarta Maji, sed tempore autumnali & ante Idus Novembris, post cujus obitum Augustinus aut Romam rediit, aut in Sardiniam, ut Nostratium quidam sentiunt, appulsus est. Hactenus autem dicta confirmat quod intelligi nequeat eodem anno Augustinum percepisse baptismi gratiam, & Monicam apud Ostia Tibridis die Maji quarta demortuam. Sabbato enim sancto, quo ille regeneratus fuit, fluxit Aprilis dies quarta ac vicesima. Vix percipi potest Augustinum ea ipsa die baptismatis sui iter arripuisse; cum dies immediate proxima esset Paschæ solemnitas sanctissima & celeberrima, quæ nonnisi Dominica sequenti absolvebatur, in qua Neophyti albis vestibus induti eas deponebant, idcirco *in Albis* appellata. Vide Norisium ad *Somnium* Macedi nonum. Consistebat itaque Mediolani Augustinus die secunda Maji, etsi illinc abiisse dicatur transactis statim diebus Neophytorum, & statim ac alba vestimenta deposuerat. Præterea ad conficiendum iter juxta Antonini itinerarium 408. milliarium, necesse fuit plurium dierum spatium insumere. Detur singulis diebus milliaria quadraginta fuisse confecta; exceditur decem dierum intervallum. Jam ergo ad diem Maji duodecimam pervenimus. Detur eadem die Romam, aut recta per viam Aureliam ad Ostia Tiberina Augustinum, matrem,

socios‑

sociosque venisse eadem die duodecima; apud Ostia saltim quinque diebus moram egerunt operientes navigationem, priusquam Monica ægrotans decumberet, scribente Augustino libro IX. Confess. cap. XI. num. 27. post enarratum colloquium cum Matre habitum de æterna vita Sanctorum, *Interea vix intra quinque dies, aut non multo amplius decubuit febribus*. Deinde pia illa, ac religiosa anima corpore soluta est *die nono ægritudinis suæ*, ut legitur sequenti num. 28. Habes ergo dies alios 14. & Maji 26., tametsi dicas Augustinum sociosque nulla mora interposita, & quasi pervolando iter maturasse ut remearent in patriam. Adde ab Augustino priusquam Romam discederet, fuisse scriptos duos libros, unum *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, alterum *de moribus Manichæorum*, ut constat ex libro I. Retract. cap. 7. quod item aliquot dierum intervallum postulavit. Verum dici potest hos libros conscriptos post mortem matris, eique parentalibus factis mutato consilio Romam rediisse Augustinum, aut quoniam audierat Africam in potestatem Maximi tyranni venisse, aut quoniam jam advenerat tempus, quo decreto Gratiani interdicta erat navigatio, vergente ad finem autumno. Interim ex hactenus discussis ista colligo. Primo Augustinus baptizatus est die 24. Aprilis anno 387. Secundo Monica non obiit eodem anno die 4. Maji. Tertio si Monica eodem anno defuncta est, cum nondum Augustinus exegisset annum ætatis suæ trigesimum tertium; non verno, sed autumnali tempore obiit aut initio mensis Novembris, aut circa eadem tempora, ut cum Pagio ad annum 389. num. 3. censent viri alii præstantissimi. Quarto si Monica decessit die 4. Maji, ut fert vulgaris opinio, omnium fere Martyrologiorum auctoritate, & plurimorum Scriptorum testimonio comprobata; necessum est hujus religiosissimæ mulieris mortem differre ad annum post filii baptismum, idest, ad annum 388. Quarto hoc tantum anno, postquam occisus est Maximus tyrannus, Augustinus in Africam reversus est. His vero statutis, perspicuum & extra controversiam positum est, potuisse Augustinum in suo itinere ad montis Pisani incolas, & Centumcellas divertere, ibique aliquantulum commorari, præsertim quod, ut censent prælaudati viri clarissimi Norisius, & Pagius, Augustinus via Aurelia per Pisas, ac inde distantes M. P. 159. Centumcellas, & Lorium usque iter habuit.

CA-

CAPUT XX.

Ostenditur potuisse Augustinum interea temporis ad Thusciæ Eremitas accedere, nec valide oppugnari Nostrates id asserentes.

DIgressiones itaque S. P. Augustini ad Montem Pisanum & Centumcellas ab omnibus fere Augustinianis Scriptoribus enarratæ oppugnari & commentitiæ demonstrari non possunt aut ex obitu Matris, aut ex ejus itinere, aut ex reditu in Africam: immo ex hisce capitibus apparent admodum probabiles, quum certo certius inveniamus spatium unius anni, & mensium aliquot inter Augustini baptismum, ejusque ex Italia discessum; quo tempore virum solitudinis amantissimum in urbium & civium frequentia habitasse, vix possumus suspicari. Ajunt quidam, Nicolaum Crusenium, Simplicianum a S. Martino, aliosque nostrates conari, ut veritatem hujus traditionis stabiliant *quibusdam versiculis & inscriptionibus*, at Canonicos Regulares illam ratione temporis impugnare. Ita Bollandiani num. 124. & 125. Verum quantum ratio illa temporum infirma sit, commonstrant quæ diximus paulo supra. Inscriptiones, quas viri illi docti commemorant, puto esse quæ apud Eremiticam domum haud procul a Centumcellis leguntur: *Siste viator, sive inquilinus. Eremiticam venerare Domum, venerare Sacellum, ubi præfulgidum illud Ecclesiæ lumen Augustinus Egregium de Trinitate Opus inchoavit, quod mirifico cœlestis pueri juxta Bertholdi littus sibi apparentis oraculo intermissum in Africa tandem senex absolvit.* Ne credas inscriptionem ipsam esse posteriorum temporum, cum fere ob antiquitatem exesa sit, veteribusque characteribus scripta. Quod in ea insuper inscriptione traditur, pervulgata finitimorum persuasione firmatur, necnon perpetua largitione gratiarum, quas referunt devotionis causa ipsam adeuntes Eremum. Reliquum est ergo, ut hæc vulgaris traditio impugnetur momentis, quam sint petita a prædicta ratione temporum, validioribus. Quos autem *versiculos* appellant, sunt versus Baptistæ Mantuani Carmelitæ viri, ut constat ex Epistolis Joannis Pici Mirandulani non solum carmine, sed omnium scientiarum genere excultissimi:

ſimi: qui de ſacris diebus lib. 8. pag. 168. edit. antiquioris cecinit de Auguſtino:

Ergo experrectus, quaſi poſt longa viator
Otia deſidiæ vult damna rependere curſu,
Accinxit Divino operi ferventer, & acri
Sedulitate animum ſtudia ad cœleſtia flexit.
Vivendi normam inſtituit, memoratur Eremum
Incoluiſſe maris Thuſci prope littora Centum
Cellarum quæ viſus erat. Tiberina petivit
Oſtia, & hic mater corpus mortale reliquit.

Vides hos verſus non eſſe Auguſtiniani, neque vulgaris Scriptoris, ex communi fama & patrum memoria expreſſos, nec *verſiculos* quaſi inepti rudeſque ſint, appellandos. Proferunt Noſtrates & carmen Licentii ad Auguſtinum epiſt. inter Auguſtinianas 39. nunc 26. num. 4.

O mihi tranſactos revocet ſi priſtina ſoles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Otia tentantes, & candida jura bonorum
Duximus Italiæ medio, monteſque per altos.

Ut videas quam ingenuus ſim, libenter fateor Pennotto hiſt. Trip. lib. 1. cap. 10. n. 3. his Licentii verbis aperte non ſignificari eremiticam vitam, tametſi ſpernendæ non ſint conjecturæ a Cruſenio, Torellio, aliiſque productæ. Detur ſignificaſſe Licentium, ut Pennottus inquit Philoſophiæ ſtudia ab ipſomet Auguſtino aliquando *Libera otia* lib. 6. Confeſſ. cap. 14. nuncupata: detur id, inquam. At otium, quo vacatur philoſophiæ, & liberrima bonorum jura quæruntur, non eſt virorum iter citiſſimum peragentium, & qui, ſi Pennotto præbeatur aſſenſus, *die octava Aprilis* Mediolani ſuſcepere baptiſmum, *& circa diem vigeſimam primam*, ejuſdem menſis in Oſtiis Tiberinis conſiſtebant. Licentii itaque verbis ſaltim prodigioſa illa Auguſtini itineris acceleratio impugnatur, quam ſupra firmioribus quoque rationibus refutavimus: & qua rejecta nullum adverſariis fulcrum remanet, ut denegantes aliquam Auguſtini in Italia moram, illius in Africam reditum demonſtrent adeo

fuisse sollicitum, ut nullum vel minimum tempus ad Eremitas accedendi possit excogitari. Hi ergo sunt *versiculi*, hæ *inscriptiones*, quibus Augustinianos Eremitas uti asserunt Bollandiani, & quæ innixi supputatione temporum perperam alii jactitant.

CAPUT XXI.

Non allatis duntaxat momentis inniti fratrum nostrorum persuasionem.

VErum optassem, ut viri docti præter *inscriptiones & versiculos*, quos afferunt Eremitæ Augustinenses, alias quoque horum probationes proferrent. Innituntur istæ Veterum traditioni, cujus testes producunt S. Antoninum, Franciscum Petrarcam, necnon Martinum V. Pontificem Maximum serm. de Translatione S. Monicæ. Eo in sermone posteaquam Summus Pontifex ait Monicam cum Augustino Romam Mediolano rediisse, ita prosequitur: *Quo medio tempore Augustinum ferunt sanctorum hominum consilia quæsivisse, quorum præcipue in Thuscia multi fuisse Conventus dicuntur; hodieque apparent apud posteros illorum colloquiorum vestigia. Ac nos cum ex Florentia Romam venimus in agro Senensi, nec sine magna hujus recordationis voluptate per Fratres illos transmisimus, tanquam adhuc vetustissimarum cellularum ac speluncarum vestigia spectaremus.* Scimus a Pennotto etiam hujusmodi sermonem in dubium revocari; sed quæ Pennottus opponit, Torellus ad an. 388. num. 9. & seq. perspicue refellit. Et quoniam ludicra sunt, & alia non egent confutatione, ea prætermittimus re una duntaxat addita, quam Torellus videtur ignorasse: cum enim Pennottus objecisset Patrem Marquezium scripsisse editum Martini V. sermonem anno 1587. typis Romanis apud Joannem Martinelli una cum *Vitis* Fratrum Jordanis de Saxonia, at se librum diligenter lustrasse, & tamen sermonem illum non invenisse; respondit ex Herrera Aloysius Torelli num. 11. sermonem illum impressum Romæ anno 1586. separatim ab opere Beati Jordanis, cujus sermonis apud Marquez duo servabantur exemplaria, & horum unum insertum libro Jordanis. At nos ad

manus

manus habemus non tantum illius sermonis editionem anni 1586. verum etiam editionem alteram anni 1587. ejusdemque typographi Martinellii, qui edidit opus Beati Jordanis, & in uno eodemque volumine complicatum utrumque librum. Ludebat ergo ludum Pennottus ob codicem suum sermone Martini V. destitutum: quemadmodum ludebat affirmans non dici a Venerabili Cæsare Cardinali Baronio sermonem ipsum fætum proprium Pontificis his verbis, quæ habentur in notis ad Martyrologium Romanum die 9. Aprilis pag. 177. editionis Vaticanæ an. 1698. *Translatio S. Monicæ. Facta est a Martino P.V. extatque diploma in registro anno* XIII. *sui Pontificatus. Legimus & sermonem ejusdem Pontificis ad Fratres Augustinianos, quo etiam historia texitur de eadem tum facta translatione, insuper & de miraculis, quæ tunc etiam contigerunt. Est ejus exordium*, Gaudeo mihi quoque, fratres religiosissimi, &c. *Facta est hæc translatio anno* 1430. Quamquam vero abunde ex his constet traditio de Augustino apud Etruriæ Eremitas per aliquantulum temporis diversato; addam nihilominus testimonium viri doctissimi a nostris Scriptoribus prætermissum, scilicet Francisci Mariæ Florentinii Patritii Lucensis, quo nemo accuratius ea, quæ pertinent ad Montis Pisani Eremitas, perlectis vetustioribus Lucani Archivii Scripturis investigavit. Is ergo demonstratis primis illius Eremi cultoribus cap. 9. libri, quem inscripsit, *Hetruscæ pietatis origines*, pag. 118. inquit: *Postremo D. Augustinum in Monte Pisano ad Anachoretas aliquando divertisse supra innuimus, & antiquam hujus rei traditionem extare, testem habemus summum virum Franciscum Petrarcam, de Vit. solit. lib. 2. cap. 5.* Atque inter cetera Pisani montis otio delectatus, & illic Eremitico habitu traxisse moras creditur, & ad loci illius Eremitas liber suo quidem præscriptus est nomine. *Quidquid autem sit de Sermonibus sub Augustini nomine ad Fratres in Eremo, sive adulterini sint, sive ad Eremitas Hipponenses scripti, de mora in Pisano monte testes sunt Breviarium Bracharense in festo D. Augustini lect. 5. & 6. D. Antoninus, & alii plures, quos cumulat Joannes Marquez de Fratrum Eremitanorum origine. Vitam enim Monasticam D. Augustinum in Italia duxisse ex Possidio in ejus Vita aperte deducitur, dum ex Italia ad suos redeuntem Monasticos ritus advexisse fatetur, & ad montes aliquando transfretasse, designatum*

apud Licentium ejusdem Sancti Doctoris discipulum, & Italici itineris socium habemus. Is in carminibus epist. 39. ita ad praeceptorem, dum iterum secum esse anhelat.

O mihi transactos revocet si pristina soles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Otia tentantes, & candida jura bonorum
Duximus Italiæ medio, montesque per altos.

Sicut enim libera otia solitariam vitam innuere videntur, & candida jura bonorum, monachorum regulas, ita Italiæ medium Thusciam designare, montesque per altos Pisanum, sive Eremiticum montem quodammodo demonstrare, non videtur absurdum. Ex monumentis autem Eremitici Ordinis moram Divi Augustini in Pisano monte non ignoravit etiam D. Antoninus, qui parte 3. tit. 24. cap. 14. §. 2. ita inquit. Et cum esset in itinere revertens in Africam, visitavit Eremitas, qui erant in monte Pisano, aliquibus diebus cum eis moram trahens, & alios Eremitas, qui erant in Centumcellis prope Romam &c. *Quo vero tempore D. Augustinus in Monte Pisano fuerit, inquirere non est facile.* Placuit hæc exscribere, ut lector hinc intelligat, a viro isto doctissimo non tantum recipi communem Nostratium traditionem, verum etiam ea, quæ ad hanc firmandam afferuntur, probari. Neque Scriptorem hunc studio erga nos abreptum quis dixerit; cum subinde in Joannem Marquez acuat stilum chronotaxim ejus refellens, & neget quoque pag. 123. Augustinum in Sylva Livalliæ diuturniorem moram traxisse, eamdem sylvam, secus ac nostri fecerunt, a Pisano monte distinguens. Habemus itaque sententiam Augustinensium Eremitarum de Augustini ad Thusciæ Monachos digressione non ab illis confictam, sed ab aliis viris doctissimis traditam, eorumque testimonio ex inveterata traditione manantem; atque, ut opinor, nemini eorum inverisimilem, qui animadvertant sanctum Patrem ex narratione Vitæ Antonii in admirationem & imitationis desiderium vehementer inflammatum, cogitantem quoque refutare Manichæos narratione vitæ, quam in Catholica Ecclesia Monachi agebant, quod fecit priusquam Roma discederet, ad eos qui per Thusciam Antonii monachismum imitabantur accedendi, illorumque instituta percipiendi magna cupiditate exarsisse.

CA-

CAPUT XXII.

De libris ab Augustino scriptis antequam in patriam transmitteret.

DUm Augustinus jam baptizatus Romæ commoraretur labente anno 381. aut anno 388. ineunte scripsit ad reprimendam jactantiam Manichæorum nimium continentiam suam extollentium, duos libros, *unum de moribus Ecclesiæ* Catholicæ, alterum *de moribus Manichæorum*. Id aperte constat ex libro Retract. cap. 7. In priori libro capita 35. comprehendente agit de summo Bono, quod virtute duce consequimur, Deumque auctoritate ac lumine Scripturarum sanctarum vestigandum esse commonet, ea occasione concentu novi ac veteris Testamenti demonstrato ex utriusque præceptis; atque hinc infert eumdem Deum esse utriusque fœderis auctorem, Deum autem malum figmentum hominum delirantium. Ostendit deinde in Catholica veritatem esse, dilectionem Dei, ceterasque virtutes singulis descriptis, ac præsertim commendata Anachoritarum vita, quam opponit fallaci Manichæorum continentiæ. Atque de Anachoritis & Cænobitis cap. 31. num. *65. 66. 67.* & *68.* tam accurate, ac tanta cum laude pertractat; ut qui paulo ante baptismum instituta Monasteriorum ignorabat, ut ipse inquit lib. 8. Confess. cap. *6.* nunc illorum mores describat, & summopere approbet, suam cum Monachis consuetudinem patefaciens. Contra in altero libro Manichæorum vitia insectatur, & postquam ait unde malum ducat originem, Manichæorum ipsorum fabulas de bonis malisve, excogitata ab illis morum signacula, eorum abstinentiam a certis ciborum generibus, portentosa mysteria, & in frumento, oleribus, & leguminibus confictas divinæ substantiæ particulas, aliasque insanias, & horrenda flagitia. In eadem urbe Roma scripsit Augustinus Dialogum *de Quantitate animæ*, qui in recentioribus editionibus locatur post librum *De animæ immortalitate:* in quo dialogo quæstiones sex ab Evodio propositæ diluuntur, nimirum, unde sit anima, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, & cum ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abscesserit! In hoc opere observo cap. 13.

per-

perſpicuam animæ definitionem, quam miramur philoſophos noſtros deſpicere, eam illi, quæ in barbarorum Scholis nata eſt, *Actus corporis phyſici organici potentia vitam habentis*, immerito poſtponentes. Eſt autem Auguſtiniana definitio iſtiuſmodi: *Subſtantia quædam rationis particeps regendo corpori accommodata*. Oſtenditur eodem in libro, cur ex loquela, & cognitione paulatim progrediente non deducantur animorum incrementa, aliæque hujuſmodi quæſtiones explanantur, quæ plurimum pulſare ſolent adoleſcentium ingenia. Tribuitur & in his libris facultas ſentiendi, at non ſcientia, animabus brutorum; quorum primum ægre ferunt qui naturæ opera cum ſtructuris artificum comparant. Scripſit & Auguſtinus cum adhuc Romæ demoraretur librum primum *de libero arbitrio*, at ſecundum & tertium abſolvit Hyppone in Africa jam Presbyter ordinatus. Legito libri primi Retractationum caput nonum. Conſcriptum fuit opus *de libero arbitrio* adverſus Manichæos, atque ad demonſtrandam voluntatis malæ originem, animique, qui in bonum & malum pro ſua optione inclinatur, liberrimam facultatem. Quapropter Pelagiani, ita propugnantes liberum voluntatis arbitrium, ut gratiæ non relinquerent locum, ajebant Auguſtinum hoc in opere cauſam illorum aptitaſſe: At Pelagianorum dicta Auguſtinus citato loco num. 4. ita retundit: *Quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra putant. Voluntas quippe eſt, qua & peccatur, & recte vivitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipſa niſi Dei gratia liberetur a ſervitute, qua facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet adjuvetur; recte pieque vivi a mortalibus non poteſt. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, niſi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, & non eſſet gratia, quæ utique gratis datur. Quod in aliis opuſculis noſtris ſatis egimus, iſtos inimicos hujus gratiæ novos hæreticos refellentes; quamvis & in his libris, qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, ſed contra Manichæos conſcripti ſunt de libero arbitrio, non omnimodo de iſta Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in ſecundo libro, non ſolum magna, ſed etiam minima bona non eſſe poſſe niſi ab illo, a quo ſunt omnia bona, hoc eſt, Deo*. Hæc, aut ſimilia reſpondere debent gratiæ defenſores,

dum

dum illis imperiti quidam Scholaſtici deprompta hinc teſtimonia objectant. Unum hoc in loco dicendum ſupereſt, doctiſſimos ſcilicet Sancti Mauri Patres in nitidiſſima Operum Auguſtini Editione libros *de moribus Catholicæ Eccleſiæ*, *&* *de moribus Manichæorum* poſt librum *de Geneſi contra Manichæos*, & poſt quoſdam alios in Africa exaratos edidiſſe ob rationem, quam producunt in Admonit. ad lectorem tom. 1. col. 688. Verum quia Auguſtinus, ut diximus, affirmat ſcripſiſſe ſe duos illos libros Romæ, eoſque recenſet ante librum *de Animæ Quantitate*; nos quoniam ordinem iſtum ſervavimus, nemo unus reprehendet.

CAPUT XXIII.

Auguſtinum poſtquam remeavit in Africam, egiſſe Monaſticam, ſeu Eremiticam vitam, Scriptores omnes noſtri affirmant, & conantur adſtruere.

PRædictis itaque operibus abſolutis, poſt Maximi tyranni occiſionem anno 388. trucidati, Auguſtinus qui, ut idem ait Confeſſ. 9. cap. 8., habitaturus cum ſociis *placito Sancto* quærebat quiſnam locus eos Deo ſervientes utilius haberet, Africam repetiit, & Carthaginem appulit, ab Innocentio ex-advocato Vicariæ præfecturæ hoſpitio exceptus. Mitto hujus veri miraculoſam curationem a fiſtulis numeroſis atque perplexis, ab ipſomet Auguſtino eleganter deſcriptam libro 22. de Civit. Dei cap. 8. necnon Eulogii rectoris, cui Auguſtinus, vel potius ejus imago, cum adhuc Mediolani ageret, obſcurum quemdam Ciceronis locum dormienti expoſuerat, miram ac prodigioſam enarrationem. Nam Auguſtinus, qui Carthagine ad civitatem Tagaſtenſem patriamque ſuam abiit, illuc nos advocat, ſpectaturos quomodo initum a ſuſcepto baptiſmate, imo a tempore converſionis conſilium ſollicita executione compleverit, Paternos itaque agros, qui ad ſe hæreditario jure ſpectabant, illico vendidit, ac pretium pauperibus erogavit, Antonium Eremitarum ducem ac patrem, cujus exemplum vehementer animum ſuum excitaverat, imitatus, ut diximus ſupra, atque Auguſtinus ipſe teſtatur epiſtola 89. ad Hilarium Syracuſanum, nunc 157. num. 39. In iiſdem agris a ſe alie-

natis,

natis, cum iis, qui secum ex Italia redierant, adhærentibus illi quibusdam aliis, *ferme triennio* vixisse, jejuniis, orationibus, bonisque operibus incumbendo, testis est cap. 3. Sanctus Possidius. In ea quoque societate fuisse individuum Augustini amicum Alipium, Evodium ei Mediolani consociatum, ibique ex seculari in Christi militia accinctum, Adeodatum paulo post in adolescentia denatum, & Severum qui fuit Episcopus Milevitanus, invictis testimoniis petitis ex ipsomet Augustino evincunt doctissimi PP. Sancti Mauri in illius *Vita* lib. 3. cap. 2. Omnia item in illa societate viventibus fuisse communia, testatur cap. 5. Sanctus Possidius; qui commemorato Monasterio, quod Augustinus ordinatus presbyter mox instituit, describit communis & Apostolicæ Vitæ genus, & subjicit: *Quod ipse prius fecerat* (sive ut alii Codices habent) *prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset*. Quæ cum ita sint; visum Nostratibus Sanctissimum Augustinum statim post suum in patriam reditum, & priusquam inter Clericos adscisceretur Monasticam, aut Eremiticam duxisse vitam, ac proinde nos, non vero Canonicos primogenitorum frui jure. Ut enim, inquiunt Nostrates, ea quæ Mediolani, & in Thuscia contigerunt, silentio prætereamus; si Augustinus cum sociis spem omnem fæculi abjecit, si paternis bonis sese exspoliavit, si rem omnem domesticam distribuit pauperibus, si ad agros & extra urbium muros se contulit, si unanimis cum sociis habitavit in domo Domini, si nihil habuit proprii, si orationibus, jejuniis, piisque meditationibus institit die ac nocte: si hæc Augustinus peregit, quemadmodum manifestissimum est peregisse; quid, obsecro, desideratur ulterius, ut Monachus, Eremita, atque imitator Antonii dici debeat? Profecto non video, quid ulterius desideretur, nisi totam Monachi religiosi viri rationem ad formam exterioris habitus reducamus. Ita Nostrates ratiocinantur; num autem recte, an male, meum non est definire. Scio plura in hujus rei confirmationem produxisse nostri Ordinis Apologistas, non tantum qui Augustini vitam ediderunt luadati a nobis n. 1. & qui data opera scripserunt de quibusdam Ordinis provinciis, ut Nicolaus Tombeur, Bonaventura Attardi, aliique; sed etiam complures, qui in hac controversia dirimenda magnam operam impenderunt, integrisque voluminibus Augustinianum Monachismum vindi-

care

care curarunt. Sunt hi, ut quoſdam recenſeam Thomas a Talamello, Hieronymus Coriolanus, Nicolaus Cruſenius, Joſeph Sabbatinius, Joannes Marquez, Thomas de Herrera, Ægidius a Præſentatione, Carolus Moreau, Proſper Stellartius, Emmanuel Legal, Nicolaus Baſianus, Chriſtianus Lupus. Hos luſtrare poterit amator Eremitici Auguſtiniani inſtituti: ego enim quædam ſolummodo attingam, unde poſſit unuſquiſque dignoſcere, memoratos ſcriptores non temere Auguſtinum inter Monachos collocaſſe, neque rationis præſidio prorſus deſtitui: quod pro Hiſtoria hac Litteraria neceſſitate quadam mihi præſtandum eſt, ut qui in hac offenderit Scriptores aliquos Auguſtiniani inſtituti aſſeclas, & quos nonnulli conantur nobis eripere, percipiat non carere probabilitate quod revera vitam duxerint Monachalem, ac proinde e Noſtratium catalogo non eſſe expungendos eam ob cauſam, quod Auguſtinus illorum parens atque inſtitutor fuerit duntaxat Clericus non Eremita.

CAPUT XXIV.

Monachiſmum Auguſtini, præter Auguſtinianos Eremitas, Scriptores alii quamplurimi, ac præſtantiſſimi aſſeruerunt.

ET quidem, nunquid Eremitici tantum Ordinis fratres monachum deprædicant Auguſtinum, ut id a Noſtratibus confictum, novum, commentitium, & fabuloſum debeat exiſtimari? Falluntur profecto qui ita cenſent: nobis enim plurimi ac nobiliſſimi auctores conſentiunt: quorum nonnullos in præſentia laudaturus, nec Eremitanos, nec Canonicos commemorabo, quemadmodum nec aliquos ex eorum numero, qui pro inſtituti ſui antiquitate ac præcedentia, tanquam pro aris fociſque contentioſe hoſtiliterque pugnarunt. Nulli quippe in propria cauſa ſuffragari poteſt ſuimet teſtimonium. Ne autem infinitus ſim ac verboſiſſimus, quoſdam duntaxat producam doctrinæ ac probitatis laude clariſſimos: ac primum ex illorum claſſe, qui Chronica, hiſtoriaſque ediderunt. Itaque Hartmanus Schedel in *Regiſtro* impreſſo Norimbergæ an. 1493. pag. 136. de Auguſtino ſcripſit: *Per Hetruriam tranſiens Sanctos Heremitas apud Piſas inviſit, & Centumcellas non procul ab Urbe. Romæ vero cum Manichæis conflixit; e Roma profectus cum matre veniebat ad Africam:*

cam: & cum esset apud Ostia Tiberina, Monica ex filii conversione gaudio repleta, eum dulcibus alloquitur verbis. Infirmata nono suæ ægritudinis die defuncta & sepulta est. Augustinus cum fratribus suis Carthaginem adnavigavit, patrimonium pauperibus erogavit, & in nemore monasterio extructo secundum regulam ab Apostolis constitutam vivere cæpit. S Antoninus p. 3. Chronic. tit. 24. cap. 14. §. 1. pag. 806. edit. Lugdun. *Cum esset in itinere*, inquit, *revertens ad Africam visitavit Eremitas qui erant in Monte Pisano, aliquibus diebus cum eis moram trahens, & alios Eremitas, qui erant Centumcellis prope Romam.* Ac paucis interjectis, de eodem Augustino ad Episcopatum promoto ait: *Interdum etiam declinabat ad fratres in Eremo habitantes, cum quibus prius conversatus fuerat*, plura subjiciens, quæ Nostratium assertionibus per omnia quadrant. Marcus item Antonius Sabellicus Æn n. VII. lib. 9. pag. 308. edit. Basil. tametsi nolit quæstionem attingere, an primum ab Augustino instituti fuerint Canonici, quos vulgus *Regulares* vocat, an vero nos, qui ab Eremo nomen ferimus, hæc tamen paulo post mandat litteris: *Multi mortales Augustino adhuc in humanis agente, sanctitatem viri singularemque doctrinam secuti, omnibus, quæ in terris miramur, contemptis in Eremum concessere, unde Eremitarum est nomen, ut arbitror deductum: nam hoc quoque parum liquido traditur.* Quæ postrema verba ad originem nominis *Eremitarum*, non ad Ordinis nostri primordia, certissime sunt referenda: maxime, quod paulo post Sabellicus inter Scriptores nostros connumerat, *Nepotianum*, *Possidium*, *& Orosium*, quos constat Augustini temporibus floruisse. Franciscus Petrarcha cujus paulo supra ex Florentinio quædam exscripsi lib. 2. de Vita solitaria cap. 5. pag. 293. edit. Basil. sic loquitur: *Ille ergo*, scilicet Augustinus, *cum ignarus omnium, quæ erga se clam divina pietas ageret, Mediolanum veniens, ubi tunc sacer florebat Ambrosius, vitam tandem mutare decrevisset, civitate relicta, solitudinem ruris appetiit, ut qui cum multis insaniebat, solus resipisceret. Caseatum vocat ipse, & id manet hactenus ruri nomen: quin etiam ipso die, quo primum hoc sancto desiderio exarsit, in civitate positus, in illis fluctuantis animi procellis, per quas consilii navigium regente Deo ad terram viventium, & ad portum salutis applicuit, quid egerit, qualiterve se gesserit, eodem ipso narrante cognovimus. Certe non processit*

in publicum, neque populi concionem classico advocans, quid acturus esset exposuit, sed dimisso socio fidissimo, consurgens, eo quod ut ipse ait solitudo sibi ad negotium flendi aptior suggereretur, & secedens remotius, quam ut posset ei onerosa esse etiam talis amici præsentia, quod unum loci qualitas ac temporis permittebat, secretum horti angulum pro solitudine habuit. Ubi amarissime secum loquens, inter singultus & lacrymas, inter vulsum capillum perculsamque frontem, & consertis digitis amplexum genu, & quæcunque magnus ac sanctus dolor elicit, tandem semel de se statuit, unde in perpetuum exultaret. Denique per omnem vitam solitariis & quietis locis, atque inter cetera Pisani montis otio delectatus, & illic heremitico habitu traxisse moras creditur, & ad loci illius heremitas liber suo quidem perscriptus est nomine. Ceterum de hac re, quia non vacat infinita nunc hominis illius scripta revolvere, unico ejus quod occurrit brevi utique, sed aperto testimonio contentus ero. Is ergo Evangelium Joannis exponens, Difficile est, inquit, in turba videre Jesum, solitudo quædam necessaria est menti nostræ, quadam solitudine intentionis videtur Deus, turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. Exscribenda autem mihi hæc omnia erant, cum ad lectoris animum eloquentissimi hujus Scriptoris narratione aliquantisper recreandum, tum quia de heremitico Augustini habitu communiorem ævo suo persuasionem commemorant, Augustini autem erga solitariam & heremiticam vitam vehementissimum desiderium, non tantum laudent, sed ita describant, ut sub oculos illud ponere videantur. Et quod immortale illud Etruriæ decus retulit ex communi tunc vigente sententia, ut plane exploratum enarrat percelebris Chronicorum auctor ad Cosmum Florentinorum Ducem, quæ Venetis typis prodiere an. 1553. scilicet, Marcus Guazzius: cujus pag. 1352 hæc sunt verba: *Avendo venduti tutti i paterni beni Santo Agostino, ed edificato in Africa non molto lontano dalla Città Ipponense, in un Eremo un Monastero, ed abitandolo con molti religiosi, ebbe principio a questo modo l'ordine Eremitano da quel Monastero fatto nell' Eremo, e per suoi esempi per l'Africa molti altri Monasterj furono fatti, ec.* Verum ne Scriptores omnes persequar, qui historias universim collegerunt; descendam ad clarissimum Ecclesiasticorum Annalium Parentem Venerabilem Cæsarem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Baronium.

nium. Is ad annum 389. num. 10. ſcribit; *Rediens una cum ſociis Alipio & Evodio in patriam, quem condixerant vitæ ſtatum, cum adhuc in Italia eſſent, exercere cæperunt. Secedentes enim rus ibidem triennio permanſere; & quibus exercitiis? Ait Poſſidius, &c.* Hoc in loco non niſi generali quadam expreſſione Baronius Auguſtini Monachiſmum delineat; ſed illius ſtatus conditionem expreſſius commonſtrat ad an. 391. n. 23. his verbis: *Igitur S. Auguſtinus primus fuit, qui monaſticæ vitæ inſtituta invexit in Africam, eademque primus ſervare cœpit, aliiſque ſervanda tradidit: inde accidit, ut Donatiſtæ putarint ejuſmodi vitæ genus ab ipſo fuiſſe excogitatum: nam ſic ipſe adverſus Petilianum:* Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum; arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit inſtitutum; quod hoc genus vitæ omnino quale ſit neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit. *Evexerat ipſe ex Italia ejuſmodi vivendi formam: viderat enim (quod ipſe teſtatur) apud Mediolanenſem Civitatem nobile Monaſterium; conſpexerat & Romæ plura eademque peregregia, quæ tanquam beatorum civium choros laudavit: quam quidem diſciplinam æmulatus in Africana Eccleſia quamprimum inſtituere conatus eſt; ſenſit vero his in primis hæreticos adverſarios, nempe Donatiſtas, de quibus etiam ſuperius dictum eſt. Ceterum jam ante presbyteratum adhuc laicus una cum ſuis ſociis, de quibus diximus, idem vitæ genus in Africa excoluerat apud Tagaſten.* Ad annum quoque 395. num. 50. productis quibuſdam S. Paulini ad Alipium litteris inferius commemorandis, ita Baronius loquitur: *Porro ex ejuſdem Paulini redditis ad Alipium litteris illud quoque memoria dignum compertum habetur, Monachiſmum in Africa, quem ex Italia Auguſtinus patrium ſolum repetens ante ſex annos illuc primus invexerat, jam longe lateque fuiſſe propagatione diffuſum.* Henricus quoque Spondanus ad an. 391. num. 3. ſcribit: *Quod vero idem Auguſtinus primus Monaſticæ vitæ inſtituta, quæ in Italia didicerat, invexiſſet in Africam, conſtructis illic monaſteriis tam Virorum quam feminarum, eademque pariter primus ipſe ſervare cæpiſſet; inde accidit ut Donatiſtæ, vel ipſum Monachi nomen execrantes, invidenteſque Monaſticæ vitæ per totam Africam propagationem, eumdem Auguſtinum inſimulaverint, quaſi ejus generis vitæ auctorem.* Claudat horum agmen Alexander Natalis, qui in Hiſt. Eccl. ſæ-

ſæculi v. cap. *6.* art. 3. etſi diſputare non vult an Auguſtinus Monachus fuerit aliquando, imo afferat nunquam in Eremum ſeceſſiſſe, neque cum Eremitis vixiſſe, cenſeatque Epiſcopum nunquam inceſſiſſe cucullatum; tamen ait certiſſimum eſſe ab illo inſtitutum fuiſſe ordinem Monachorum, ſcribens: *Monachorum namque primum, deinde Clericorum regularium ipſum Patrem fuiſſe, colligitur ex Poſſidio Calamenſi Epiſcopo in ejus vita. Monaſterium Monachorum presbyter inſtituit in horto Eccleſiæ, quem ipſi eum in finem dederat Valerius. Monaſterium Clericorum jam Epiſcopus inſtituit in domo Epiſcopali.* Et proximo articulo 4. *Monachorum Pater in Africa fuit S. Auguſtinus ſæculo quinto, quo vivente plura cum virorum, tum mulierum inibi ſunt inſtituta monaſteria.* Auguſtinum vero nunquam cum Eremitis vixiſſe Natalis colligit ex quo lib. 10. Confeſſ. cap. ultimo Auguſtinus ipſe teſtetur Dominum ſibi prohibuiſſe *ne fugeret in ſolitudinem*; & abſque cuculla inceſſiſſe colligit ex ſerm. 52. de diverſis, in quo byrri, lineæque veſtis fit mentio. Verum, ut nil interim dicam de habitu, quem Auguſtinus gerebat Epiſcopus, & quando ſermonem illum conſcripſit, de qua re nonnulla attingam poſtmodum, ſolitudinem, quam Auguſtinus meditabatur, & de qua loquitur libro Confeſſionum 10. n. 70. non erat Cœnobitica & cum ſociis extra urbes conſuetudo, ſed ſolitarius receſſus, atque ab omnium hominum conſortio perpetua quædam ſegregatio; cum ſociis enim extra civitates, atque in agris vitam duxiſſe Mediolani & Tagaſte, a nemine in dubium vertitur. Præterea quæ de fuga in ſolitudinem dicta ſunt, videntur ad illud tempus referenda eſſe, in quo ad ſacras ordinationes compulſus Hyppone regio demorabatur, atque priſtinam vitæ rationem excogitans, domicilium illud urbanum ægre ferebat, in quo non tantum cum Monachis Deo ſervire, ſed etiam demandata ſibi ab Epiſcopo munia exercere debebat. Quare doctiſſimi PP. Sancti Mauri quæ lib. 10. Confeſſ. cap. ult. ab Auguſtino dicuntur, narrant lib. 4. illius Vitæ cap. 2. num. 2. poſteaquam ejus ad presbyteratum imo ad Epiſcopatus dignitatem præmiſerant promotionem. Verum ut ut ſit, habemus etiam Alexandrum Natalem agnoſcere Auguſtinum Monachorum parentem una cum aliis Hiſtoricis præſtantiſſimis, quorum nonnullos hactenus laudavi.

CA-

CAPUT XXV.

Scriptorum aliorum testimonia apertissima producuntur.

HOrum classi nonnullos addamus ex illorum genere, qui pertractarunt de origine religiosarum familiarum. Inter quos Aubertus Miræus in libro, quem edidit de origine Canonicorum Regularium, impresso Colon. Agrippinæ anno 1614. pag. 8. *Augustinus* (inquit) *eam sibi vitam delegit, quæ Monachica vocabatur: quod institutum jam, ut facile credi potest, a Sancto Simpliciano Monacho, qui eum de Christiana Religione plurimum erudiit, Mediolani hauserat.* Neque id Miræus affirmat tantum, verum etiam iisdem ferme momentis, quibus Nostrates utuntur, commonstrat. Et pag. 17. enumerans Ordines Religiosorum virorum sub Augustino militantium, ait: *Ordo Eremitarum Conventualium S. Augustini per universum orbem Christianum diffusus, circa annum 390. primum in Italia, & postea in Africa a S. Augustino institutus, ut volunt.* Postremas autem particulas, *ut volunt*, ne referas ad aliorum duntaxat opinionem, faciunt quæ præmissa sunt ex pag. 8. Vide eumdem Scriptorem lib. 3. Monast. Orig. cap. 13. Accedit Paulus Morigia Mediolanensis Ordinis Jesuatorum hæc in Historia Religionum omnium, Italico Sermone conscripta cap. 17. pag. 42. Ven. Edit. scribens de Augustino: *Giunto che fu a Tegasto sua patria comincià a vendere i beni paterni, e dargli a' poveri: e fatto questo si fece dare un certo Orto dal Vescovo de Hippone, alquanto dalla Città lontano, e quivi fabbricò un Monasterio, nel quale con gli suoi amici viveva in ogni santità di vita, secondo l' ordine della primitiva Chiesa: Perilchè con questo esempio molti Frati è Romiti dispersi s' adunavano attorno lui ec.* Et in Catalogo Ordinum eidem operi prope finem adjecto. *L' Ordine Romitano Conventuale, il quale principiò l' anno 394.* Joannes Mabillon, cujus unius testimonium plurimorum auctoritati æquivalet, lib. 1. Annal. Benedict. n. 10. *S. Augustinus* (inquit) *Ambrosii exemplo, monasticum institutum in Africa non solum excoluit sed etiam magnopere propagavit: quod ipsi vitio vertit Petilianus. Immo hujus instituti defensionem adversus Circumcelliones suscepit, quod Chrysostomus in Oriente jam*

præ-

præstiterat. *Idem Augustinus alibi meminit Monasteriorum, quæ apud Carthaginem esse cœperunt*. *Ejusdem S. Doctoris in Psalmum tricesimum sextum expositione lecta, ad deserendum sæculum inductus est beatus Fulgentius illustris ille Ruspensis Episcopus. ut in ejus Vita legitur*. Idem afferit in Præfat. ad Acta SS. ejusdem Ordinis Lucas de Achens pag. viij. Ut iis addamus aliquos ex iis, qui de Rebus ab Augustino gestis egerunt, sive ejusdem S. Patris vitam elucubrarunt, ut interim mittam Sanctum Possidium, de quo rursus agendum erit. Petrus Rebadeneyra Societatis Jesu in Vita Augustini ex Hispanica in Italicam linguam translata pag. 128. Ven. Edit. de monasterio, quod Possidius commemorat initio cap. 5. ad hunc loquitur modum. *Questo è il primo Monasterio di Monaci, che Dio fondò in Afrrica per mezzo del gran Padre S. Agostino, e perchè parve cosa nuova in quella Provincia, gli Eretici Donatisti, credendo che egli fosse il primo inventore di quella Vita Religiosa mormoravano di lui, come inimici d'ogni religione è virtù; ma s'ingannavano grandemente gli Eretici, stimando che Sant' Agostino fosse il primo inventore di questa Santa Religione. Perchè lasciando gli innumerabili Monasterj che erano nell' Egitto, nella Palestina, è in altre parti dell' Oriente, già in Roma, e in Milano ve n' erano molti, i quali vidde S. Agostino, e conoscendo la santità, con la quale si vivea in essi, gli trasportò in Africa*. Similia alii, qui Sanctorum Vitas ediderunt. Hos inter commemorandi mihi sunt doctissimi Patres S. Mauri, qui in Vita Augustini lib. 3. cap. 4. n. 1. inquiunt: *Triennium ferme jam effluxerat, ex quo Augustinus more ac instituto Monachorum cum sociis in Tagastensi secessu vivebat*. Et cap. 5. *Veri non videtur simile, & eum circiter tres annos in secessu monasticæ vitæ exercitiis cum Servis Dei vacantem caruisse monasterio, & illud Thagastense monasterium, cujus incolis anno trecentesimo nonagesimo quarto salutem precatus est Paulinos, quovis alio potius, quam Augustino fundatore erectum*.

CAPUT XXVI.

Monasticam vitam Augustinum duxisse, tradunt quoque Jurisconsulti, & Theologi praeclarissimi.

EX Historicis ad Jurisperitos gradum faciamus; nam & hi censent Augustinum fuisse Monachorum patrem, & Eremiticam duxisse Vitam. Etenim Bartholomaeus Cassanaeus Burgundiensis Senatus Preses clarissimus lib. 4. libri, cui titulu Catalogus Gloriae mundi, num. 71. pag. 121. Edit. Francf. inquit. *Sunt & alii Mendicantes, qui dicuntur Eremitae S. Augustini. Et licet isti effecti fuerint mendicantes ex aliqua consuetudine, & praescriptioue longissima, sicut fuerunt Carmelitae, tamen debent praecedere Minores, cum sint instituti a digniore videlicet ab Augustino, qui fuit dignior Francisco. Ac paucis interjectis: Merito ergo, quod institutio Ordinis S. Augustini sit ante Franciscum, de quo sunt praedicti Eremitae, qui etiam videntur habuisse initium ante Augustinum: sed tamen sine dubio sunt ab eo approbati, & reformati &c.* Producit hujus viri testimonia Jurisconsultus alius percelebris Joannes Baptista Valenzuela Velasquez tom. 1. Consiliorum Consil. 1. ubi de Ordinis nostri praeeminentia fuse pertractat; & innumeris aliis auctoribus laudatis num. 74. ait quoque Augustini institutum ac Regulam *confirmatam a Valerio illius praedecessore circa annum 391.* citans & Villegam id asserentem in Vita Augustini, ac proximo num. 76. addit approbasse quoque eamdem Regulam Sanctum Innocentium primum, ut inquit Illescas in Historia Pontificali p. 1. lib. 2. cap. 9. Legito hunc Scriptorem citato in loco a pagina 2. usqne ad 9. editionis Lugdunensis. His assentitur Augustinus Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiastici Universi cap. 41. a num. 88. usque ad 94. pag. 543. & seq. Lugdunensis Editionis. Ex illorum quoque numero, qui de Re Theologica ediderunt lucubrationes, aliqui sunt proferendi. Horum principem locum teneat Doctor Angelicus, qui 2. 2. q. 184. art. 8. pag. 445. Tom. XI. p. 2. citata Epistola Augustini ad Aurelium, productisque illis verbis. *Bonus Monachus aliquando vix bonum clericum facit* inquit: *Paulo ante praemittit non esse viam dandam Servis Dei, idest Monachis*; ac postea S. Thomas

mas præcedentem comparationem inter Monachos Clericosque ita explicat, quod Clerici Monachis Clericali charactere non initiatis præstent quoad ordinem & officium, at non quantum ad religionem, rerumque sæcularium contemptum. Quo in loco etsi S. Thomas non afferat Augustinum fuisse Monachum, censet tamen Monachos ab Augustino designari nomine *servorum Dei*. Ac revera eo nomine significari Monasticæ vitæ addictos, tum ratio nominis evincit, quæ commonstrat viros studio serviendi Deo mancipatos, atque ea de causa segregatos ab hominum sæcularium cætu, tum argumenta illa confirmant, quæ p. I. Vindiciarum q. 7. produxit Carolus Moreau. A quibus abstinendum puto, quoniam Augustinus ipse *servos Dei* Monachos appellari luculenter declarat Epist. 70. ad Bonifacium Comitem, nunc 220. num. 3. scribens: *Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua Servi Dei Monachi vivunt*. Quare cum Augustinus statim a suscepto regenerationis Sacramento fuerit inter *servos Dei* cooptatus, ut constat ex nono Confessionum libro cap. 10. num. 26.; ex præmissis beatissimi Thomæ verbis legitima consecutione potest inferri Augustinum fuisse Monachum. Verum quod ex sola illatione ex S. Thoma deduximus, affirmat, demonstratque tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 8. illustris Theologus Franciscus Suarez: qui num. 2. assertionem hanc statuit: *Primo ergo probabilius existimo beatum Augustinum statim a principio conversionis suæ religiosam vitam professum fuisse*; eaque assertione sua momentis plurimis demonstrata, alteram statuit hisce verbis num. 10. *Dico secundo Augustinum reversum in Africam, priusquam Presbyter fieret, Monachum fuisse, & in proprio Monasterio Monachos congregasse & instituisse*. Tertiam item assertionem ponit n. 14. *Dico ergo tertio Augustinum pro suis Monachis regulam illam, quam Ecclesia sub nomine suo recepit, & probavit, edidisse*: ac num. 20. quartam ac postremam hanc statuit: *Dico quarto religionem illam Monachorum ita fundatam, & optima regula instructam, & Episcopali auctoritate probatam vivente Augustino, in Africa propagatam fuisse*. Atque assertiones has quatuor Doctor eximius Suaresius firmare adnititur multiplici genere argumentorum. Quamobrem sanctissimæ, doctissimæque Societatis Jesu Theologis eo quoque nomine refero gratias plu-

H rimas,

rimas, quod maximi, ac præstantissimi illorum tam aperte Augustini Monachismum tradiderint. Neque enim pro illo pugnagnavit duntaxat percelebris Suaresius, sed etiam illi, quos superius commemoravi, Valentia, Torrensis, Maturus, Rebadeneyra. His adde Joannem Azorium lib. 12. Institut. Moralium cap. 23. pag. 1579. partis I. edit. Romanæ, necnon Hieronymum de Higuerra in Opere hispanice edito de antiquis Familiæ nostræ monumentis, Hieronymum Plati de Bono status Religiosi lib. 2. cap. 22. & 25. & Ludovicum Cellotium lib. v. Hierarchiæ cap. 9. De quo cum Joannes Baptista Meleganis Canonicus Regularis scripserit illum in iis, quæ prolixe & late disseruit de Eremitico Ordine immediate ab ipso Sancto Patre Augustino, degenerasse *a more Sacræ Societatis Jesu*, ut observarunt Bollandistæ tom. 6. Augusti pag. 253. sive in Commentario prævio num. 212. refelli poterat ac debebat exemplo illorum, quos laudavimus, idest, Suaresii, Valentiæ, Azorii, Torrensis, Maturi, Ribadeneyræ, aliorumque, quorum omnium nomen proferre nimium longum foret.ac tædiosum; nisi viri illi præstantissimi satius duxissent nullum aut nobis, aut Canonicis præjudicium afferre, atque a contentiosis vetustisque dissidiis supersedere. Nos interim ex prædictorum auctorum testimonis hoc unum colligimus, Augustinianos Eremitas appellantes Augustinum institutorem patremque suum, non temere, atque ex suorum fallaci opinione ad ipsummet Augustinum originem referre suam, sed id agere doctissimis aliis Viris annuentibus: quorum Nostratibus universis seclusis, ex Historicorum, Jureconsultorum, atque Theologorum classibus nonnullos hactenus laudavimus.

CAPUT XXVII.

Sanctorum Possidii, & Paulini testimonium producitur.

VErum etsi aliorum omnium destitueremur patrocinio, maximum proculdubio præsidium nobis afferret Sanctorum Possidii, & Paulini irrefragabile testimonium. Ac in Possidio quidem legimus cap. 5. Vitæ Augustini quæ sequuntur: *Factus ergo Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit: & cum Dei servis vivere cœpit secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* Fortassis erunt, qui culpare audeant Nostrates Possidii verba quod in Breviario Ordinis immutaverint ad hunc modum *Monasterium Monachorum mox instituit*, vocabulo, quod apud Possidium non legitur, adjecto. Verum etiamsi hoc Monasterium *Clericorum* fuisset, quod falsum omnino est; nulla ratione hinc inferretur, aliud antiquius Monachorum Monasterium non extitisse. Etenim inverisimile est Augustinum, sociosque Deo servientes per triennium, quo in agro Tagastensi morati sunt, priusquam S. Pater anno 391. Hipponem Regium proficisceretur, & raperetur ad Sacros Ordines, omni prorsus Monasterio caruisse, ut sub finem præcedentis num. 25. diximus cum Patribus Sancti Mauri. Et revera Augustinus non alia ratione Hipponem advenit, nisi ut juvenem quemdam secum ad Monasterium perduceret, qua occasione a populo apprehensus, reluctans atque invitus factus est Presbyter: quod ipse narrat Sermone 355. num. 2. *Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in Monasterio; quasi securus, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus Presbyter factus sum, & per hunc gradum perveni ad Episcopatum.* Ad quale autem *Monasterium* Augustinus optabat amicum pertrahere, si nullum nondum construxerat? aut si Monasterium aliquod ædificatum jam erat, quodnam, oro, illud erat, nisi Tagastense, & quidem Monachorum, quum Augustinus nondum initiatus esset Ordinis Sacramento? Præclare itaque Suaresius citato cap. 8. num. 11. *Habebat ergo jam Monasterium, in quo cum fratribus religiosam vi-*

tam agebat, *ad quam amicum adducere cupiebat*, *& hoc vocat lucrari illum Deo*. Adde quod Monasterium Tagastense commemoratur a Paulino, ut dicam paulo infra. Igitur etsi daremus Monasterium illud a Possidio memoratum fuisse *Clericorum*; non inde tamen sequeretur, non extitisse Monasterium aliud antiquius Eremitarum, seu Monachorum. At revera Possidius Monasterium Monachorum delineat, præter quod aliud Clericorum ab Augustino jam Episcopo ædificatum ultro libenterque fatemur. Et quidem laudatum Monasterium fuisse Monachorum, principio nomen ipsum demonstrat; est enim absque additamento enuntiatum, saltim in propria ac pressa significatione, *Monasterium* idem ac domicilium & habitaculum Monachorum, & ipsemet Augustinus in præcitato Sermone illud a Monasterio Clericorum erecto in domo Episcopi aperte secernit, unum simpliciter & absolute *Monasterium*, aliud vero cum addito *Monasterium Clericorum* appellans, ut dicam paulo infra. Deinde Possidius eo in Monasterio cum *Servis Dei* Augustinum vitam illam duxisse affirmat, quam antea agere cæperat *dum de transmarinis ad sua remeasset*, quando utique Clericus nondum erat. Præter hæc idcirco Augustinus jam Presbyter Monasterium instituit, quoniam assuetus vitæ Monasticæ raptusque præter animi sui antiquam deliberationem ad Ordinem munusque Presbyteri, ægre ferebat divelli se a fratrum Tagastensium consortio, & desiderio illorum ardentissimo tenebatur; ideoque Valerius Episcopus hortum Ecclesiæ proximum dono illi dedit, ut ibidem Monasterio constructo, collectisque sodalibus teneret simul Monachalis vitæ institutum, atque Presbyteri ministerium impleret. *Et quia* (ait S. Pater citato Sermone 355. alias 1. de communi vita Clericorum) *hoc disponebam in Monasterio esse cum fratribus*, *cognito instituto*, *& voluntate mea*, *beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum*, *in quo nunc est Monasterium*. Insuper hujus Monasterii diversam institutionem ab illo, quod ex Clericis erexit in Episcopio, aperte Augustinus demonstrat in eodem Sermone, dicens ideo Monasterium hoc postremum ex Clericis, qui communem vitam ducerent, fuisse institutum, ut eorumdem Clericorum ope hospitium ad se venientibus exhiberet; quod fieri non poterat in Monasterio altero in quo Monachi orationibus, & cœle-

stium

ſtium rerum contemplationi inſiſtebant. *Perveni* (inquit) *ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus, ſive tranſeuntibus, quod ſi non feciſſem Epiſcopus inhumanus dicerer; ſi autem conſuetudo iſta in* MONASTERIO *permiſſa eſſet, indecens eſſet, & ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi* MONASTERIUM CLERICORUM. Audiatur rurſus Franciſcus Suarez citato in loco: *Non ergo ædificavit Auguſtinus intra Eccleſiam* (dicendum erat in domo Epiſcopi, nam intra Eccleſiam (a) dicitur a Poſſidio ædificatum Monaſterium horti, quia hortus a Valerio conceſſus pertinebat ad Hipponenſem Eccleſiam, eique erat proximus) „ Monaſterium niſi jam factus Epiſco- „ pus, & tunc non ſine cauſa explicat fuiſſe Monaſterium „ Clericorum, indicans prius fuiſſe Monaſterium Monacho- „ rum, ſeu Laicorum. Significat etiam diverſa fuiſſe illorum „ inſtituta; nam de primo ait non decuiſſe admittere in eo „ conſuetudinem habendi frequenter hoſpites. De ſecundo „ vero ſupponit non habuiſſe talem indecentiam, nam ad „ hunc finem illud conſtruxit; erat ergo primum rigidioris „ vitæ ſolitariæ & contemplativæ, ejuſdem nimirum inſtitu- „ ti cum alio prius conſtructo in loco a civitate remoto. „ Aliud vero licet vere religioſum eſſet, erat tamen vitæ, „ ut ſic dicam, humanioris, ad hoſpitalitatem accomodatæ, „ & ad miniſteria Epiſcoporum, & proximorum. „ Hactenus Suareſius. Lege & virum hujus ævi eruditum ac doctum Gundiſalvum Carratinum Ord. Præd. diſſ. 4. de Vita Clauſtrali pag. 85. & 86. Quum itaque S. Poſſidius præcitato in loco Monaſterium Monachorum ſignificaverit, jure meritoque Auguſtinenſium Eremitarum Familia in Eccleſiaſtico Officio legit, *Monaſterium Monachorum mox inſtituit*, vocabulo addito, quod in Monaſterii nomine continetur, ſenſumque verborum legitimum non corrumpit, ſed explicat. Hujus vero Monaſterii Hipponenſis, ſicuti Tagaſtenſis illius, quod affirmavimus prius fuiſſe conſtructum, necnon Carthaginenſis ædificati aut cum primum

(a) *De illis verbis Poſſidii*, intra Eccleſiam *legendus Nicolaus Cruſenius in Monaſtico cap.* 8. *& Chriſt. Lupus de Origine Eremit. cap.* 4.

mum Augustinus rediit in Africam, aut postquam bonis omnibus abdicatis, quæ paterna hæreditate acquisiverat, propagando Monastico Ordini totum se dederat, meminit S. Paulinus in epistola ad Alipium data ante annum 395. inter Augustinianas 39. modo 24. num. 6. in qua etiam a Clericis Deo servientibus in Ecclesia, haud obscure secernit Monachos degentes in Monasteriis. Paulini verba isthæc sunt: *Benedictos Sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres* (*si dignantur*) *nostros, tam in Ecclesiis, quam in Monasteriis, Carthagine, Tagaste, Hippone-regio, & totis Parochiis tuis atque omnibus cognitis tibi per Africam locis Domino Catholice servientes, multo affectu & obsequio salutari rogamus*. Atque ex hisce Paulini litteris non Augustiniani Eremitæ tantummodo, verum & Venerabilis Dei famulus Cardinalis Baronius, ut ostendimus num. 24. necnon Patres Sancti Mauri, ut diximus num. 25. aliique permulti collegerunt, jam a prædicto anno 395. per Africam duce atque institutore Augustino, Institutum Monasticum longe lateque fuisse diffusum. Quod ampliori quoque Scriptorum numero, etiam sanctitate præstantium, atque ex vetusto Bracharensis Ecclesiæ Breviario, aliisque munimentis, quæ Nostrates produxerunt in præsentia confirmarem, nisi res agenda esset compendio, atque facilius ex solo Augustino non posset veritas comprobari.

CAPUT XXVIII.

Quomodo ex ipsomet Augustino prælaudati Scriptores probare nitantur institutionem ejus Monasticam.

HOc autem in loco non producam ea omnia S. P. Augustini testimonia, quæ a Nostratibus proferuntur, ac præsertim a viro clarissimo atque ornatissimo Christiano Lupo; sed quædam dumtaxat magis obvia, & quæ a viris quoque extra familiam nostram producta sunt, Baronio, Suaresio, Cellotio, Maturio, Miræo, Hieronymo Torrensi, aliisque superius commemoratis. Locus itaque primus est, quem sup. num. 26. recitavimus ex sermone 355. Alter petitur ex epistola 157. ad Hilarium, de qua itidem agimus num. 13. Tertius depromitur ex lib. 3. contra Petilianum cap. 40., de quo

ſupra num. 24. audivimus ratiocinantem Annalium Eccleſiaſticorum parentem. Hæc tria loca, quoniam allata ſuperius fuerunt, nunc repetere ſupervacaneum eſſe reor. Locus quartus deſumitur ex epiſtola 48. alias 81. ad Eudoxium Abbatem Monachorum inſulæ Caprariæ: in qua non ſolum Monachos illos *Fratres* appellat, & cum illis effici a ſe *unum corpus* affirmat, quod utique Chriſtianæ neceſſitudinis indicium eſt; ſed ulterius eos exhortans ut otio ad pietatem utantur, ſignificat propoſitam ſibi ſpem eſſe, facturos illos quæ ſcribit, permotos quoque ſuæ *allocutionis memoria*; quæ, maxime in viro ſumma prædito humilitate, illum oſtendunt eidem Inſtituto addictiſſimum, atque eorumdem Monachorum ſive Inſtitutorem, ſive ſodalem. Quintus extat in epiſtola 76. num. 60. ad Aurelium, qui ob Clericorum inopiam, qua laborabant Africanæ, provinciæ, promovebat ad Clericatum Monachos etiam transfugas: in qua epiſtola de quodam Donato, alioque fratre, qui ſe invito receſſerant de monaſterio, Aurelium monuit, ne facile illis, aliiſque Monachis ad Clericalem gradum præberet acceſſum; quoniam id Monachorum lapſui aditum aperiebat, & ſi ad ruinoſam ſuperbiam ipſi Monachi erigerentur, proculdubio afficerentur injuria etiam Clerici, in quorum numero ipſemet Auguſtinus jam erat, ex Monacho a Valerio Hipponenſi Epiſcopo Presbyter factus. Hinc intelligimus Donatum, aliumque fratrem ex Hipponenſi monaſterio, cui præerat Auguſtinus nondum Epiſcopus fugam arripuiſſe, illoſque nondum fuiſſe Clericos res eſt apertiſſima, ſiquidem monetur Aurelius, ut caute illos, alioſque Monachos aſſumat in Clerum. „ Nunc vero (verba ſunt Auguſtini Aurelium alloquentis) „ legi epiſtolam benignitatis tuæ de Donato, & fratre ejus „ & quid reſponderem diu fluctuavi. Sed tamen etiam, atque „ etiam cogitanti quid ſit utile ſaluti eorum, quibus in Chri„ ſto nutriendis ſervimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, „ niſi non eſſe iſtam viam dandam ſervis Dei, ut ſe facilius „ putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores. „ Et ipſis enim facilis lapſus, & ordini Clericorum fit indi„ gniſſima injuria, ſi deſertores monaſteriorum ad militiam „ Clericatus eligantur, cum ex his, qui in monaſterio per„ manent, non tamen niſi probatiores atque meliores in Cle„ rum aſſumere ſoleamus; niſi forte ſicut vulgares dicunt,

„ Ma-

„ Malus choraula bonus ſymphoniacus eſt: ita iidem ipſi vul„ gares de nobis jocabuntur dicentes, Malus Monachus bonus „ Clericus eſt . „ Petitur ſextus locus ex enarrat. in Pſalmum 132. ubi quod Petilianus , aliique Donatiſtæ adverſus Monachos, ut ſupra dictum eſt, jactabant, ipſum Auguſtinum arguendo, quod hoc genus vitæ inſtituerit, prolixa diſſertatione refellens , nequaquam negat ſe illorum Monachorum eſſe parentem, a ſe illos in Africam fuiſſe invectos , ſuique ſtudio per Africam propagatos, ſed a ſe Donatiſtarum convicia , & contumelias nervoſa oratione repellit, & num. 6. inquit: *Quid ergo dicunt illi , qui nobis de nomine Monachorum inſultant ?* Ac paulo poſt : *Hi etiam inſultare nobis audent , quia fratres cum vident homines , Deo gratias dicunt* . Vox Monachorum , ut obſervant PP S. Mauri in notis ibidem, & etiamnum uſurpata . Ac paulo poſt Auguſtinus : *Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cum dicat Pſalmus, Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum* . Et rurſus Monachi nomine , ejuſque derivatione ex Græco Μόνος explicatis , *Reſpondeant nobis , & reſpondeant , qui inſultant nomini Monachorum?* aliaque plura, quibus haud obſcure ſignificat , ſe nomen illud vindicare , quo & ipſe appellabatur , atque inſultationes in Monachos tanquam in ſeipſum jactatas retundere : Septimus locus depromitur ex libro 22. de Civit. Dei cap. 8. num. 3. ubi ſe atque Alipium , quem fratrem ſuum vocat ob ſingularem benevolentiam , ejuſdemque vitæ rationem , appellat *Deo ſervientes*, priuſquam aſſumerentur in Clerum . Locus octavus occurrit in Regula ad ſervos Dei (de qua tamen variæ ſunt Criticorum opiniones) in qua num. 11. legitur: *Præpoſito tanquam patri obediatur , multo magis Presbytero , qui omnium veſtrum curam gerit :* quæ verba expendens cit. cap. 8. num. 19. doctiſſimus Suareſius inde colligit, *religioſos illos ad quos primo Auguſtinus illam Regulam direxit fuiſſe Monachos , ſimiles illis , quoad ſtatum & profeſſionem , ac modum regiminis , qui tunc erant in Oriente , & per Italiam , qui ordinarie & per ſe ac ratione ſtatus non erant Clerici , ſed Laici Monachi, & ſimiliter eorum præfectus , ſeu Abbas non erat Presbyter regulariter loquendo , ex cap.* A ſubdiacono *d. 23. & ex aliis multis 16. q. 1. & ex Hieronymo Epiſtola ad Nepotianum, &c.* Locus nonus eſt liber *de Opere Monachorum* per totum , ex

quo

quo saltim inferimus circa annum 400. quo idem liber conscriptus est, Monachismum per Africam fuisse diffusum. Capite autem 29. ejusdem Operis num. 37. occurrunt præclara illa Augustini verba, quibus significat se libentissime illorum Monachorum consuetudini accomodaturum, qui manualibus operibus aliquid insumunt temporis, nisi necessum ei esset agendis sæcularibus judiciis sese immiscere. „ Tamen Dominum Jesum „ (inquit) in cujus nomine securus hæc dico, testem invoco „ super animam meam, quoniam quantum adtinet ad meum, „ commodum, multos mallem per singulos dies certis ho„ ris, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, „ aliquid manibus operari, & ceteras horas habere ad legen„ dum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum „ liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum aliena„ rum pati de negotiis sæcularibus vel judicando dirimendis, „ vel interveniendo præcidendis. „ Ex quo autem Augustinus hanc Monachorum operibus manuum aliquando sese exercentibus institutionem plurimi faciat, ceterisque anteponat, magna probabilitate colligimus illam in monasteriis ante Episcopatum erectis cum sociis suis tenuisse. Decimus ac postremus locus erit, qui habetur in 2. Retract. libro cap. 21. ubi ait ad scribendum præcitatum librum *de opere Monachorum*, se necessitate fuisse compulsum, *Quod cum apud Carthaginem monasteria esse cæpissent, alii se suis manibus transigebant obtemperantes Apostolo: alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde necessarias res haberent, vel supplerent, se potius implere præceptum Evangelicum existimarent atque jactarent, ubi Dominus ait:* Respicite volatilia cœli, & lilia agri. *Matth. 6.* 26. Atque hoc in loco affirmans Augustinus tunc temporis cæpisse apud Carthaginem esse monasteria, commonstrat Carthaginense monasterium non esse antiquioris institutionis reditum suum præcedentis, sed revera nuperrime Monachos a se in Africam introductos; quod supra diximus exprobratum illi fuisse a Petiliano, aliisque Donatistis, nunquam vero ab Augustino denegatum; sed ab illo ita Monachorum causam susceptam, ut ad seipsum hanc pertinere evidentissime demonstraverit. Atque hæc perpauca sunt, quæ ad Augustini monasticum institutum, in Africa propagatum, evincendum confirmandumque; non ex Eremitis nostris, qui

longe plura attulerunt; sed ex aliis nullo præjudicio abreptis collegi; ut facile percipiet, qui prælaudatos Scriptores pervolutabit. Talia autem hæc mihi videntur esse, ut si omnia expendantur, ad rem invicte demonstrandam censeri debeant idonea: nam quædam Africæ Monachos horumque vitæ rationem commemorant, nonnulla Monachos illos a Clericis aperte secernunt, alia eorumdem Monachorum faciunt Augustinum auctorem ac vindicem; quæ omnia nullatenus quadrare possunt in Clericos. Possem vero hæc omnia confirmare enumeratione illorum, qui cum Augustino vitam duxere monasticam; & quorum plerosque in libro III. cap. 4. & 5. illius *Vitæ* recensent Benedictini Patres; sed illorum nonnullos in hoc Volumine laudabo, maxime autem eorum, qui ceteros sapientiæ celebritate antecellunt. Numerare quoque possem monasteria Eremitici Ordinis per Africam vivente Augustino constructa, & quæ Crusenius, Marquez, Lupus, aliique Nostrates recensuerunt; nisi exterorum dumtaxat, qui Augustini Eremiticam vitam laudarunt, decrevissem habere rationem. Quod cum a numero 24. hucusque præstiterim; illud me luculenter demonstrasse confido, Augustinum dici Monachorum atque cultorum eremi parentem ac ducem a viris plurimis doctissimis nobiscum nullo necessitudinis vinculo conjunctis, nec dici tantum, verum & ostendi atque evinci. Jure itaque instituti nostri Scriptores, ad quos propius attinet, pro eadem veritate naviter fortiterque decertant.

CAPUT XXIX.

Proponuntur tria, quæ Nostratibus passim objiciuntur, ut imperiti, & nimium creduli appareant, atque ita tanquam malæ causæ patroni ab emunctarum narium judicibus despiciantur.

AT enim tria silentio præterire non debeo, quæ a nonnullis adversus Scriptores nostros proferri solent, eos scilicet institutorem suum deprædicare Augustinum tribus permotos momentis; quæ statim ac memorantur, omnes vel minimum eruditi frontem contrahant, naresque arrigant, illorumque ignaviam, imperitiam, nimiamque credulitatem mirentur,

atque aspernentur necessum est. Primum est, quod Eremitici Ordinis institutionem eruere conantur ex sermonibus *ad Fratres in Eremo;* eosdemque sermones idcirco ab Augustino conscriptos pugnaciter contendunt prolixis vindicationibus editis Nicolaus Crusenius in Monastico cap. 10. Carolus Moreau in Vindic. p. 1. q. 4. Aloysius Torellus ad an. 387. num. 117. & seqq. ac Thomas Herrera in Resp. Pacif. qui ex iisdem sermonibus saltim aliquos legitimos esse contendunt, Augustinus a Scarperia, qui illos Thusco idiomate eleganter expressit, & ne recenseam omnes singulosque, Angelus Vantius Ariminensis, qui pro illis integro volumine pugnavit. At sermones illos tanquam Augustino prorsus indignos inter spurios amandarunt Erasmus animadvertens esse opus alicujus ex Ordine nostro Monachi, qui hoc fuco studuit sodalitium nostrum orbi commendare: Baronius ad an. 382. Bellarminus de Scriptoribus Eccl. Lovanienses, necnon Patres S. Mauri, qui eosdem sermones rejecerunt in Append. Tomi VI. Operum Augustini. Alterum, quod Nostrates decepit, illud est, quod existimarint *regulam*, quæ sub Augustini nomine circumfertur, ad Monachos & Eremitas conscriptam, cum ex epistola Augustini 109. constet Sanctimonialibus datam esse. Tertium vero, quod in errorem auctores nostros pertraxit, est quod in scriptis quibusdam apocryphis legitur de Augustino deferente nigram cucullam, zonamque pelliceam, id, quod sibi suadent anilibus quoque S. Augustini apparitionum fabellis, cum tamen ex sermone 50. de div. nunc apertum sit incessisse illum cum linea tunica & byrrho. Hinc ergo videntur Eremitæ, dum suam ab Augustino deducunt originem, fabulas venditare.

CAPUT XXX.

Ostenditur eorum, quæ dicta sunt, veritatem persistere, rejectis quoque inter supposititios sermonibus ad Fratres in Eremo.

VErum prior illa de sermonibus *ad Fratres in Eremo* oppositio nimium insulsa est, & indigna viro aliquantulum erudito. Etenim nos auctoritate eorumdem sermonum minime usi hactenus fuimus; & plura nihilominus, eaque gravissima, atque præstantissimis probata viris produximus, quibus facta ab Augustino Monachalis Ordinis institutio nisi plane certa, saltem valde probabilis videatur. Deinde plures sunt in Familia nostra Scriptores, qui sermones illos inter spurios & Augustino suppositos rejiciunt; sed plurimis aliis momentis evincunt prædictam nostri Ordinis institutionem. Ornatissimus enim, & eruditissimus Christianus Lupus, qui de origine Eremitarum S. Augustini prolixe, & nervose disseruit, cap. 35. & quatuor postremis adversus sermones illos pugnat acerrime, eosque appellare non veretur, *opus imperiti impostoris*, magni Theologi Basilii Pontii Legionensis, qui pro illis decertat, sententiam digna tanto viro libertate refellens. Prosper Stellartius dissert. XI. pag. 184. se de iisdem sermonibus ambigere testatur, ob stili, rerumque deformitatem, ratus nihil nobis detrahi, si Augustino adscribantur, aut abjudicentur. Jacobus Hommey in libro Collectaneorum, quem inscripsit supplementum Patrum, *Pauci* (inquit, de iisdem sermonibus) *stilum ingeniumque S. Doctoris exhibent, plures mentiuntur, plurimi offendunt*. Bernardus itidem Viningus in Critico Augustiniano conscripto adversus Crisin Simonis Verlini, profert laudatque censuram Eminentissimi Bellarmini sermones illos apocryphis accensentis; pluraque ex iisdem exscribit, quibus ipsorum auctoritas labefactatur. Thomas autem Herrera, aliique Nostratium, qui pro iisdem sermonibus certant, non omnes indiscriminatim recipiunt, sed inter illos spurios nonnullos intrusos esse fatentur. Ingenua hæc Nostratium fides, quum doctissimos PP. S. Mauri Augustinianorum Operum editores nequaquam lateret, eos impulit, ut in admonitione ad præfatos

sermones in Appendice Tomi VI. hæc litteris consignarent : *Certe quidam viri ex eodem Ordine* (nostro scilicet , atque Eremitico) *eruditi eos nunc tandem reprehendunt palam, & repudiant* . Non itaque sodales nostri sermonum illorum auctoritate ad Ordinis vindicias fulciendas, universim utuntur, maxime qui post artis criticæ inductum usum severiorem in litteraria Republica floruerunt . Sed & alii extra Ordinem Augustinensium Eremitarum asseruerunt, ac propugnarunt Augustini Monachismum, ut Suaresius, Baronius, Alexander Natalis, Mabillonius, aliique Benedictini, ut superius ostendimus, & tamen nullus eorum, quos modo commemoravi, sermonum ad fratres in Eremo degentes præsidio usus est. Illorum ergo sermonum refutatio nil prorsus facit ad institutionem Eremitici Ordinis factam ab Augustino evertendam ; luditque operam auctor Armarioli veritatis Petrus Heligerius ; qui pag. 33. phrasi inter suos usurpata & vulgari inquit, eos, qui Augustinum fingunt Eremitam, sermonibus hisce uti, *tanquam scuto errorum suorum* . Hinc enim apertum est, eodem scuto veritatem satis aliunde communitam non propugnare omnes instituti nostri viros, neque alios universos, qui nobis patrocinantur.

CAPUT XXXI.

Non esse existimandum Nostratium figmentum eorumdem Sermonum Volumen.

NEque illud dicas, Augustinianos Eremitas plurimum in iisdem sermonibus commendandis vindicandisque, etsi non omnes, permultos utique insudasse, & eos maxime, quos num. 29. laudavimus. Non enim id soli attentarunt ; sed alii complures, etiam subsellii non infimi in illa opinione firmissime perstiterunt. Inter cæteros Ordinis Apologistas sedulo investigavit scripta auctorum, qui sermones illos tanquam germanum Augustini fœtum agnoverunt, Joannes Marquez cap. 8. § 2. operis inscripti *de Fratrum Eremitarum Origine* . Principem inter illos tenent locum S. Antonius Patavinus in Sermone feriæ 6. in capite Jejunii, sive de dilect. Inimicorum, S. Bonaventura in Meditationibus de Vita Christi cap. 73. S. An-

Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. p. tit. 24. cap. 14. Ladulphus Carthuſianus de Vita Chriſti 1. p. cap. 14. Dionyſius Carthuſianus ſerm. 3. de S. Auguſtino, Martinus Navarrus comment. 1. de Regularibus num. 26. Ferdinandus Veloſillus in Advert. ad tom. x. Auguſtini q. 31. & 32. Alphonſus Ciaconius in Opuſculo de Cardinalatu S. Hieronymi, Petrus Maturus in adnot. ad Chronicum S. Antonini loco paulo ſupra laudato, Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 189. cap. 12. num. 94. diſput. 190. cap. 9. num. 82. & diſput. 203. cap. 4. num. 34. Michael de Medina lib. 1. de Sacrorum hominum continentia cap. 53. Antonius de Molina lib. 1. Inſtruct. Sacerdotum tract. 1. cap. 5. §. 2. & tract. 2. cap. 12. & 15. Hi omnes, aliique plurimi, quos brevitati conſulens prætermitto, aliquem ex iis ſermonibus, qui tanquam ſpurii modo habentur, laudarunt ac produxerunt; quod perſpicuum argumentum eſt, tot ac tantos viros illorum falſitatem nequaquam fuiſſe ſubodoratos. Non ergo Noſtratium adſcribendum eſt vitio, ſi quod externi doctique homines probarunt, & ipſi proferre ſtuduerunt, atque multorum patrocinio ſuffulti, quorumdam criſim contemnere & refutare tentarunt. Quamquam enim re mature diſcuſſa, nauci facienda non ſint argumenta quæ adverſus ſermones illos urgeri ſolent, & ſententia quoque noſtra major illorum pars cenſeri debeat adulterina; nihil tamen minus cenſuræ, quæ primum de iis prodierunt, quoſque recentiores Critici regerunt, & recoquunt, non adeo fuerunt libratæ, & a præjudiciis immunes, ut illis Auguſtinenſes noſtri ſubſcribere penitus cogerentur. Imo præter communiorem aſſenſum, cujus produxi modo teſtes locupletiſſimos, ut pugnarent pro iiſdem ſermonibus, fecit quodammodo prædictarum cenſurarum levitas, atque imbecillitas.

CAPUT XXXII.

De Lovanienſium Cenſura.

CEnſura ſiquidem Lovanienſium non ſatis accurata in eo, quod ad prælaudatos ſermones attinet, facile ab unoquoque deprehenditur. Etenim Lovanienſes ajunt prædictos ſermones tanquam ſpurios rejici a Bartholomæo Urbinate, id, quod

quod falsum omnino est. Nam in legitimis & antiquioribus *Milleloquii* editionibus depromuntur loca ex sermone sexagesimo *de persecutione Christianorum*, ex sermone 62. *de timore & avaritia*, ex serm. 49. *de miseria carnis & falsitate praesentis vitae*, atque ex sermone 76. *de cogitationibus*. Quibus in locis iidem sermones *ad Fratres* sub Augustini nomine laudantur. Quod si in editionibus aliis *Milleloquii* opera studioque Collerii additamentis pluribus adaucti, non Augustini nomen occurrit, sed incerto tribuuntur auctori; hoc non Bartholomaeo Urbinati, sed ipsi Collerio alienorum scriptorum correctori, erit proculdubio adscribendum. Falsissima itaque sunt, quae initio censurae suae inquiunt Lovanienses: *Hos sermones Bartholomaeus Urbinas in suo Milleloquio non agnoscit*. Vide Lupum cap. 35. & Basilium Pontium Legionensem a Lupo ibidem laudatum, Carolum Moreau p. 1. Vindiciarum q. 4. & Joannem Marquez praecitato cap. 8. Deinde quanti aestimanda sit illa censura Lovaniensium, constat ex prolato de sermonibus aliis judicio: nam sermonem sexagesimum primum *de tempore* inter Augustinianos locaverunt, tamesi Pelagianum habeat auctorem, laudetque, & expressis vocabulis promat sententias ex famosa Pelagii epistola ad Virginem Demetriadem. Lapsi quoque sunt Lovanienses in sermone 191. item *de tempore* dijudicando: quem etsi Lovanienses reliquerunt inter Augustinianos, aut saltim ex Augustinianis non expunxerunt, constat tamen esse faetum hominis Pelagiani, immo nihil esse aliud, quam ipsammet professionem Fidei missam a Pelagio ad Apostolicam sedem, & quae continetur in Operibus Hieronymi; ut recte animadverterunt Patres S. Mauri in censura ejusdem sermonis, rejecti in Appendicem tomi 5. num. 236. Vides ergo quanti momenti habendum sit judicium virorum illorum, qui censent, aut titubant, esse Augustinianam concionem idem prorsus, ac professionem Pelagianam. Praeterea censura illa, quae honestissimo Lovaniensium Theologorum nomine praenotatur, non est opus celeberrimae Universitatis, sed Canonicorum Regularium S. Martini. In editione enim Plantiniana operum S. Patris, necnon in Parisiensi 1637. praemittitur priori volumini Praefatio Joannis Molani, qua significatur varios esse censurarum ac notationum in Augustiniana volumina auctores. De iis vero, qui tomo decimo sermones comprehendenti

denti addiderunt cenſorias notas, hæc in ea Molani præfatione leguntur: *Decimum denique tomum Regularibus Martinianis emendandum dedimus, & perficiendum, in quem tomum jam pridem apud eos Martinus Lipſius Bruxellenſis, ejuſque diſcipuli Joannes Coſterius, & Joannes Ulimerius Lovanienſes magni laboris impenſam egerant*. Hujus ergo Lovanienſis cenſuræ nos quidem, dum agimus de Monachatu Auguſtini, nullam rationem habebimus, utpote quæ exornata fuit magno illorum ſtudio & labore, qui Auguſtini Monachatum, quamvis firmiſſimis monumentis ſuffultum ægre ferunt, & quatere perperam moliuntur. Inſuper non aliam rationem cenſuræ ſuæ Lovanienſes producunt, niſi quod iidem ſermones videantur exercitii cauſa conſcripti ab homine Semilatino, ac forte Galloflandro, permiſceantque interdum verba Auguſtini, Cæſarii, & Gregorii. Verum etſi id valeat ad quoſdam ex iis ſermonibus explodendos (nos enim multos ex illis inter ſuppoſititios rejicimus, quamvis Noſtrates hanc Lovanienſium Canonicorum notam congrua reſponſione diluant) non tamen aptum eſt ad omnes & ſingulos refellendos; quum aliqui, ut dicam poſtea, graviſſimi ſint, nec indigni Auguſtino. Præterea Lovanienſes Cenſores ad veritatem, aut falſitatem ſermonum iſtorum dignoſcendam, lectorem mittunt ad unum ſodalem ſuum Joannem Maburnum, ejuſque librum inſcriptum, *Venatorium Canonicorum Regularium*; quaſi ex ſolo Canonicorum cætu controverſia hæc foret dirimenda. Igitur quantum ſpectat ad ſermones de quibus ſermo eſt, Lovanienſium cenſura talis non eſt generis, ut temeritatis & arrogantiæ is culpandus eſſet, qui illam tanquam minus idoneam, neque a ſtudio partium immunem aſpernaretur.

CAPUT XXXIII.

De Censura Desiderii Erasmi.

EAdem prorsus habenda est ratio Erasmianæ Censuræ: Erasmus quidem non eum in ordinem redigendum esse reor, quo illum habent nonnulli apud Moreau, qui præeuntibus viris, alioqui doctissimis, Richardo Cenomano, & Hieronymo Torrensi appellant ipsius censuram *vanam*, *fallacem*, *atque imperitam*; sed illum plurimi facio, sciens fuisse virum subacti ingenii, & omnigenæ eruditionis, utinam incontaminatæ, aut saltem non suspectæ ubique fidei! Censura nihilominus, de qua dixero, peracta minime est exacto criterio. Nam quod Erasmus ait sermones illos esse opus alicujus ex Augustinensium ordine Monachi, *qui hoc fuco studuerit sodalitium suum orbi commendare, si persuasisset tantum virum ejus instituti fuisse auctorem*; aperte innuit & ipsum Erasmum sodalibus suis morem gerere, nobisque institutionis originem ab Augustino repetendam præfracte negare. Sed tria huic Erasmi opinioni reponam: primum, stare institutionis nostræ firmitatem dispunctis quoque sermonibus ad Eremitas; ut dictum supra: alterum ante ea tempora, quibus nos in mundo apparuisse Canonici autumant, sermones illos extitisse, ut ostendam paulo infra: tertium, eosdem sermones qui ab Augustini doctrina abhorrent, fuisse potius ab aliquo adversariorum nostrorum confictos, & ceteris adjectos, ut hac permixtione etiam alii in suspicionem venirent, atque ita Scriptores nostri urgentes sermonum illorum auctoritatem deriderentur, traherenturque in invidiam. Quamobrem Patres Sancti Mauri recitatis Erasmi verbis, *Nobis porro tales videntur hi sermones* (inquiunt) *qui credi potuissent ab aliquo potius Augustinensis Ordinis æmulo invidiose ac maligne conficti*. Deinde ipse Erasmus in aliis Augustini Operibus dijudicandis non satis fuit accuratus. Epistolam namque 38. ad Lætum, nunc 243. necnon epistolam 45. ad Armentarium & Paulinam, nunc 127. Erasmus negavit esse Augustini; quas tamen S. Patri adscribendas esse ceteri omnes consentiunt. Librum quoque *de Bono viduitatis* Erasmus Augustino nititur adimere, obtendens dictionis facili-

tatem, ob quam potius Augustino tribuendum inferunt doctissimi Patres Sancti Mauri. Immo Desiderius Erasmus librum illum adscribendum censet Juliano Pelagianorum perditissimo; quum conscriptus sit ad Julianam viduam, ut inquit cap. 7. Possidius, librum eumdem inter epistolas, quod brevis sit, atque ad Viduam scriptus, recensens. Atque hujus generis inter Augustini opera plura sunt; de quibus Erasmi judicium plenissimo eruditorum consensu refellitur. At vide 1. p. Vindiciarum Carolum Moreau plura ibi de censura Erasmi quæst. 2. dissertantem. Sane quisquis eumdem Erasmum, tametsi disciplinarum copia, verborumque delectu præstantem, non semper moderatum appellaverit, interdum quoque in litterariis disquisitionibus nugaciter ludentem, videri non debet nimium asper Canonicis suis; quorum, etsi probus nemo sodalitium suum insectatur, nec passus est nomen, dicere solitus, quoniam *Canonicus* & *Regularis* idem prorsus significant, ridiculam inesse illis appellationem. Utique nec nos, homines Monachalem & Eremiticam vitam Augustini deridentes, tam ludibundo ineptoque stilo delinearemus. At mittamus virum, nec de suis castigate loquentem.

CAPUT XXXIV.

De Censura aliorum, ac præsertim S. R. E. Cardinalium, Roberti Bellarmini, & Cæsaris Baronii, Venerabilium Servorum Dei.

NOnnulla subjicienda sunt de Censura Eminentissimi Bellarmini, qui *de Scriptoribus Ecclesiasticis* sermones ad Fratres in Eremo magna ex parte exceptis scilicet duobus, idest 52. & 53. *de communi vita Clericorum*, censet esse suppositios. Movetur autem momentis istiusmodi. Primo, inquit, Auctor illorum sermonum dicit Augustinum degisse in solitudine cum Monachis, ibique ad eos sermones istos habuisse. At constat ex Possidio in Vita S. Augustini, hunc post baptismum susceptum rediisse in patriam ad propriam domum, & agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse: deinde factum Presbyterum Hipponensem, monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam

tam Apostolicam duxisse, non utique in eremo, sed intra urbem: denique factum Episcopum cum Clericis suis in domo Episcopali vitam communem egisse. Addit, inter sermones ad Fratres in Eremo multos esse leves ac fabulosos, ut est sermo vicesimus quartus, in quo narratur S. Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia Sancti Laurentii, & veste muliebri indutum irrisum a Romanis, quæ omnia conficta ac falsa sunt. Denique ait phrasim horum sermonum, si excipias duos *de communi vita Clericorum*, qui vere sunt Augustini, esse adeo ineptam, impropriam & lutulentam, ut mirum sit potuisse hujusmodi sermones Sancto Augustino adtribui ab aliquo prudente viro. Hactenus Bellarminus. De hac autem censura, ajebat pag. 237. Augustinianus Vindingus, ea sermones præcitatos jugulari, quasi *telo tricuspide adhibito*. Potest nihilotamen minus eidem censuræ aliqua, neque inepta, adhiberi responsio. Prima enim ratio admodum infirma est; siquidem Augustinum priusquam rediret in Africam ad Thusciæ eremos non divertisse, ibique per aliquod temporis intervallum moram nequaquam egisse, ex Possidii silentio nequit invicte deduci. In patriam quoque redux non intra Tagastensem urbem, sed in agris a se alienatis, Monasticam vitam Augustinus duxit, ibique aliquod saltem rude monasterium habuit: quorum primum idem Possidius enarrat; alterum colligitur ex sermone ejusdem Augustini 355. Aliud quoque monasterium ab Augustino jam Presbytero ædificatum, de quo cap. 5. Possidius, non alia ratione dicitur erectum *intra Ecclesiam*, nisi quia in horto prædioque ad Ecclesiam Hipponensem spectante, atque donato a Valerio constructum fuerat, ut inquit Augustinus in eodem sermone. Quæ cum ita sint, fratres quibuscum S. Pater vitam eremiticam duxit, & ad quos sermones habuit, esse potuerunt qui per Thusciam ab urbibus segregati degebant, aut qui morabantur in agro Tagastensi, aut qui etiam in horto Valerii, etsi non procul a civitate, ab omnibus sæcularibus curis remoti Deo serviebant. At lege quæ a num. 24. ad 29. superius producta sunt. Ad sermonem 24. quod spectat, ego quidem facile illum rejiciam, non enim singulos probo. Verum neque ea, quæ adversus eumdem sermonem proferuntur, invicta omnino sunt, etenim quæ ibidem narrantur de Hieronymo S. R. E. Cardinale, nequeunt apertæ falsitatis revinci;

quum de Cardinalatu S. Hieronymi vulgaris adhuc vigeat opinio. Et quamvis *Cardinalium* nomine, ſi Criticis rigidioribus aures præbeamus, non ii intelligerentur priſcis Eccleſiæ ſæculis, qui nunc in Eccleſia Chriſti purpurati incedunt, ac tanta dignitate præpollent; tamen *Cardinalium* nomine extitiſſe ætate Hieronymi Presbyteros & Diaconos aliquibus Eccleſiis addictos, & quaſi in cardine conſtitutos, nemo jure negabit. Volaterranus enim lib. 22. Antropologiæ ait ſe in vetuſtioribus tabulis Eccleſiæ Aretinæ inveniſſe donationem quamdam factam tempore S. Damaſi Papæ a Zenobio Senatorii Ordinis cum hac ſubſcriptione: *Ego Joannes S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damaſi laudo, & confirmo*. In ſermone autem illo *ad Fratres* quarto ac viceſimo aſſeritur tantummodo Hieronymum fuiſſe Cardinalem: ſed quænam fuerit olim Cardidinalium conditio ac dignitas, tacetur omnino; ideoque non convellitur ſermonis illius auctoritas, etiamſi concedatur ampliſſimam illam dignitatem, ad quam Cardinales evecti ſunt, inſtitutionis eſſe recentioris. Nimium quoque ſevera videtur Chriſtiani Lupi animadverſio, qua ex uno verbo *legimus* infert auctorem ſermonis oſtendere ſe non eſſe Hieronymo contemporaneum, ideoque nec Auguſtinum eſſe, qui vixit ipſius Hieronymi ætate, ſed Auguſtino longe poſteriorem; quaſi vero præteritorum dumtaxat facta legerentur. Adde Auguſtinum fuiſſe Hieronymo juniorem, ac de re, quæ contigit Romæ, inſtitui hiſtoricam narrationem. Præterea ſermonis auctor paulo poſt initium inquit Hieronymum Roma diſceſſiſſe cum Paula & Euſtochio, his additis verbis, *Ut nobis per epiſtolam ſcripſit*: quæ ſunt verba non tantum hominis Hieronymo coætanei, ſed etiam cum illo habentis conſuetudinem litterarum. Ejectum vero Hieronymum ex urbe Roma indutum veſte muliebri, proprie in eo ſermone non legitur; ſed ambigua eſt oratio, & ad hunc modum contexta: *Ab eis per veſtem muliebrem, ut jam audiſtis, eum proclamare in populo voluerunt*. Quo in loco *veſtem muliebrem* ad Romanos nimis luxuriæ indulgentes, non ad Sanctum Hieronymum referendam eſſe cenſeo. Quamobrem nec multum habet ponderis cenſura illa Baronii, qui exiſtimans in hoc ſermone deſcribi injectum Hieronymo muliebre indumentum, *O quanti emiſſet iſta Rufinus* (inquit ad an. 389.) *Si quis talia ſuo tempore excogitaſſet*.

Quæ

Quæ tandem Bellarminus addidit de inepto, fordidoque illorum fermonum ftilo, in nonnullos utique, at non in univerfos ac fingulos quadrare poteft; prout ex his, quæ mox fubjiciam, poterit quifque cognofcere. Interim ex dictis de Cenfura Lovanienfium, Erafmi, ac Bellarmini, ad quam facile revocari poffunt quælibet aliæ, apparet Auguftinianos, qui pro laudatis fermonibus dimicarunt, non effe temeritatis, impofturæ, atque ignorantiæ arguendos.

CAPUT XXXV.

Oftenditur non rejiciendos effe, tanquam aperte nothos, fingulos omnino Sermones, de quibus agitur.

HÆc nemo a me dicta arbitretur, quafi fermones omnes, de quibus differo, vindicare velim, & majorum noftrorum, qui cum Inftituti, Ordinifque amore conjunctam habuerunt piam quamdam & laudabilem fimplicitatem, veftigia omnia calcare, & quidquid eis libuit, fcriptis tradere, & propugnare decreverim. Nam ex iifdem fermonibus aliquos tantum recipiendos effe credo, de aliis doctiffimorum virorum fententiam amplexus. Enim vero fermones 52. & 53. inter eos, qui *ad Fratres in Eremo* infcripti funt, ab omnibus communiter recipiuntur, atque Auguftini illos effe conftat ex vetuftiffimis monumentis; cum fub ejus nomine jam ab anno 525. laudati fuerint a Petro Abbate in Synodo Carthaginenfi. Quare hi duo fermones locum habuerunt inter eos, quorum titulus eft *de diverfis* num. 49. & 50. in præcedentibus editionibus, atque in noviffimis tom. 5. num. 355. & 356. Unus Collerius in editione *Milleloquii* fermonem 49. *de diverfis*, five 52. *ad Fratres*, incerto adfcripfit auctori, ea tantum ratione ductus, quod inter Eremiticos locum tenuerit. Ac revera deprompti illinc Canones ab Ivone Carnotenfi cap. 177. producuntur fub hac citatione, *ex Serm. 52. Aug. ad Fratres in Eremo*. Atque hinc habes, non idcirco fermonem aliquem Auguftino abjudicandum effe, quod eumdem præfeferat titulum. In Sermone 56. nil occurrit, quod jure reprehendas, & licet Patres Sancti Mauri ftilum putent a Cefarii oratione parum abfimilem, fatentur tamen in quibufdam MSS. Au-

guftini

gustini nomen eidem præfigi. Sermo 57. non alia ratione inter spurios rejectus est, nisi quia fere totus adinvenitur in Tractatu Sancti Eligii Episcopi Noviomensis, qui item Tractatus extat in Appendice Operum Augustini Tom. 6. cum inscriptione, *de rectitudine Catholicæ conversationis*. At nonne potuit Eligius quædam ex Augustinianis sermonibus exscribere, quemadmodum omnium eruditorum judicio exscripsit complura ex operibus S. Cæsarii Arelatensis? Levi itaque conjectura, non gravi aliquo momento laudatus sermo ab Augustinianis dispungitur. Sexagesimus ante cui titulus, *de persecutione Christianorum*, Augustino tribuitur in pluribus MSS. atque sub Augustini nomine editus est in Bibliotheca Patrum inter sermones Cæsarii. Quare & iste jure suo fruitur, donec validiori momento explodatur. Sexagesimo secundo *de timore Domini*, *& de avaritia vitanda* in perantiquo MS. Germanensi hunc præponi titulum, *De timore Domini liber S. Augustini*, testantur doctissimi Patres S. Mauri. Sexagesimus tertius ad nostram usque ætatem sedem inter Augustinianos tenuit, atque idem est, ac 40. *de Sanctis*. A Benedictinis vero in Appendicem rejectus est tom. 5. num. 251. quoniam pars est sermonis Ambrosiani 33. *de futuro judicio*; ob quam causam spurium censuerunt Verlinus quoque, ac Vindingus. Verum & sermones, qui tribuuntur Ambrosio, variis auctoribus adscribendos esse norunt omnes. Sermo item LXVI. in antiquis MSS. hunc habet titulum, *Homilia S. Augustini de agenda pœnitentia*. Sermo LXXI. depromptus est ex enarratione 2. in Psalmum 48. ideoque non debet abjudicari Augustino. De Sermone LXXIII. Benedictini judicium hoc protulerunt: *Fragmentum est ab Augustini genio non abhorrens. Extat in Supplem. Vignerii p. 2. Serm. 27.* Sermo autem 74. idem omnino est, ac sermo 395. in nova Parisiensi Editione insertus p. 2. tomi 5. e vetustissimo codice Remigiano. De postremo Sermone LXXVI. hæc proferunt prælaudati Patres S. Mauri. *In Remigiano MS. annorum circiter* 700. *Augustino tribuitur*. Hi ergo sermones, quos hactenus commemoravi, Augustino absque ulla temeritate adscribuntur. In primo itidem, secundo, tertio, sexto, septimo, octavo, duodecimo, decimo sexto, decimo octavo, quadragesimo primo, & quinquagesimo, nescio quid absurdi & erroris cum Augustiniana doctrina

ctrina pugnantis occurrat. In his quidem notantur vocabula quædam abjectæ, & demissæ latinitatis. Sed advertamus oportet, allocutum hisce sermonibus Augustinum laicos & inscios homines, quales fortassis erant illi eremicolæ. Nam & Psalmus contra Donatistas adeo popularibus infimisque vocabulis contextus est, ut nonnulli, quorum meminit in Bibliotheca 90. Fabricius, Augustino abjudicaverint; imperite tamen, & contra apertum testimonium lib. 2. Retr. cap. 20. ubi S. Pater monet, se in ejusdem Psalmi scriptione ad captum humillimi vulgi accomodasse, nec illum metro edidisse, ne vocabula plebi inusitata usurparet. Quamobrem propter stili barbariem, & rusticitatem prædicti sermones non videntur repudiandi. Ceteros adscititios spuriosque esse haud invitus concedam. Quamquam enim Crusenius, Moreau, necnon præstantissimus Theologus Basilius Poncius contendant sermonem 48. fuisse notum Sancto Prospero, qui in Sententiis num. 388. quædam Augustini verba producit, quæ in eodem sermone continentur, hunc tamen Clarissimus Lupus mendaciis, fabulisque scatere tam aperte demonstrat, ut Lupo assensum præbere cogamur. Postremo probant Nostrates germanum Augustini fætum esse sermonem *ad Fratres* vigesimum sextum; quia illic habetur distichum adversus detractores ab Augustino affixum communi mensæ, videlicet:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam (aliter indignam) *noverit esse sibi*.

Horum quippe versuum, inquiunt, meminit auctor Commentariorum ad *Proverbia Salomonis* inter Opera Hieronymi, atque ex præcitato sermone XXVI. eosdem versus fuisse deprompτos, observarunt viri duo præstantissimi, Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ V. *Hieronymus Stridon.* §. *De Proverbiis Salomonis*, & Marianus Victorius in Censura ad Hieronymum, initio VIII. Voluminis. At cum iidem versus extent quoque apud Possidium in Vita Augustini cap 22.; argumentum illud, quod hinc produxerunt sodales nostri pro sermone sexto ac vicesimo, non videtur mihi invictissimum. Nostra itaque de sermonibus *ad Fratres in Eremo* dissertatiuncula ad hunc modum se habet: eique tanquam pro coronide addimus, sermones

mones illos non esse ab Eremita aliquo confictos ea intentione posteris originem & antiquitatem nostram commendandi. Enimvero, ne repetam viros plurimos ac præstantissimos, qui eorumdem sermonum meminere; Joannes ipse Maburnus Canonicus Regularis Liriacensis, ad quem lectorem amandant in sua Censura Lovanienses, lib. 1. cap. 22. Operis, cui titulus, Vanatorium Canonicorum Regularium, narrat quomodo, & quando iidem sermones fuerunt inventi, hæc scribens: *In fronte libri sermonum istorum invenimus, quod isti sermones in Abbatia S. Dionysii fuerunt comperti in quodam libro a Presbytero Joanne Capellano Ecclesiæ Sanctorum Gervasii, & Protasii tempore Regis Pipini conscripto*. Silentio prætereo longe vetustius eorumdem sermonum volumen, quod in monasterio, cui nomem *Murtæ*, Monachorum S. Hieronymi prope urbem Barcinonensem se vidisse testatur Historiographus Ordinis Petrus de Campo Granatensis. Nam constat ex productis Maburni verbis atque ex adversariorum nostrorum confessione, ante annum Christi 768. quo decessit Pipinus senior, ac pater Caroli Magni aut saltem ante annum 811. quo obiit Pipinus alter, filius ejusdem Caroli, sermonum *ad Fratres in Eremo* sub Augustini nomine volumen aliquod extitisse; quod Ordinis nostri vestutatem confirmaret, quamvis ii sermones, de quibus dictum est hactenus, omnes spurii, ac suppostitii judicarentur.

CAPUT XXXVI.

Agitur de Regula, ex qua cap. 29. petita est adversus Eremiticum Augustini Ordinem secunda objectio.

POsteaquam pertractavi de sermonibus *ad Fratres in Eremo*, differendum est de Regula, ex qua superius adversus nos altera fabricata est oppositio. De ipsa autem Regula tres adinvenio virorum doctissimorum opiniones. Ac prima est Cardinalis Bellarmini scribentis in libro de Script. Ecclesiasticis: *Ex tribus Regulis sola tertia est certa S. Augustini, sed feminis data, non viris: habetur enim in Epistola* 109. *Reliquæ duæ non videntur Augustini*. Probavit, inservitque 3. parti Codicis *Regularum* hoc Bellarmini judicium doctissimus Lu-

cas

cas Holstenius. Regula illa tertia eadem est, quam nos aliique Religiosi viri sub Augustino militantes profitemur; atque datam primo Sanctimonialibus, deinde viris aptatam, putant quoque ex nostratibus Prosper Stellartius, & Bernardus Vindingus. Amplexus est eamdem opinionem ex Ordine Canonicorum Regularium Nicolaus Desnos, vir egregius, & multiplici imbutus eruditione. Idem olim tradiderat Erasmus. Reliqui tamen Ex Canonicorum Ordine post Gabrielem Pennotum ipsam Regulam primum conscriptam pro Clericis, deinde Monialibus communicatam fuisse contendunt: quibus adnumerari etiam potest piissimus, & doctus Benno Zaisperger in parte poster. egregii sui Tyrocinii Canonici Cap. XI. art. 2. 3. 4. Edit. Augustæ an. 1723. Contra Sodales nostri pro Eremitis principio editam asserunt; idque demonstrare nituntur Crusenius p. I. Monast. cap. 19. & 20. Petrus de Campo lib. 2. Hist. August. cap. 11. & 12. Carolus Moreau 1. p. Vindic. quest. 15. Aloysius Torelli ad an. 389. num. 80. & seqq. Christianus Lupus de Origine FF. Eremit. cap. 34. Nicolaus Tombeur in dissertatione præliminari ad Provinciam Belgicam. Nonnulla & ego de Regula ipsa dicturus præmittendum arbitror; tres Regulas sub Augustini nomine adinveniri conscriptas: quarum una incipit, *Communi definitione decrevimus*, & in Codice Regularum apud Holstenium p. 2 inscribitur, *Consensoria Monachorum*: atque hæc Regula (inquiunt PP. S. Mauri in Appen. tom. I. pag. 39.) *omnium eruditorum sententia abjudicatur Augustino*. Regula secunda, ac tertia incipiunt. *Ante omnia, &c.* sed post primam periodum secunda regula prosequitur: *Qualiter autem nos oportet orare vel psallere*; & hæc secunda Regula pariter in Appendicem rejecta est, & spuria communiori judicio censetur. Tertia autem Regula, quæ inscribitur *ad Servos Dei*, atque habetur in fine primi Voluminis Operum S. Patris, necnon Tom. 2. Epist. 211. alias 109. incipit, post communem illam ac priorem periodum, quæ etiam præmittitur secundæ Regulæ, *Ante omnia &c.* ad hunc modum. *Hæc igitur sunt, quæ ut observetis præcipimus &c.* Hanc vero Regulam Augustino adtribuendam esse, consentiunt omnes. Dumtaxat dubitari posset de prima illa periodo, quæ ex secunda Regula videtur deprompta, quoniam in Regula Sanctimonialibus data, quæ cum Regula *ad Servos Dei* ad amussim concor-

dat, periodus illa desideratur. Jordanus quoque de Saxonia lib. 2. de Vitis Fratrum cap. 14. *Hæc Regula* (inquit) *sic incipit: Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus:* a quibus etiam verbis ejusdem Regulæ explicationem inchoat Hugo a Sancto Victore. De prima itaque periodo Regulæ Augustinianæ, num germana sit, num vero adscititia, otiosum nimis, & supervacaneum foret disceptare. Præmittendum quoque est, nullum oriri perantiquæ Ordinis Eremitici institutioni præjudicium, etiamsi daretur, ut Erasmus, Bellarminus, aliique contendunt, pro Sanctimonialibus, non pro Monachis, & Eremitis eamdem Regulam fuisse scriptam. Principio enim, si Moniales tantummodo regulam accepere, quænam erat Regula, quam servabant Clerici communem vitam in domo Episcopi agentes, unde prodiit Canonicorum Regularium institutum? Si dicas Regulam illam fuisse modum vivendi *sub Sanctis Apostolis* constitutum, atque adeo notum, ut non opus foret de illo peculiarem institutionem conscribi; respondebo & eamdem fuisse Regulam Monachorum, atque Eremitarum, quibus Augustinus prope Tagastem, atque jam Presbyter Hippone Regio præfuit in monasterio, quod erexit in horto Valerii, quemadmodum narrat cap. 5. Possidius. Præterea, ut verbis utar Augustiniani Vindingi, absurdum non est, monasterium a S. Augustino gubernatum fuisse absque Regula peculiari, & litteris consignata. *Qua enim Regula usi sunt Monachi Ægyptii sub Antonio; Palæstini sub Hilarione, Turonenses sub Martino, Mediolanense sub Ambrosio, Bethlehemitici sub Hieronymo? Qua, nisi Evangelio, & illa forma Apostolica.* Insuper & Sanctimoniales illæ, ad quas cum Epistola 109. Regulam Augustinus direxit atque præscripsit permultis annis Religiosam duxerant vitam, utique absque eadem Regula; Id enim Sanctissimus Præsul præscribendi regulam consilium iniit, cum magno excitato tumultu de mutanda præposita religiosæ illæ feminæ cogitarent; quippe in eadem Epistola S. Pater hæc scribit: *Cogitate quid mali sit, ut cum de Deo natis in unitate gaudeamus, interna schismata in monasterio lugeamus. Perseverate in bono proposito, & non desiderabitis mutare præpositam: quæ in monasterio illo per tam multos annos perseverante, & numero & ætate crevistis; quæ vos Mater non utero, sed animo suscepit.* Quemadmodum ergo Sanctimoniales diu absque Regula

gula scripta in monasterio vixerunt; ita vivere potuerunt Eremitæ; ideoque, ut præmonui, nihil faceret adversus institutionem atque originem nostram, etsi daremus Regulam non fuisse primum nobis, sed Monialibus traditam, sicuti præstantes quidam, & eruditi Censores existimarunt.

CAPUT XXXVII.

Regulam Augustinianam primum viris, quam feminis fuisse traditam.

VErum, ut dicam quod de ipsa Regula sentio, illam primo viris, deinde Sanctimonialibus datam, viris autem monachale institutum sectantibus, non in solam Clericalem militiam adscitos, longe majori probabilitate defenditur. Ac primum regulam pro viris conscriptam innumeri, iique gravissimi Auctores tradiderunt: quos cum pag. 104. *Vindiciarum* Carolus Moreau, ad annum 389. n. 82. Aloysius Torelli, Petrus de Campo citato cap. 11. aliique Scriptores nostri recenseant, necessum non est, ut illorum exscripto catalogo prolixa enumeratione singuli memorentur. Deinde Richardus Cænomanus in *Antidoto* adversus Censuram Erasmi refert, sacram Parisiensis Academiæ Facultatem declarasse, quod error sit *asserere Regulam S. Augustini solis feminis scriptam*. Præterea Lovanienses eidem Regulæ prænotationem hanc apposuere: *Regula hæc continetur etiam in Epistola* 109. *ad feminas scripta. Bernardus de præcepto, & dispensatione bis meminit Regulæ Augustini, in eamque viris datam expositionem scripsit Hugo de Sancto Victore*. Rursus tam laudati Lovanienses, quam Patres Sancti Mauri, aliique Operum Augustini editores eamdem *Regulam* cum hac inscriptione, non pro libito excogitata, sed in vetustissimis Codicibus reperta, vulgarunt, *Regula ad Servos Dei*. Insuper laudatur eadem *Regula* a S. Benedicto Anagniæ Abbate *in Concordia Regularum*, pluribus in locis, ibique semper masculina occurrunt nomina: & quamvis doctissimus Hugo Menardus, qui omnium primus *Concordiam* illam ex Bibliotheca monasterii Floriacensis in lucem edidit, notisque illustravit, scribat pag. 57. Sanctum Benedictum, *ut Regulam Augustinianam suo proposito* accomodaret, *nomina femi-*

nina in masculina mutasse; nullam tamen mutationem a Benedicto factam inde colligimus, quod Sanctus iste Abbas Anagniæ obiit anno nono imperii Ludovici Imperatoris, & ab Incarnatione Dominica octingentesimo vigesimo primo, ut legitur in ejus Vita, Concordiæ Regularum præmissa pag. 34. & Regulam Augustini *ad Servos Dei* reperiri in MS. mille annos præferente, etiamnum in Bibliotheca Corbejensi asservato, ideoque ætatem Benedicti superante, testantur primo tomo pag. 387. doctissimi Patres Sancti Mauri. Occurrunt quoque plura Augustinianæ Regulæ fragmenta in Regula monasterii Tarnatensis, quam item prælaudatus Benedictus laudat, & quæ, fatente Menardo, est illo longe vetustior. Ad hæc Suaresius Theologus præstantissimus & Doctor eximius de Augustiniana Regula, & de censura Erasmi, aliorumque existimantium illam pro feminis editam, tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 8. n. 15. hæc scribit. *Omitto censuram Erasmi ab omnibus piis, & doctis viris merito damnatam, qui negavit Augustinum scripsisse illam regulam pro viris religiosis, sed tantum illam, quæ virtute haberetur in Epistola* 109. *Augustini, quæ est ad Monachas, quæ revera eadem est, sed sine dubio fuit pro viris scripta, & facile potuit ab eodem authore ad feminas accomodari*. Ait quoque Suaresius censuram Erasmi ab Universitate Parisiensi fuisse damnatam: quod confirmat quæ ex Richardo Cænomano narravimus. Præterea ut dicam num. 40. Regula pro Monachis, seu Eremitis primum conscripta fuit, ideoque non pro Sanctimonialibus, tametsi iisdem quoque postea communicata. Rursus Epistola 109. sive 211. ad Moniales data fuit anno 423. occasione dissidii, quod supra commemoravi: etsi autem, ut diximus, potuit absque Regula scriptis tradita, præsente maxime ipso Sanctissimo Institutore, aliquandiu Eremiticus Ordo subsistere, attamem vix credi potest, quod per annos 36. idest, ab anno 387. usque ad annum prædictum 423. idem Ordo Regula scripta careret, præsertim cum esset per Africam diffusus, & Augustino ad Presbyteratum evecto, & commorante in civitate Hipponensi, monasteria plura illinc dissita non possent excipere auribus saluberrima Sancti Patris, ore adstantes instruentis, monita atque præcepta. Ulterius beatissimus Augustinus apparens S. Norberto Ordinis Præmonstratensis Institutori, eique Regulam, qualem nos legimus, tradens ait: *Ecce habes Regu-*

lam,

lam, quam ego conscripsi; ut habemus in Sanctorum Actis die 16. Junii. Tandem in præcitata ad Moniales Epistola, etsi num. 5. & seqq. Regula continetur mulieribus accomodata; in præcedentibus tamen verbis, nihil omnino de Regula agitur; neque vel antea, vel postea scribit S. Pater se illis Regulam mittere, ut sciant quomodo imposterum vitam instituere debeant; sed tantum illas redarguit, quoniam indecenter tumultuatæ fuerant, & de mutanda præposita altercatæ. Videtur autem mihi prorsus inverisimile, quod Augustinus ad Sanctimonialium cætum det litteras, easque ad concordiam hortetur, & nullatenus commemoret Regulam iisdem litteris adjunctam. Quare in MSS. antiquioribus memoratæ Epistolæ 109. sive 211. titulus iste præfigitur, *Objurgatio contra Sanctimonialium dissensionem*, & in quibusdam tantum additur, *& post increpationem Regularis informatio*. Videtur ergo *Regula* epistolæ illi increpatoriæ adjecta, esse scriptum ab eadem epistola prorsus diversum: quamquam si dicamus Augustinum occasione illius objurgationis Regulam præscripsisse Monialibus, quam antea viris tradiderat, optime cohæreant omnia, quæ de ipsa Regula dicta sunt modo.

CAPUT XXXVIII.

Proponuntur objecta quædam adversus ea, quæ superiori §. dicta sunt.

Regulam vero Sanctimonialibus primum datam suadere videntur ea, quæ nunc subjiciuntur. Principio eadem Regula in epistola ad Moniales continetur, ut dictum est supra. Secundo in ipsa Regula quædam occurrunt, quæ viris in monasterio degentibus aptari nequeunt, cum tamen proprie Monialibus, & Sacris virginibus conveniant; cujusmodi sunt verba illa: *Quicunque in tantum progressus fuerit malum, ut occulte litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, &c.* Tertio in eadem Regula non semel Præposita simul, ac Presbyter monasterio præfectus commemorantur, ut eo in loco, *Præpositæ tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, &c.* quæ itidem optime quadrant in monasteria puellarum, quibus non tantum Præposita, verum etiam Episcopus, aut delegatus ab

illo

illo Presbyter præficiebantur. Quarto sacris item virginibus magnopere convenit singularis illa oculorum custodia; de qua in Regula, prout habetur in Epistola ad Sanctimoniales, legitur: *Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle. Nec solo tactu, sed affectu quoque, & adspectu appetitur, & appetit femina.* Tandem etiam *speculi* comparatio, qua S. Pater lectionem & meditationem Regulæ commendat scribens, *Ut autem vos in hoc libello, tanquam in speculo possitis inspicere, &c.* demonstrant hanc Regulam puellis, quarum in speculo faciem suam intueri frequentissima est consuetudo, fuisse peculiariter traditam.

CAPUT XXXIX.

Præmissa momenta diluuntur.

SAne hæc argumenta futilia sunt, & nullius omnino ponderis. Ad primum enim quod attinet, nisi asserere velimus *Regulam* epistolæ ad Moniales fuisse assutam; atque ab aliquo amanuensi adjectam, ob rationem quam paulo supra produxi; quid prohibet asserere, S. Patrem Regulam, quam pro viris constituerat, sacris etiam virginibus accomodasse, quibusdam verbis mutatis, quibusdam quoque adjectis, ut n. 10. de tegmine capitis, & de capillorum retiolo? Ad alterum respondet in *Nucleo Regulæ* Prosper Stellartius, a quo non dissentit Nicolaus Tombeur, leve irrepsisse mendum, & in Regula pro viris scripta legendum, *ab aliqua*; sicut enim si virgo a mare litteras & munuscula accipiat, aliquam infirmioribus ingerere potest suspicionem, ita potest hoc evenire; si masculus epistolas, aut donariola clanculum recipiat ab aliqua feminarum. Horum duorum Augustinensium conjecturam confirmat nova Patrum Benedictinorum editio in qua n. 7. legitur: *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliqua litteras, vel quælibet munuscula accipiat &c.*, quem locum eruditissimi illi Patres a se correctum monent ad fidem vetustissimi MS. Corbejensis, in quo habetur Regula *ad servos Dei* ante annos mille exarata. Quamquam si mavis legendum, *ab aliquo*, adeo ut etiam viris Deo servientibus, & nihil habentibus proprium interdicta intelligantur secretum

epi-

epiſtolarum commercium, donorumque ſuſceptio; non video quid abſurdi, vel incommodi ſubſequatur. Ad tertium expedita eſt reſponſio, Monachorum, qui laici erant, præter præpoſitum inſtituti ſui virum, fuiſſe alium præſulem Presbyterum, qui illis Sacramenta adminiſtrabat, & quum nondum Monachi a juriſdictione epiſcoporum erant exempti, ipſorum curam gerebat, ut paulo poſt declarabo. Quartum hac ratione diluitur: In Regula *ad ſervos Dei* legitur, *Appetitur, & appetit concupiſcentia feminarum*, aliaque omnia verbis maſculinis ponuntur, non in editis tantum voluminibus, ſed in MS. quoque Corbejenſi; atque in aliis compluribus; ac in Tarnatenſi Regula ita idem locus adinvenitur, *Concupiſcentia incurritur feminarum*, quæ cum aliis verbis ad maſculos ut compeſcant oculorum licentiam, potiſſimum diriguntur. Poſtremum denique argumentum, quod urget Eraſmus, quam inane ſit probe intelligit quiſquis non ignorat Auguſtinum eadem ſpeculi comparatione frequenter uti etiam dum viros alloquitur: ſcribit enim lib. 3. contra Parmen. cap. 2. oracula divinarum Scripturarum nobis *tanquam ſpeculum*, eſſe propoſita, ut in illis inſpiciamus, atque in Pſalmum 118. conc. 4. mandata Dei, cum leguntur, aut memoria recoluntur, *tanquam ſpeculum*, intueri nos oportere: quam comparationem, utpote planiſſimam, ſæpenumero adhibuit; librumque compoſuit, utique non ſolis pervolutandum feminis, cui titulum præfixit, *Speculum ex veteri & novo Teſtamento*, qui liber in poſterioribus editionibus habetur 1. parte Tomi III.

CAPUT XL.

Regulam *ab Auguſtino Monachis, non autem Clericis datam fuiſſe, quomodo præſtantiſſimi viri demonſtrent.*

EXpendendum ſupereſt, num S. Auguſtini Regula pro Monachis, ſeu Eremitis ſcripta primum fuerit, quemadmodum nos initio n. 37. affirmavimus. Permultæ in ſententiæ noſtræ præſidium afferuntur rationes, quas modo attingam, quale de iiſdem ſit ferendum judicium, liberrime enuntians. Prior ratio petitur ex numero Scriptorum, qui idem, quod nos, noſtrique aſſerimus, pronuntiaverunt, a Carolo Moreau, a Cru-

a Crusenio, aliisque Ordinis Scriptoribus collecti: atque hæc ratio ob quorumdam adversantium auctoritatem non est penitus inconcussa: sed nisi exiguus numerus magnam virorum multitudinem superet, & recentiorum opinandi licentia gravitatem doctrinamque antiquiorum obruat prorsus & opprimat, futilis atque infirma censeri nequit. Ratio altera promitur ex titulo Regulæ viris datæ in pluribus vetustissimis MSS. præfixo, *Ad Servos Dei*, quibus verbis absque alio additamento positis monachos designari nullus ignorat. Diximus nonnulla huc pertinentia num. 26. & legi potest Carolus Moreau p. 1. Vindic. q. 7. ubi id luculentissime demonstravit. Hæc itaque secunda ratio validior est præcedenti. Rationem tertiam petunt quidam ex quo inter *Servos Dei*, quibus Regula præscripta fuit, nonnulli reperirentur, qui *ex paupertate* venerant, & aliis antea non audebant *accedere*, ut legitur n. 2. quod, inquit pag. 52. Crusenius, in Clericos qui in eadem Ecclesia Choro simul intererant, & priusquam in domo Episcopi ad communem vitam adigerentur, beneficiis Ecclesiasticis fruebantur, apte quadrare non possunt. Et quoniam multi ad ipsam Clericalem militiam ex humili loco adsciscebantur, ratio hæc tertia conjecturam solam suppeditat. Quarta ratio eruitur ex labore manuum, & ex operibus, in quibus sese antiquos monachos exercuisse norunt omnes, qui legerunt monasteriorum institutiones, vel unum Augustini librum *de Opere Monachorum*. Istiusmodi autem opera manualia Clericis non fuerunt præscripta; sed iis præter divinam psalmodiam commissa fuerunt officia hospitalitatis, quæ absque ullo labore exercentur. Videsis serm. Augustini 355. & quæ diximus supra n. 27. Porro iis, quibus conscripta est Regula, laboriosa manuum opera, quemadmodum antiquis omnibus monachis, fuisse communia haud obscure innuunt ea verba Regulæ num. 5. *Ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati*. Atque hæc quarta ratio addit præcedentibus saltem aliquam probabilitatem. Quinta ratio est, quam ceteris præfert cap. 34. illustris Lupus, inde deprompta quod S. Pater Augustinus in libro *de Opere Monachorum* ea, quæ in Regula continentur, monachis inculcat, atque in illorum memoriam revocat. Eadem quippe, ac in Regula, in eodem opere saltim quoad

sen-

ſententias cap. 21. 24. & 25. comprehenduntur. Vide Lupum citato in loco. Conſcripſit autem Auguſtinus opus illud circa annum quadringenteſimum, jam Monachorum monaſteriis per univerſam Africam erectis, atque hortante Aurelio, ut ſuborta inter Monachos Carthaginenſes diſſidia paternis admonitionibus coerceret. Non autem in mentem horum Monachorum S. Præſul Regulæ monita exactius ſervanda refricaſſet, niſi prius pro iiſdem Monachis fuiſſent conſtituta. Hæc autem ratio eſt quidem robuſta; ſed majorem haberet vim, ſi in libro de Monachorum Opere ſententiæ illæ iiſdem plane verbis repeterentur, & cum hoc, vel conſimili additamento, *Quemadmodum & in Regula vobis præſcripſimus*: quod cum eo in libro non habeatur, probatio illa magnam utique habet veri ſpeciem, ſed non pleniſſimam, atque irrefragabilem certitudinem. Sextam autem rationem exhibent ea Regulæ verba, in quibus Præpoſitus a Presbytero, fratrum curam gerente ſecernitur, ut num. 11. *Præpoſito tanquam patri obediatur multo magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit*; unde Regulam ad Monachos datam infert hac valida argumentatione Suareſius: *Ex quibus verbis colligo Religioſos illos, ad quos primo Auguſtinus illam regulam direxit, fuiſſe Monachos ſimiles illis, quoad ſtatum & profeſſionem, ac modum regiminis, qui tunc erant in Oriente, & per Italiam, qui ordinarie ac per ſe, & ratione ſtatus non erant Clerici, ſed laici Monachi, & ſimiliter eorum præfectus, ſeu Abbas, non erat Presbyter regulariter loquendo, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt, & ſumitur ex cap.* A Subdiacono *diſt.* 23. *& ex aliis multis* XVI. *q.* 1. *& ex Hieronymo Epiſt. ad Nepotianum. Semper vero talia monaſteria fuerunt ſubjecta Epiſcopis, & veriſimile eſt ab eis ſemper habuiſſe ſingula monaſteria Presbyterum aliquem, ad quem præcipua cura monaſterii, ſaltem quoad correctionem morum, & in rebus gravioribus pertineret, pro qua re vide, ſi placet, Caſſianum collat.* 18. *cap.* 15. *& Epiphanium Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum. Et quidquid ſit de aliis monaſteriis, de monaſterio Auguſtini colligitur ex citatis verbis; nam ſingulare nomen Presbyteri aperte indicat, unum tantum fuiſſe in illa congregatione, & conſequenter illam non fuiſſe congregationem Clericorum. Item colligitur præpoſitum non fuiſſe Presbyterum, quamvis haberet ordinarium regimen, & adminiſtrationem monaſterii, ut ex aliis*

locis ejusdem Regulæ satis constat. Denique colligitur reliquos omnes regulariter, ac per se loquendo fuisse Monachos laicos. Hæc Doctor Eximius Suaresius. Hinc vero, additis aliis, quæ fuerunt præmissa, & quorum nonnulla probabilitatem maximam, nonnulla vero rationes plane certas subministrant, concluditur Regulam ab Augustino pro Monachis primum fuisse conscriptam. Dixi autem *primum*, quoniam Clericis ad vitæ communionem adactis eamdem Regulam præscriptam quoque fuisse, maxime quod plurimi e monasterio ad Clericatum adsumerentur, res est admodum verisimilis: ut censet quoque Suaresius loco prælaudato, idest, tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 8. num. 19. necnon S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 14. §. 2. atque Scriptores rerum nostrarum universi.

CAPUT XLI.

Quæ opponi solent, breviter enarrantur.

Adversus dicta objiciuntur nonnulla, quibus, ut bene animadvertit Christianus Lupus, talia objicientes quærunt nodum in scirpo. Ajunt in *Decreto* haberi cap. *Non dicatis* 12. q. 1. ex Regula Augustini depromptum, cum hac citatione, *Serm. 3. de Com. vita Clericorum*. Vincentium in suo Speculo Historiali, S. Antoninum, Volaterranum, aliosque scriptores asserere traditam ab Augustino Regulam Clericis, qui postea *Canonici Regulares* sunt appellati; in Officio quoque edito, ut fertur, a S. Thoma legi: *Tu de Vita Clericorum sanctam scribis Regulam*. Deinde opponunt Eremitas non habuisse bona immobilia, quæ in commune conferrent; in illos item minime quadrare quod in Regula præscribitur: *Non sit notabilis habitus vester*: rudi itidem eorum vesti necessariam non fuisse lotionem, in ipsa Regula commemoratam; imo nec pluribus illos eguisse indumentis, quæ servarentur *sub uno custode*, ne læderentur a tineis. Tandem objiciunt, cultoribus nemorum non fore præcipiendum, ne in feminas oculos conjicerent, neque ut pudicitiam custodirent in Ecclesiæ conventu; quoniam commorantes in solitudine, atque in privatis orationibus divinas laudes concinentes remoti sunt a feminarum occursu, & a frequentatione templorum,

CAPUT XLII.

Superiores oppositiones diluuntur.

PLacuit hæc paucis comprehendere, quoniam nullam, aut nonnisi levem ingerunt difficultatem, ac singulis præterea abunde Nostrates satisfecerunt, præsertim Christianus Lupus, & Aloysius Torelli. Prima itaque objectio unico verbo diluitur a doctissimo Suaresio, qui ait, aliquando Augustinianam Regulam appellari *Regulam Clericorum*, quia pro Eremitis conscripta, fuit postmodum Clericis communicata. Hanc responsionem manifesta ego comparatione confirmo. Detur enim Regulam fuisse scriptam pro Sanctimonialibus, ut Erasmus, Bellarminus, Desnesius, Vindingus, aliique censuerunt; quomodo obsecro, tunc *Clericorum Regula*, diceretur, nisi quia primum feminis, deinde Clericis data? Ita ergo nos asserimus, Regulam illam dici aliquando *Regulam Clericorum*, quia ex Eremitis ad Clericos postea pertransiit, quemadmodum ad permultos alios Ordines Religiosorum Virorum, qui fuerunt postmodum instituti; quique hanc ipsam Regulam recte dicunt propriam suamque, etsi illam acceperint vel a Canonicis, vel a nobis. Quæ cum ita sint, jure Majores nostri versiculum prælaudatum, *Tu de vita Clericorum*, in hæc alia verba commutarunt, *Tu de vita Monachorum*; non quod errasset hymni sapientissimus auctor, qui fortassis *Regulæ* nomen, aut pro sermonibus de Communi Vita Clericorum, aut pro quavis institutione Clericis data, accepit significatione nequaquam impropria; sed quia falsa eorumdem verborum interpretatione adversarii nostri nimium ac pueriliter gestiebant. Nec pro suo libito, sed recte sapienterque ita Nostrates eadem verba immutarunt; nam Augustinianæ Regulæ in vetustissimis codicibus nullibi præfigitur hic titulus, *Regula Clericorum*; sed fatentibus Lovaniensibus, & Parisiensibus, qui codices omnes quotquot adinvenire potuere, lustrarunt, Regula vere ab Augustino scripta titulum habet istum, *Regula ad Servos Dei*; *& Regula Clericis tradita* inscribitur tantummodo Regula altera, quæ incipit, *Communi definitione*, omnium omnino eruditorum judicio explosa & rejecta. Cum itaque proprius, ac peranti-

quus titulus Regulæ ſit, *Regula Monachorum*, non *Regula Clericorum* (nam docente ipſomet S. Thoma *Servi Dei* iidem ſunt, ac *monachi*,) merito ita in ſacro hymno legimus, *Tu de vita Monachorum ſanctam ſcribis Regulam*. Nec ignoro a Noſtratibus *alias hujus* mutationis cauſas proferri, quas ad annum *389. n. 98.* collegit Torellius: ſed hanc rationem a me allatam veram arbitror, ac ſatis munitam; præſertim cum ſermo quoque tertius *de Communi Vita Clericorum* fictitius ſit, & a Gratiano male citatus in cap. *Non dicatis*. Videatur poſtrema editio Romana pag. 522. Cetera non indigent refutatione. Unde enim colligere poſſunt adverſarii noſtri, Monachis ab Auguſtino inſtitutis non fuiſſe bona immobilia, cum conſtet ex Epiſt. 239. ad Alipium *Servos Dei* in agro Tagaſtenſi commorantes, quando Auguſtinus rediit *e Tranſmarinis*, communem vitam, collatis in unum patrimoniis, duxiſſe? Unde etiam evincere poſſunt, veſtes Monachorum illorum nunquam fuiſſe lavandas, aut Eremitas tunicam unam habuiſſe, quam ſordidiſſimi incedentes mutare non poſſent? Ad Parochialem vero Eccleſiam ſtatis diebus non conveniſſe Monachos atque Eremitas, qui utique preces quotidianas in Oratoriis ſuis faciebant, nemo unus poteſt aſſerere, niſi qui prorſus ignoret inſtituta veterum Monachorum. Quamobrem, ut recte ratiocinatur præſtantiſſimus Lupus, objectio illa poſtremo loco producta potius confirmat ſententiam noſtram, quam illam quodammodo infringat. Enim vero ii, quibus Regula data eſt, privatum Oratorium habebant, & in Eccleſiis non procul a feminis ſtabant, eis namque præcipitur, ut *in Oratorio* nihil agant, niſi ad quod factum eſt, atque ut *in Eccleſiis*, & ubicumque feminæ ſunt, invicem pudicitiam cuſtodiant. At Clerici neque habebant Oratorium tunc temporis illis conceſſum, nec poterant ad Eccleſiam frequenter accedere; ſed in ipſa Eccleſia, in qua clericalia munera obibant, & domicilium tenebant, orare debebant diebus ſingulis: neque in navi, aut in alia templi parte, ubi feminæ & laici conſiſtebant, ſed intra cancellos, atque ab illis ſegregati commorabantur. Monachi autem Oratoria proculdubio habebant in cœnobiorum ſeptis, ad Eccleſiam ſolemnioribus præſertim diebus, & quando ſacri Antiſtites concionabantur, una cum aliis fidelibus conveniebant; atque cum laici eſſent, extra cancellos, & a Clericis remo-

ti,

ti, nisi & ipsi inter Clericos fuissent adscripti, tenebantur consistere. Sententia ergo nostra de Regula S. P. Augustini Monachis primum scripta, oppositis argutiunculis nulla ratione convellitur, sed illis potius magis, magisque corroboratur.

CAPUT XLII.

De Monastico Augustini habitu pertractatur.

POsteaquam de *Regula* Augustinianis Monachis præscripta differui, quantum instituti mei ratio postulabat, hujusque loci patiebantur angustiæ; reliquum est, ut de habitu quoque Augustini, & institutæ ab illo familiæ dicam nonnulla. Ac principio non mihi videtur admodum inverisimile, quemadmodum alios religiosorum Ordinum institutores, ita Augustinum de vestium colore nimis fuisse sollicitum, modo militantes Deo exteriori quoque habitu a laicis secernerentur. Enimvero nihil in *Regula* præscriptum adinvenimus, nisi ut advertamus sedulo, ne habitus sit *notabilis*, idest, neque nimis nitidus, neque abjectus plurimum, & qualem ab ipsomet Augustino delatum narrat cap. 22. Sanctus Possidius. Nihilominus, ne rem hanc tacitus omnino prætersam, affirmo Sanctissimum Protoparentem nigra indutum tunica, & zona præcinctum incessisse, habitumque gestasse nostro parum absimilem, quamvis ad Episcopatum evectus byrrhum etiam, de quo indumenti genere dicam infra, aliaque sui Ordinis insignia gestaverit. Id vero, si adscriptum Ambrosio sermonem, illosque *ad Fratres Eremi*, de quibus in antecessum differui, exciperemus aliquem, extra omnem controversiam positum foret. At spurii sunt, inquis. Sint, ut cum viris litteratissimis arbitraris. At enim perantiqui sunt, a pluribus commendati, neque omnia, quæ in suppositititiis opusculis continentur, rejici debent inter commenta, & fabellas. Id vero de iis, quæ dicuntur de Augustini habitu, præsertim tenendum est: nam quod in sermone præferente Ambrosii nomen asseritur, haberi etiam in vetustis quibusdam Martyrologiis constat ex Martyrologio Romano a Morsalino Minorita recognito: in quo III. Nonas Maji legitur: *Conversio S. Augustini Episcopi & Confessoris sub Ambrosio S. Episcopo, & ab eodem baptizati, & nigrum Mona-*

nachalemque habitum induti. Idem habetur in Martyrologio Romano Francisci Maurolesci pag. 29. 2. edit. Venetæ an. 1576. apud Junctas: *Mediolani conversio Sancti Augustini Episcopi, a Sancto Ambrosio Mediolanensium præsule baptizati, & monastico nigroque habitu induti*. Similia extitisse in Martyrologio Usuardi constat ex Annotat. Joannis Molani ad Martyrolog. edit. Lovaniensis an. 1568. ad diem 5. Maji, ubi fatetur se abrasisse eadem verba (vide adversariorum nostrorum animositatem) quia Usuardus ea adjecerat, lectione sermonis pseudoambrosiani deceptus. Verum alias de Augustini monachali habitu rationes proferre possumus, præter eas, quæ ex sermonibus inter spurios rejectis, atque ex prædictis Martyrologiis depromuntur. Nam cum Monachus fuerit, ut demonstravimus supra, nullo eo, quem nos deferimus, habitu congruentiori uti poterat. Monachorum quippe communem fuisse pullam ac nigram vestem, necnon zonam pelliceam, compertum est omnibus. Nam Sanctus Hieronymus Blesillam Sanctimonialem *nigram* gestasse vestem, Asellam quoque indutam *tunica fusciore*, & Jovinianum priusquam abjecto Monachi cucullo fidem pessundaret, vestitum *pexa tunica*, & *nigra subucula*, scribit iis in locis, quæ cap. 21. de Origine Ordinis nostri collegit vir ornatissimus Christianus Lupus. Idem Hieronymus Sarabaitas, qui assumpto Monachorum habitu domos penetrabant, & voluptatibus indulgebant, appellare solebat *furva tunica pullatos*. Martinum itidem Gallorum Monachorum parentem Severus Sulpitius incessisse narrat *in veste hispida nigro & pendulo pallio circumtectum*. Prudentius in Hymno de Jejunio de Religiosis viris pœnitentiam agentibus cecinit, *squallent recincta veste pullati Patres:* atque Ennodius de Monacho fugitivo: *Fuscam oppressit vestem*. Legito Crusenium p. 1. cap. 17. & Stellartium p. 2. differt. 3. Sane Moniales, quæ sub Augustini Regula sese Deo devoverant, eodem habitu, tunica scilicet nigra induebantur: nam cum Ecdicia nesciente, ac repugnante viro, bonis omnibus in eleemosynam distributis ad monasterium feminarum confugisset; S. P. Augustinus illam reprehendit epistola 199. nunc 262. in qua num. 9. ita loquitur: *Quid enim est absurdius, quam mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare? Quia etsi*

te

te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito observato exoratoque sumi, quam illo inconsulto contemptoque præsumi. Quod si Augustinianæ Moniales *nigellis* vestibus incedebant indutæ; non video cur ejusdem indumenti genus Augustini monachis filiisque negari debeat: immo non video, quomodo in alicujus mentem cadere possit, ipsummet Augustinum non gestasse communem habitum Monachorum. Quare perantiquus Auctor Ord. S. Benedicti in Opusculo *De prima Institutione Monachorum*, quod ex Bibliotheca Cottoniana editum est in Monastico Anglicano statim post Propylæum, loquitur ad hunc modum: *Desistant ergo Canonici se in antiquitate conferre Monachis, quorum legislator & monachos habuit præcessores, & fuisse monachus prædicatur. Nempe ipse beatus Augustinus de seipso dicit in quodam sermone, quem dictavit*, Aut Monachus salvabor, aut nunquam salvabor. *Signum quoque satis evidens in seipso monachatus prætulit, cum indutus fuisse tunica, & cuculla narratur juxta morem Monachorum, qui eum præcesserunt, Antonii scilicet, Hilarionis, & Macarii utriusque, ceterorumque, quos longum foret memorare. Et hæc quidem Canonicorum calumniæ sufficere satis putamus.* Non ita tamen niger habitus fuit Majorum nostrorum proprius, ut subtus superiorem, ampolioremque tunicam, quam Casulam nonnulli appellarunt, propterea quod ad instar parvæ casæ circumdabat, tegebatque totum corpus, non haberent pallium & cucullum, aut album, aut nigrum formæ angustioris, quibus intra septa Monasterii uterentur. De Sancto enim Fulgentio Monacho, & Augustini discipulo, de quo alibi pertractabimus, Auctor anonymus & vitæ illius scriptor cap. 18. inquit: *Subtus casulam nigello, vel lactineo pallio circumdatus incessit*; in quem locum plura lectu digna cap. 20. & 21. eruditissimus Lupus. Hinc vero obiter nota, instituti nostri sodales ab ipsa Augustini ætate vestes utriusque coloris adhibuisse, nigri scilicet, atque albi. Commemoravi superius *zonam pelliceam*. Hanc maxime competere Monachis religiosisque viris commonstrat in Regulis fusius explicatis cap. 23. Magnus Basilius exemplo Eliæ, Præcursoris Joannis, Petri, aliorumque Apostolorum, necnon mystica illius significatione. Atque prælaudatum S. Fulgentium Africanorum Patrum, discipulorumque Augustini præstantissimum zona fuisse præcinctum,

narrat

narrat citato cap. 18. Auctor anonymus hisce verbis: *Pelliceo cingulo tanquam monachus utebatur*. Igitur habitum, cujus nonnulla insignia delineavi, adhibuisse Augustinum ejusque Monachos, ipsius quoque habitus honestas & condecentia iis omnibus, qui non dubitant de Augustini Monachatu, quamfacillime suadebunt. Accedunt tamen momenta alia. Enim vero in Romanis Archiviis, quæ laudant Carolus Moreau, aliique Nostratium servantur monumenta vetustissima: ex quibus constat eo tempore, quo celebrata fuit Synodus Chalcedonensis, & circa annum Christi 451. ex Africa in Æthiopiam penetrasse *Monachos indutos habitu nigro, & zona præcinctos*, qui apud Æthiopes monasteria ædificarunt, & quorum etiam nomina recensentur. Citantur vero, ac producuntur istiusmodi momenta ex Tabulariis Ecclesiæ S. Stephani p. 1. Vindiciarum pag. 78. Præterea eadem habitus forma probatur ex vetustissimis S. Patris pictis, sculptisque imaginibus. Etenim Angelus Rocha instituti nostri vir celebris, Præfectus Apostolici Sacrarii, & Angelicæ Bibliothecæ fundator, in libro, cui titulus *Bibliotheca Vaticana* pag. 243. testatur in perantiquo libro pergameno ejusdem Bibliothecæ, necnon ad illam Bibliothecæ partem, in qua Opera S. Augustini asservantur, S. Patrem depictum esse *Pontificalibus indutum vestibus, & nigra cuculla*. Eadem ratione Augustinus indutus olim cernebatur in simulacro supra portam Cumanam Mediolanensis civitatis ætate S. Galdini, qui obiisse fertur anno 1175. atque idem simulacrum etiamnum asservatur supra januam Templi S. Marci Fratrum nostrorum, quibus illud dono dedit Dominus quidam Vicecomes, ut post Paulum Bergomensem; & Ludovicum de Angelis scribit in IV. Responsione Pacifica n. 65. Thomas de Herrera. Romæ plures hujus generis inveniri imagines certum est, atque has inter vetustam S. Mariæ, quæ vulgo appellatur *de' Monti*, cui a dextro latere extat S. Augustinus Eremitico indutus habitu. At de his aliisque innumeris imaginibus & simulacris legendi Joannes Marquez cap. 7. & Th. Herrera cit. Resp. IV. in qua quidquid Pennotus aliique ex adverso reposuerunt, multiplici confutatione revincit. Vide & Stellartium p. 2. *Augustinomachiæ* dissert. 4. Præterea quæ diximus de Augustini habitu, confirmantur variis ejusdem Augustini apparitionibus, quas enarrat, & a frigidis insulsis-

que

que adverſantium evictionibus ſtrenuiſſime vindicat prælaudato in loco P. Herrera a num. *93.* uſque ad num. *196.* Sunt autem apparitiones illæ celebriores duodecim, quibus S. Pater in noſtro, quo induimur habitu, ſe ſe aſpiciendum exhibuit. Eaſdem apparitiones recenſent, illarumque nonnullas vindicant Joannes Pinius, aliique Patres Soc. Jeſu in Act. SS. tom. VI. Auguſti pag. 380. & ſeqq. Addam vero apparitionem unam ſingularem, & quam a nobis confictam nemo poterit affirmare, quemadmodum de aliis quibuſdam adverſarii noſtri dicere audent, & quæ certa ratione refutare non valent, temere eludentes conviciis, atque impoſturis. Itaque Anna a S. Auguſtino Sanctimonialis Ord. S. Thereſiæ in Vita a ſe de mandato Superiorum ſuorum ſcripta num 15. enarrat, ſe quadam die ad Baſilicam S. Pauli extra muros Romæ in via Oſtienſi contendiſſe, ut rei divinæ intereſſet; in via offendiſſe mulierem quamdam pauperrimam, & veſte, quæ feminam deceret, carentem; commiſeratione permotam cum illa ad prædictam Baſilicam veniſſe, ibique in remotiori ſacello interiorem tunicam ſibi detractam pauperculæ dediſſe dono. Interea elapſum Miſſarum tempus: quum non adeſſet qui celebraret, atque hac de re Anna dolore maximo afficeretur, nunciatum eſt illi a fratre ſuo, quem viæ ſocium habuerat, *ſuperveniſſe fratrem quemdam Monachum Auguſtinianum*, *qui ſe ad Miſſam dicendam comparabat*. Gaviſa eſt virgo, acceſſit ad aram, ſacris myſteriis interfuit, ſenſitque vehementiſſimum erga res divinas affectum, qualem antea nunquam experta fuerat. Peracto autem Sacro, in eodem loco permanenti frater ſuus iterum admirabundus accurrit, nunciavitque Monachum illum Auguſtinenſem ſacris depoſitis veſtibus ſubito evanuiſſe. Nocte proxima oranti idem, qui Miſſam celebraverat, Monachus apparuit; inquit e ſuperis ſe deſcendiſſe ut deſiderio ſuo audiendi Miſſam ſatiſfaceret, ob charitatis officium miſerrimæ feminæ præſtitum: Auguſtinum ſe eſſe, cujus ſtudio Anna plurimum tenebatur. Poſt hunc autem eventum magis ſe Anna Auguſtino colendo addixit, decrevitque ſi Monacha fieret, quod jam tum cogitabat, *Auguſtini* ſuſcepturam eſſe cognomen. Habes ergo miram, ac repetitam Auguſtini apparitionem, quod neſcio, qua ratione qui Auguſtini Monachalem habitum negant, elevare poterunt, ac parvipendere. Illam operi, quod inſcripſit

Concentus Euchologicus, pag. 458. Venetæ Editionis inseruit Franciscus Macedo. Hæc, aliaque plurima, quæ apud Historiographos Ordinis legi possunt, de Monachali Augustini habitu unumquemque instruent satis, reddentque certiorem. Ceterum ne id quoque figmentis & commentationibus Nostratium tribueretur, & corrueret postrema oppositio num. 29., sat erat quosdam extra familiam nostram proferre, qui suffragiis suis quæ hactenus diximus comprobarunt. Adisis Rudericum Hispalensem ad an. 419. Alphonsum Maldonatum in Chronico Universali fol. 114. S. Antoninum 3. p. tit. 24. cap. 14. Franciscum Petrarcha lib. 2. de Vita solit. Gregorium de Valentia S. J. de Statu & Vot. Relig. cap. 4. art. 2. Jacobum Gualterum ejusdem Societatis Jesu in Chronologia ad an. 451. Gundisalvum de Illescas lib. 5. Hist. Pontific. cap. 33. aliosque supra commemoratos num. 24. 25. & 26. Ut enim rudem hanc probationum syntaxim absolvam verbis præclari doctique Vatis Baptistæ Mantuani Carmelitæ; is descripta tum nigra, cum alba tunica, quas in Eremitanam familiam cooptatus induit Sanctus Nicolaus Tolentinas, in hujus Vita castigate ac nitide procusa typis Antuerpiensibus opera Cornelii Curtii pag. 146. ita cecinit:

Et sacer evadens duplicem vestitur abollam.
Alba subest nigræ, duplicique obnubit amictu
Tempora; proximior nudo, candore nivali
Albicat, exterior fuligine tingitur atra.
Veste sub hac olim Pater Augustinus Eremum
Incoluit, postquam Christum suscepit, & ante
Libaret quam sacra Deo, trieterida totam.

CAPUT XLIII.

Proferuntur contraria momenta quatuor.

ADversus autem ea, quæ de Augustiniano habitu diximus, quatuor potissimum militare videntur. Primum est, quod momenta a Nostratibus producta, infirmissima censeri debeant: nam, ut sæpe diximus, sermo Ambrosianus fictitius est, ejusdemque farinæ sermones ad Eremitas. De imaginibus autem, picti-

pictisque tabellis illud repetendum, quod ajebat Horatius Flaccus:

........ Pictoribus atque Poetis (a)
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Apparitiones vero ab Eremitis Augustinianis confictæ sunt. Sed & non semel Augustinus apparuit Pontificalibus vestibus exornatus, albisque Canonicorum indumentis. Corrunt ergo momenta omnia, frigidis hisce conjecturis subnixa. Deinde constat ex Bulla Gregorii IX. *Dudum apparuit*, data anno 1236. IX. Kalendas Aprilis, hoc anno ab Apostolica Sede habitum nostrum fuisse determinatum, jubente in ea Constitutione Romano Pontifice, ut Fratres nostri habitu nigro contenti *largas & protensas manicas quasi ad instar cucullarum, & desuper ipsa ferant peramplas corrigias, & patenter omnibus apparentes, ita quod omnes cincti deforis eas vestibus nequaquam contegant, &c.* Insuper S. Augustinus serm. 50. de diversis, nunc 356. num. 13. aperte declarat se communem cum ceteris Clericis vestem gestasse, & tunica linea ac byrrho (quæ insignia Canonicorum sunt) indutum fuisse. En ejus verba: *Quod commune erit, distribuetur unicuique, sicut cuique opus erit. Gazophylacium attendite, & omnes habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune: de communi accipio & mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle quidquid habeo. Nolo talia offerat Sanctitas vestra, quibus ego solus, quasi decentius utar; offerat mihi, verbi gratia, byrrhum pretiosum: forte decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, idest, hominem pauperem de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa seculari professione mea? Non decet: talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere Presbyter, qualem potest habere decenter Diaconus & Subdiaconus, talem volo accipere: quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod &* fa-

(a) *In arte paulo post initium.*

facere solet, ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis possit esse commune. Vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam; totalem det, unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Digna sane verba, quæ ad mentem filiorum ejus, sive Canonici sint, sive Monachi, sæpenumero revocentur! & quæ communem Augustino aliisque Clericis vestiendi formam, invictissime manifestant. Tamdem ex Epistola 263. alias 248. ad *Sapidam* Virginem num. 1. evidens est, S. Patrem accepisse, & induisse se tunica, quam *Sapida* manibus suis contexuerat pro germano fratre suo, Diacono Ecclesiæ Carthaginensis; quo demortuo optabat soror, ut eadem tunica Augustinus vestitus incederet. *Accepi* (inquit S. Pater) *quod de justis & piis laboribus manuum tuarum me accipere voluisti, ne te gravius contristarem, quam potius consolandam viderem; præsertim quia hoc ipsum tuum non parvum deputasti solatium, si eam, quam germano tuo sancto Dei ministro feceras tunicam, ego induerer; cum jam a terra morientium recedens nullis rebus corruptibilibus indigeret. Feci ergo quod desiderasti, & qualecunque hoc existimaveris, vel quantulumcunque solatium, tuo erga fratrem pectori non negavi. Missam abs te tunicam accepi, & quando hæc ad te scripsi, ea me vestire jam cœperam.* Germanum Sapidæ fuisse Diaconum Ecclesiæ Carthaginensis, constat ex num. 2. ejusdem epistolæ. Hinc vero Augustinum eadem, quam Diaconi aliique Clerici ferebant, tunica fuisse indutum, res est sole meridiano splendidior.

CAPUT XLIV.

Explicantur præcipua vocabula, quibus religiosorum virorum vestis significatur in antiquis, & recentioribus illorum Institutionibus.

PRiusquam hæc objecta solvamus, operæ pretium est, vocabula quædam, ad significandas communes Monachorum, & Clericorum vestes usurpata breviter explicemus, non ea, quæ in sacris mysteriis utuntur, de quibus disserui-

mus

mus agentes de Ordinis Sacramento, & de Sacrificio Missæ, sed quorum ordinarius est usus. Sunt autem *Byrrhus*, *Tunica*, *Cucullus*, *Cappa*, *Scapulare*, *Caputium*. *Byrrhus* itaque, de quo in præcitato Augustini sermone, si Erasmo assentiamur, est pileus, quo utebantur Episcopi, rubri coloris; unde mavult idem Erasmus appellandum esse *Pyrrhum*, non *Byrrum*. Baronius eo vocabulo significari putat palliolum cancellatum, quo uti solent Antistites, & Canonicorum nonnulli, vulgo *Mozzettam*; qualem fuisse censet lacernam burram S. Cypriani. Vide Eccl. Annal. ad an. 261. & Dominicum Magri, V. Birrhus, & eruditum Episcopum Sarnellium Tomo 2. pag. 60. 65. Ecclesiastic. Epistolar. Edit. Venetæ. Significari *Byrrho* quamcunque vestem demonstrant Salmasius ad Tertulliani *Pallium*, Menardus ad Concordiam Regularum, Ducangius in Glossario, aliique: atque in hac significatione *Byrrhus* accipitur ab ipso Augustino, qui sermone 161. alias 18. de verbis Apostoli cap. 10. de femina inquit: *Si illi* (amasio scilicet) *dixerit*, *Nolo te habere talem byrrhum*, *non habet*; & Fulgentius itidem lib. 3. ad Monimum: *Accepto cujusdam byrrho*, *&* *manibus retento*. Joannes autem Cassianus lib. 1. Instit. cap. 7. dicit *byrrhum* esse indumentum amplum, atque oppositum *maphorti*, idest, angusto palliolo, *quo monachi colla atque humeros contegebant*: ac denique ex Clemente Alexandrino lib. 2. Pædagogi cap. 4., ex præcitato loco Cassiani, & ex aliis probatissimis auctoribus Christianus Lupus cap. 28. *de Origine Eremitarum* demonstrat *byrrhum* fuisse oblongam, latam, atque ad talos usque demissam chlamydem, quam Græci *ephestim*, sive *amphibalam* appellabant, dixeris superius indumentum, himatium, palliumque, quod cum Monachi, tum Clerici extra domum progredientes supra ceteras vestes deferunt, Italice, *Ferrajolo*, *Mantello*. Atque hunc *byrrhum*, quem Vincentius Bellovacensis lib. 23. cap. 4. *amphibalam* vocari testatur, *amphibalum* appellat Severus Sulpitius in Vita S. Martini Dial. 2. scribens: *Amphibalum sibi eduxit*; & Vennantius quoque Fortunatus lib. 3. cap. 1. his verbis:

Qui tunicæ interius non inspiciebat amictum,
Amphibalo exterius dum membra obtecta laterent.

Vide etiam laudatum Magrium V. Amphibalum.)

Dixi

Dixi de *Byrrho*, nunc *de Tunica*. Ac primo Tunica, ea præsertim, quæ *linea* sit, de qua in præcitato sermone 356. nihil est aliud, quam Alba, a Sacerdotibus, Clericisque in templo ministrantibus delata: ita enim docent, qui de divinis Officiis pertractant Innocentius III. Amalarius, Rupertus, Durandus, atque ante hos omnes S. Gregorius Magnus lib. 7. epist. 63. ad Joannem Episcopum Syracusanum. *Tunica* etiam appellatur sagum militare: de quo tunicæ genere nil hoc in loco. Monachalem vero tunicam esse oblongam lacernam, aut interiorem amphibolam, chlamydemque, subtus pallium, ac semper, etiam in monasterio deferendam, norunt omnes. Qui tamen plura de hac *tunica* scire desiderat, adeat Hæstenum lib. 5. Disquisitionum Monasticarum 3. Tractatu, disq. 7. Huic *tunicæ* vel assutum, vel appositum esse gerendum caputium, si de Monachis loquamur, constat ex Lanfranco in Statutis cap. 18. si de fratribus, quos *Mendicantes* vocant, colligitur ex Regula S. Francisci cap. 2. atque ex Vita Joannis Boni Ordinis nostri, viri sanctitate percelebris, conscripta a Constantio Laudensi lib. 1. cap. 2. De reliquis Religiosorum virorum Ordinibus non opus est disseramus. Quam gestabant Augustinenses Monachi vivente Sanctissimo Institutore, obtegisse totum corpus, & capitio fuisse instructam, haud obscure infertur ex ipsomet Augustino, qui enarratione in Psalmum 132. declarat quomodo in *tunica* Deo servientium appareat crucis imago, quando brachiis in manicas immissis, per oras ipsius tunicæ *intrat caput hominis*, *ut vestiat se*: atque enarratione in Psalmum 147. inquit, eosdem Dei servos per viam transeuntes cognosci *ipso habitu vel vestis*, *vel capitis*. Tunica demum dicitur quoque interula linea, quam alio nomine indusium, aut subuculam appellamus: de qua idem Augustinus serm. 45. de diversis, seu 37. cap. 5. *Interiora sunt linea vestimenta*, *lanea exteriora*. De hac tunica in obscæno quodam carmine Ovidius: (a)

Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

A *tunica* ad *Cucullum* progrediamur. V. laudatum Magrium, V. Cucull. *Cucuculli* nomen pervetustum est, designatque vestem

(a) *Amorum Eleg.* 5.

ſtem caput operientem, unde & *cuculla* Monachorum, quæ tamen eſt indumentum ad pedes protenſum, tunicæ in longitudine par. Caſſiani ætate cucullis capita tantum tegebantur, demiſſis ad cervicis humerorumque confinia. Ita *de habitu Monach. cap.* I. Videntur hujus generis eſſe capitia, quæ a fratribus rigidioris diſciplinæ tenacibus nocturno tempore in noſtro quoque ſodalitio adhibentur. Benedictus autem Abbas Ananienſis voluit, ut Monachorum *cuculli*, menſuram duorum cubitorum non excederent: & modo jam *cucullæ* nomine intelligitur talaris tunica cucullata. Poeta quidam infimi nævi apud Ducangium ita *cucullam* deſcribit:

Veſtis lata tegens caput, armos, eſto cucullus.

Si id genus veſtis a *tunica*, & a *capitio* ſecernas, nonniſi apud Monachos, qui ſe Fratres appellari dedignantur, invenies: quamobrem cuculla communiter jam monaſticum indumentum, ſeu *Cappa* intelligitur, & Monachi ipſi a Petro Cellenſi lib. 7. Epiſt. 14. *Cucullati* dicuntur, necnon apud ſequioris ætatis Scriptores, Monachum induere *ſe cucullare*. Cucullus vilis fuit apud profanos, & Ethnicos; uſurpatus propterea ab iis, qui facti ſunt, ut Apoſtoli utar verbis, *ſtulti propter Chriſtum*, omniumque *peripſema*. Dixere Latini *Bardocucullum*, quaſi bardorum ſtultorumque tegumentum: de quo Valerius Martialis lib. XVI. Epigr. 128.

Gallia Santonico veſtit te Bardocucullo.

Similia Satyra 8. Juvenalis. Cucullum itaque humilitatis cauſa induerunt religioſi viri, ut olim Pallium, de quo tam diſerte Tertullianus. Jam vero de *Cappa*, & de *Capitio* dicam; ſed quambreviſſime, quum conſtet ex nuper dictis *Cappam* idem eſſe ac tunicam, *Cucullum* vero idem ac veſtem, qua caput obtigitur, ſive capitium, Βαρβαρικῶς *caputium*. Igitur *Cappa* (ita enim complures ſcribunt) eſt laxior ac talaris tunica, ſic dicta, inquit Iſidorus lib. 19. orig. cap. 31. *quaſi totum capiat hominem*. Hinc *Cappellani* primum vocati, qui *Cappam* S. Martini cuſtodiebant; deinde templorum cubicularii; poſtmodum Eccleſiaſticis officiis peculiari quadam ratione man-

mancipati, Vasconum potius lingua, quam Latinorum. *Caputium* est capitis tegumentum, *cappæ* assutum, ut de cucullo diximus, aut illi superinjectum. Puto Religiosorum Ordinum Sanctissimos Institutores tale detulisse capitium, qualem gestabant patriæ suæ homines humili loco nati, ita, ut pro varietate regionum diversæ capitiorum formæ intruderentur, quæ a Laicis dimissæ, apud Monachos permanserunt. Sanctum enim Franciscum usum *caputio quadrato*, *quod faciem operiret*, *&* *quod deferre consueverunt agrestes* Umbri, legitur in antiqua historia apud Rodulphum. Ut autem *cucullare*, ita *caputiare* scripserunt nonnulli. Vide Glossarium mediæ, & infimæ Latinitatis. *Scapulare* demum, quod palliolum etiam, & aliquando *caracallam* dici animadverti, est vestis scapulas tegens, ac pro Monachis institutum videtur loco *cucullæ*, ut veste illa minus ampla facilius operi insisterent. De *Scapulari* Warnerius apud Ducangium:

Et tibi propter opus humeri scapulare tegantur.

Antiquis idcirco Monachorum institutionibus est consentaneum, quod nos cum tunicis albis, quibus domi vestimur, deferimus *scapularia*; cum *cappis* vero, quæ *byrrhi*, & *cucullæ* vicem gerunt, non item. At de habitu Religiosorum virorum, ejusdemque habitus antiquis, & recentioribus vocabulis hæc dumtaxat.

CAPUT XLV.

Discutiuntur quæ objecta sunt num. 43.

RRedeundum jam ad ea, quæ num. 43. objiciebantur. Primum autem adversum nos argumentum facili ratione dissolvitur. Diximus quippe, etiam supposititiis scriptis, illorum saltim temporum, quibus prodiere, comprobari consuetudines; ne alia, quæ de sermone Ambrosii nomine edito, & de iis, qui *ad Fratres Eremi* sunt inscripti, prolixius differui, nunc repetantnr. Præterea nos iis momentis, quæ ab adversariis exagitantur, minime usi fuimus, saltim ut præcipuis assertionum nostrarum fulcimentis. Insuper, ut de sculptis, pictisque imagini-

ginibus loquamur, etsi harum artifices soleant plura fingere, simulque aprum ac delphinum delineare: res tamen singulas propriis characteribus solent distinguere, virisque ac feminis aptare sui generis indumenta. Scimus autem sedente Benedicto XIII. Religiosos S. Francisci, quos *Observantes* appellant, post diuturnam gravissimamque controversiam cum Minoribus Conventualibus, obtinuisse ut in Vaticano Templo simulacrum Seraphici Institutoris cum suomet habitu sculperetur, quod is magis, quam alter calceos referens, cucullum amplum, tenue capitium, & cingulum ex filo confectum, similis videatur imagini in musivis Lateranæ Basilicæ supra Chorum, aramque maximam persistenti. Ex quo vero Augustinus Pontificali quoque veste contectus & pingatur, & apparuerit, nil infertur aliud nisi fuisse revera Pontificem: & quemadmodum Episcopalis ornatus Episcopum, ita vestis Monachalis Monachum eum fuisse demonstrat. Profecto apparitionum ejus ego unam tantum narravi, & quidem ex testimonio exterorum. Hæc itaque dici nequit ab Eremitis conficta. Non ideo tamen, quod unicam commemoravi, ceteras fictitias esse concedo: nam singularis illa apparitio, qua permotus Alexander IV. magnam Eremitarum unionem peregit, & quam ægre ferunt Canonici Regulares, authenticis scriptis, ac nube testium confirmat Resp. 4. a num. *96.* usque ad num. 118. Thomas Herrera, propugnatque adeo invicte, ut nulla superesse queat probo honestoque lectori dubitatio. Mirantur Bollandistæ num. 824. a Pennotto in Historia Tripartita lib. 1. cap. 40. n. 5. eidem apparitioni fidem levissimis ex conjecturis abrogari. Hujus generis, certa scilicet, nec in dubium revocanda, est apparitio altera facta Francisco Gonzagæ Mantuanæ civitatis, ditionisque domino: cujus invictissimum testimonium est perseverans apud cives illius urbis traditio, publica, & quotannis Rectorum ejus ad Sacram S. Agnetis ædem renovata ad voti perennitatem accesio, Augustini a Francisci Gonzagæ ætate cultus tanquam munificentissimi patroni antiqua pictura, versibusque composita inscriptio supra majorem templi januam ex interiori parte: quorum omnium & nos oculares testes sumus, qui anno 1720. ea occasione in eadem Agnetis æde habuimus Panegyricam Orationem. De hac vero apparitione Augustini Thomas de Herrera cit. Resp. 4. num. 137. Pamphilus in Chro-

nico ad an. 1400. Simplicianus a S. Martino pag. 130. Aloysius Torelli ad an. 1399. num. 2. aliique nostrates Bollandistæ, qui & hanc apparitionem enarrant num. 830. ajunt in prælaudata inscriptione, octavo versu, ubi legitur, *Ocnæas accipe laudes*, Patrem Simplicianum a S. Martino citant pag. 130. operis sui Apologetici, interpretari vocabulum illud *Ocnæas*, Mantuanas; quoniam urbis Mantuæ dicitur fundator Ocnus. Hæc a doctis viris referri, ut probentur, non ut censoria notentur virgula, arbitror; alioqui memoriæ illorum objicienda forent, quæ de patria sua cecinit libro 10. Æneidum Virgilius:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus, & Thusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen.

De his tamen, ceterisque S. Patris apparitionibus legito prælaudatos Scriptores Ordinis, necnon Ludovicum de Angelis lib. 6. Vitæ Augustini cap. 4. pag. 169. Edit. Parisiensis. Ad objectionem secundo loco positam, (quamquam Bulla, *Dudum apparuit*, aperte loquatur non de omnibus Augustinianis Eremitis, sed tantum de nonnullis ex Congregatione B. Joannis Boni, qui antiquum habitum, ab ipsis quoque selectum, pro libito, audacterque mutabant;) dico, Gregorium IX. non præscripsisse Fratribus formam habitus recens institutam, sed perantiquam, ut inquit *De Vitis Fratrum* lib. 1. cap. 15. pag. 33. Beatus Jordanus de Saxonia: *Quia vero post transitum beati Augustini Fratres hinc inde fuerunt dispersi, ut dictum est in cap. præcedenti, & tunc succrevit difformitas tam in habitu, quam in Officio divino, & ceteris observantiis usque ad tempus recollectionis, seu unionis Ordinis memorati: & quoniam tunc inter fratres illos simplices dubitabatur quis esset verus habitus eorum; hinc est, quod Sedes Apostolica aspiciens ad primariam originem Ordinis, habitum superiorem eis determinavit. Imo verius, dudum per Sanctum Augustinum determinatum declaravit.* Eadem beati Jordanis verba exscripsit, probavitque S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus 3. p. Chron. tit. 24. cap. 14. §. 5. pag. 808. Editionis Lugdunensis. Objectio 3. nullius est momenti, cum *byrrhus* sit vestis, ac pallium Cleri-

cis,

eis, & Monachis commune, ut explicavimus num. præcedenti. Adde tamen, quoniam de frigida illa argumentatione quidam sibi plurimum plaudunt, *byrrhi* nomine ab Augustino in sermone 356. non posse intelligi semitunicam illam lineam, quam deferunt Canonici Regulares, cum ibidem *byrhus* a tunica linea apertissime secernatur. De ipsa autem *linea tunica* ibi commemorata, primum constat ea proprie significari aut indusium atque indumentum interius, aut Albam, quam induunt sacris in ædibus Deo ministrantes; ideoque vestem, qua non tantum Clerici, verum etiam Monachi, Clericorum numero adscripti utebantur. Inter Clericos enim Hipponenses adinveniebantur multi, qui priusquam ordinarentur, domino serviebant in monasterio, & consequenter Monachi simul erant; ut aperte declarat S. Possidius in Vita Augustini cap. 11. scribens: *Proficiente porro doctrina divina, sub Sancto, & cum Sancto Augustino in monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cæperunt*. Quo in loco Joannes Salinas Canonicus Regularis perspicuum esse contendit, illos, qui in monasterio Deo serviebant, fuisse Clericos *minoris officii*, ac postea majoribus Ordinibus fuisse initiatos, propterea quod *Clericorum* nomen etiam Presbyteris, & Diaconis aptatur, ut eo loci probat vir eruditus. At Possidius non ait, Clericos *minoris officii*, puta Acolythos aut Ostiarios, vel etiam simplices Cantores, aut primum tonsos in Clericos, cæpisse ordinari ad ministeria sublimiora; sed inquit, *Deo servientes in monasterio cæpisse ordinari Clericos*, ac deinde fama Augustinianæ illius familiæ præcrebescente, ex illa Catholicas Ecclesias non *Clericos* tantum, sed & *Episcopos* magno desiderio sibimet poposcisse. Etsi ergo *Clericorum* appellatio communis est exercentibus in Ecclesiis minora, & altiora officia, quod nonnisi bardus, stolidusque negaret; insulse tamen diceretur ordinari *in Clericum*, qui jam Clericus esset; & Possidii verba planissima significatione demonstrant, ad Clericatum fuisse promotos, qui, tametsi in monasterio servirent, *Clerici* nondum erant. Cum istis itaque Monachis, inter Clericos cooptatis, S. P. Augustinus habuit omnia communia, ita, ut monasterium, in Episcopali domo constitutum, esset quale in Ecclesia sua erexerat S. Eusebius Vercellensis Episcopus, iidemque forent *Clerici*, ac *Monachi*. Atque in hanc opinionem eo lubentius ad-

O 2 ducor,

ducor, quod ex ſermone 344. n. 2. colligo, Auguſtinum Hipponem veniſſe animo a Clericorum conditione capeſſenda alieno, atque ut amicum ſuum *ad monaſterium* perduceret: ordinatum in Presbyterum in horto ſibi donato a Valerio cum fratribus vitam egiſſe juxta diſpoſitionem, qua ſtatuerat eſſe cum illis *in monaſterio*; ac factum deinde Epiſcopum, ne in monaſterio illo degentes a ſanctioribus exercitamentis averterentur, atque in hoſpitibus excipiendis occuparentur, inſtituiſſe *monaſterium Clericorum* in Epiſcopio. Deinde ex eodem ſermone num. *6.* percipio, non omnes Clericos Hipponenſes communem illam cum Auguſtino vivendi rationem ſervaſſe; ſed licet Sanctiſſimus Antiſtes, ubi primum *Clericorum monaſterium* conſtituit, optaret ut Clerici omnes viverent ad inſtar Monachorum, ac neminem ordinare vellet, niſi qui ſecum proponerent permanere; quia tamen nonnulli Clericorum vitam illam aſpernabantur, mutato conſilio permiſit, ut diſcederent, & eſſent Clerici omnino a Monachis ſegregati; Quare inquit citato num 6. *Certe ego ſum, qui ſtatueram, ſicut noſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere: ut ſi vellet diſcedere a propoſito, recte illi tollerem Clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum, cæptumque conſortium. Ecce in conſpectu Dei & veſtro, muto conſilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & Eccleſia ejus, maneant ubi volunt, & ubi poſſunt, non eis aufero Clericatum. Nolo habere hypocritas*. Hinc veriſimiliter inferri poteſt, duo ſub Auguſtino Epiſcopo fuiſſe in Eccleſia Hipponenſi genera Clericorum. Clerici alii vivebant cum Auguſtino in monaſterio Epiſcopii, iiſque omnia erant communia, atque hi erant Clerici ſimul & Monachi; alii vero extra monaſterium vivebant; iſti autem Clerici, non Monachi erant. Cum Monachis itaque prioris generis Auguſtinus habuit omnia communia, tam byrrhos ac pallia, quam interulas, & ſubuculas, ſcilicet, *veſtes lineas*. Præterea, ut iſtud quoque adjiciam, *byrrhum* utique geſtaſſe Auguſtinum, illumque ex communi veſtium depoſito ſumpſiſſe ex præcitatis verbis ſermonis 356. inferri poteſt; at minime illinc ſequitur veſtiviſſe Sanctum Patrem una cum Clericis monaſterii lineam quoque veſtem, ſi hac deſignari velis ornatum illum Clericorum, quem *rochetum* appellare conſueverunt, & quem domi, foriſque deferre ſolent

Cano-

Canonici Regulares. Tandem, si Augustinus ad Episcopatum evectus mutavit habitum, & indutus linea tunica incessit; quid illinc, oro, consequitur? Haud inverisimile est, ætate Augustini Monachos in Episcopali dignitate constitutos Monasticam habitum deposuisse, ut cap. 27. de *Origine Eremitarum* demonstrat præstantissimus Lupus. Quare auctor iste ultro concedit, habitum Augustini jam Episcopi non fuisse monasticum; quo tamen indutus erat, quando venit ad Hipponensem civitatem. Sermone enim 355. alias 49. de div. num. 2. inquit: *Non attuli aliquid, non veni ad hanc civitatem, nisi cum iis indumentis, quibus eo tempore vestiebar.* Ad postremum denique argumentum petitum ex epistola ad Sapidam, primo reponimus ex eo manifeste erui S. P. Augustinum neque Episcopum fuisse vestitum illo habitu, quo incedunt Canonici Regulares. Tunica enim, quam Sapida fecerat pro fratre suo Diacono Carthaginensi, erat tunica pro Clerico sæculari; non enim in Ecclesia Carthaginensi Clerici in monasterio communem vitam agebant. At Seculares Clerici eo temporis induebantur tunicis laneis castanei, aut violacei coloris, non autem albi. Norunt id omnes, qui legerunt Annales Ecclesiasticos, Patres, & Canones Conciliorum. Vide Baronium ad an. 393. Hieronymum in epistola ad Nepotianum, & caput primum Synodi Narbonensis. Tunica ergo a Sapida pro fratre facta violacei coloris erat, seu castanei. Quapropter Augustinus, qui eadem tunica se vestiit, non incessit in talari illa, & alba tunica, quam deferunt moderni Canonici Regulares. Ad hæc autem, si velis fratrem Sapidæ fuisse ad diaconatum ex monasterio assumptum, sive ordinatum Clericum ex Monacho; nil prohibet asserere tunicam illam fuisse monasticam. Denique potuit esse tunica quædam interior, æque Monacho, & Clerico apta; aut linea etiam ad ministerium altaris, idest, Alba quam dicunt *Camisium*. Hanc enim facilius potuit Sapida manibus suis contexere, & acu perficere. Verum de habitu Augustini, & de objectis num. 43., dictum satis.

C A-

CAPUT XLVI.

De Scriptis, quæ Augustinus in Africa elucubravit, priusquam ordinaretur Hipponensis Ecclesiæ Presbyter.

JAm vero e scopulis oratio nostra enavigavit, & quæ de Monachatu, de Regula, & de religiosa Augustini veste magnis animorum contentionibus disputantur, ita proposuimus, ac selegimus, ut quædam certa, plura verisimilia, perpauca, aut nulla evidenter falsa debeant existimari. Nunc ergo ad ea, quæ Augustinus sctipsit post suum in Africam reditum, atque ad seriem Historiæ, a qua num. 23. deflexit, nostra est revocanda narratio. Per illud itaque triennium, quo Augustinus in agro Tagastensi cum sodalibus vitam pertraxit, absolvit sex libros *de Musica*, scripsit *de Genesi* adversus Manichæos, librumque *de vera Religione*, & Dialogum *de Magistro*, epistolas quasdam, & opus quoque de diversis octoginta tribus quæstionibus inchoavit, quas in separatis chartulis divisas, in unum postea volumen, quum esset Episcopus Hipponensis compegit. Libros *de Musica* inceptos ab Augustino Mediolani anno 387. dixi prope finem num. 14. absolutos autem in Africa constat ex 1. Retract. cap. 6. ubi legitur: *Sed eosdem sex libros, jam baptizatus, jamque ex Italia regressus in Africam scripsi; inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam*. Absoluti creduntur circa annum 389. quamquam Licentius in Carmine ad Augustinum inserto epistolæ S. Patris, conscriptæ circa annum 395. quo Episcopus creatus est, in antiquis editionibus 39. in recentioribus autem 26. culpare videatur ipsorum librorum tarditatem, vehementi illorum cupidine flagrans. Inquit enim:

Interea venient quæcunque futura bonorum
Scripta salutiferi sermonis, & illa priorum
Æquiparanda favis, reputans quæ pectore in alto
Conceptum in lucem vomuisti nectareum mel,
Præsentem ipsa mihi te reddent, si mihi morem
Gesseris, & libros, quibus in te lenta recumbit
Musica, tradideris; nam ferveo totus in illos.

Hisce

Hisce in libris agit Augustinus de Musices natura, de syllabis, ac pedibus metricis, de rythmo, ac de versu. Ex iisdem libris intelligimus, quanta mirabile illud ingenium peritia metricæ quoque artis polleret. Ceteris tamen sextus liber est præferendus, quo ex alternis numerorum concentibus, ad incommutabilem animi rationem, atque ad Deum ipsum investigandum transcendit. Ipsemet Augustinus, qui libros reliquos, licet magna eruditione refertos, vocavit *nugacitatem*; de sexto ita scripsit anno 408. ad Memorium epist. 101. alias 131. num. 4. *Sextum sane librum, quem emendatum reperi, ubi est omnis fructus ceterorum, non distuli mittere caritati tuæ: fortassis ipse tuam non multum refugiet gravitatem*. Sequuntur libri duo *de Genesi adversus Manichæos*, scripti circa annum 399. nam in libro Retract. cap. 10. recensentur ante librum *de Magistro*; tametsi in editionibus, etiam castigatissimis, posteriorem obtineant locum. Vindicat in primo libro Augustinus Historiam Geneseos a Manichæorum oppositionibus. Manichæi siquidem, ut alibi diximus, libros veteris legis studio vesani erroris oppugnabant. In libro altero pertractat de iis, quæ continentur in secundo, ac in tertio capite Genesis, atque sub libri finem num. 43. confert Ecclesiæ dogmata cum ipsorum Manichæorum deliramentis. *De Magistro* scripsit S. Pater *per idem tempus*, quo perfecit libros *de Musica*, & *de Genesi* contra Manichæos: id enim colligitur ex 1. Retract. cap. 10. Itaque Dialogus iste ad annum 389. est pariter referendus. In eo Augustinus puerum Adeodatum alloquitur, annos natum dumtaxat sexdecim. Hoc libro demonstratur unum Christum, qui est Sapientia Patris, interius hominibus inspirare scientiam, voce ceterorum, quos præceptores dicimus, extrinsecus tantummodo personante. Mirum profecto in hoc Dialogo, quod verba collocutoris sunt gravia, ætatem excedentia, atque, ut ita dicam, senilia Adolescentuli sensa, adeo ut jure lib. 9. Confess. cap. 6. sapientissimus Pater dixerit: *Horrori mihi erat illud ingenium*. Librum *de vera Religione* Augustinus scripsit paulo ante Episcopatum, anno scilicet 390. In eo libro ostenditur veram Religionem esse in sola Catholica Ecclesia, & error Manichæorum de duobus principiis, & de duabus animabus convellitur: demonstratur peccatum oriri ex libero arbitrio: igitur de œconomia Domini-

cæ

cæ Incarnationis, de origine idololatriæ, sensuumque, & rationis discrimine. Plura sunt in hoc opere, præsertim a num. 34. ad *61*. quibus asseritur in hominibus lex quædam immutabilis, secundum quam de omnibus judicat, sive idea ingenita ad sensum quorumdam recentiorum Philosophorum. Ex cap. 7. n. 12. eruitur hoc opus, hortante Romaniano concive, & Mæcenate suo, fuisse susceptum: in eoque Augustinus (inquiunt in Præmonitione PP. S. Mauri) etsi recens in veræ Religionis partes perductus esset, sublimi tamen modo *absolutissimi Doctoris, & strenuissimi Episcopi* vices implevit. Epistolæ interea temporis scriptæ, sunt ad *Maximum* Madaurensem Ethnicum, in qua demonstrat multa in Ethnicorum religione inveniri risu digna, ac de Deo non esse jocose loquendum: ad *Cœlestinum* amicum suum, quæ Christiani hominis officia brevi complectitur: ad *Cajum*, cujus ardorem inquirendæ veritatis commendat, eique Dei misericordiam, (erat namque a Christi fide alienus) sperat quamcito adfuturam; & ad *Antoninum*, cui gratias agit, quod ab illo fidelis servus Dei haberetur, eumque admonet, ut Dei timorem inserat uxori suæ, schisma Donatistarum sectanti. Sunt hæ epistolæ in postremis editionibus 17. 18. 1*9*. & 20. In harum epistolarum prima Augustinus se Monachum prodit, dum n. 5. ait, *De nostro proposito jure a carissimis nostris flagitari potest*: quibus verbis *monastica professio* (inquiunt Monachi S. Benedicti in ejus Vita lib. 3. cap. 3. num. 5.) *his temporibus designari solebat*. Quæstiones LXXXIII. nullo ordine servato dictatæ ab Augustino fuerunt, prout interrogabatur a fratribus. Eæ quidem jussit Augustinus, ut colligerentur, cum jam esset Episcopus, adjectisque numeris unum ex eis librum fieri mandavit: sed priusquam Presbyter ordinaretur, & a suo in patriam reditu litteris conscribi cœperunt. Scribit enim de iisdem quæstionibus in 1. Retract. cap. 2*6*. *Ab ipso primo tempore conversionis meæ, posteaquam in Africam venimus, sicut interrogabar a fratribus, quando me vacantem videbant, nulla a me servata ordinatione dictatæ sunt*. Non itaque hoc in loco eædem quæstiones videbantur prætermittendæ. Singularum argumentum eodem cap. 2*6*. describitur. De reditu autem Augustini in Africam, qui contigit post necem Maximi, trucidati vertente anno 388. num. 18. & 1*9*. pertractatum est.

CA-

CAPUT XLVII.

De Augustini in Presbyterum ordinatione, monasterio, prædicatione verbi Dei, atque institutione Sanctimonialium.

VAcabat Augustinus jejuniis, orationibus, librisque conscribendis, quando ut amicum Deo lucraretur Hipponem regium advenit. Rem narrat Possidius cap. 3. & idem Augustinus sermone 355. Contigit autem, ut Valerio Episcopo verba ad populum faciente circa necessitatem Presbyteri ordinandi, adstantem Augustinum, & nihil tale cogitantem, plebs subito rapuerit, instanter postulans, ut Clericali militiæ adscriberetur. Quum id evenerit triennio post ipsius in patriam reditum jam ferme elapso, Augustini in Presbyterum ordinatio anno 391. videtur esse consignanda. Consuetum fuisse, ut inviti ad Clericatum probi quidam raperentur flagitante populo, evincunt exempla alia, Cypriani, Paulini, Nepotiani, Gregorii Thaumaturgi, Pauliniani, aliorumque, de quibus plura diximus, in ea quæstione inter Theologos agitata, num Ordo subsistat, si conferatur invitis penitus, & reluctantibus. Vide lib. 36. Theolog. Disciplin. cap 16. Sane Augustini reluctantia (ut de aliis taceam) non ea fuit, quæ assensum omnem, & accedentem animi deliberationem excluderet. Quamquam enim ille reluctaretur, ac fleret; hoc tamen non aliunde proficiscebatur, quam ex consideratione periculorum, iis, quibus regimen Ecclesiarum committitur, impendentium: atque id sibi ab Augustino narratum testatur cap. 4. Possidius. Erat ergo reluctantia illa viri humillime de semetipso sentientis, ac sancte timentis; non autem Episcopi voluntatem, plebisque desiderium aspernantis, collatoque sibi Ordini obnitentis animo pertinaci. Verum quia ad Presbyteratum evectus serviendi Deo in monasterio retinebat propositum, in horto Hipponensis Ecclesiæ cœnobium constituit, ibidem cum *servis Dei* agens vitam illam, quam non procul a Tagaste ducebat a suo de transmarinis in patriam regressu. Ita post Tagastense, monasterium Hipponense erectum fuit: cujus familiæ, atque instituti rationem superius investigavimus. *Hipponem* sitam fuisse

fuiſſe in maritima Numidiæ ora, oſtendunt quoque moderni Geographi, ac Tabula præſertim accuratiſſima, præmiſſa recentioribus editionibus Operum S. Optati Milevitani. Sunt qui modo urbem illam dici putant Afrorum lingua *Beled el Ugneb* in Regno Algerii, quinquaginta milliariis a *Tabraca* urbe (nam eſt etiam Tabraca parva Mediteranei maris inſula, ob coralliorum piſcationem celebris, jam ſub ditione Lomellinorum Genuenſium) diſtantem; *Tagaſtem* vero adhuc antiquo nomine notam, in eodem Regno Algeriano inter Hipponem-regium ad Septentrionem, urbemque Thebaſtam ad Meridiem. De Tabraca, & Hippone regio Silius libro 3.

Tabraca, tum Tyrum vulgus, Sarranaque Leptes,
Atque Trinacrios Afris permixta colores,
Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus,
Tum vaga, & antiquus dilectus Regibus Hippo.

Hipponem, in cujus obſidione facta a Barbaris, qui in Africam irrupere Con-Hierio, & Ardaburo, ideſt anno 427. S. Pater deceſſit, poſt hujus obitum fuiſſe incolis deſtitutam, & ab hoſtibus concrematam, narrat cap. 28. Sanctus Poſſidius. In hujus urbis ruderibus, imperante Carolo V., laminam quamdam fuiſſe adinventam, in qua ſculptus erat Auguſtinus, & circa illum ſtabant fratres quidam habitum noſtrum deferentes cum cucullis tamen aliquantulum amplioribus, & quales fuiſſe olim in uſu dixi num. 44., atque eamdem æream laminam dono datam a quodam equite Neapolitano, qui illam ex Tunecenſi expeditione detulerat, viro clariſſimo Hieronymo Seripando Ordinis noſtri Magiſtro, ac paulo poſt S. R. E. Cardinali, litteris tradiderunt Hiſtoriographi noſtri apud Herreram in Reſp. 4. num. 82. Cohæret autem ratio temporum; nam Tunecenſis illa expeditio, arciſque Hipponenſis expugnatio contigit anno 1535. & Seripandus renuntiatus fuit Prior Generalis anno 1539. Atque ex illa item lamina, quam adverſus oppoſitiones Gabrielis Pennotti vindicat eo loci Thomas de Herrera, quæ ſupra producta ſunt de monaſtica Auguſtini veſte, corroborantur, & fulciuntur. Sed illuc, unde aliquantulum digreſſa eſt, revocanda eſt oratio. Valerius Hipponenſis Antiſtes, cum Græcus eſſet natione, & Latini ſermonis laboraret

raret inopia, novo Presbytero concionandi munus imposuit. Ad hoc obeundum, Augustinus Valerium obsecravit, ut pateretur, se precibus, ac studio per aliquod temporis intervallum in secessu commorantem idoneum reddere, conscripta ad Sanctum Episcopum epistola 21. alias 148. in qua tam demisse de se loquitur, ut afferat factum merito peccatorum suorum, ut sibi remum tenere nescienti *secundus locus gubernaculorum traderetur*. Ante hæc tempora inauditum in Africa fuerat, ut Presbyteri coram Episcopis prædicationis officium in Ecclesia tractarent: unde epistola 41. alias 77. Alipius & Augustinus gratulati sunt Aurelio Carthaginensi, quod & ipse Prebyteris permiserit coram se *populo sermones infundere*: quod tam gratanter audiere, ut num. 1. ejusdem epistolæ scripserint: *Hoc nec audire lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te tam fideli pectore ditavit erga filios tuos &c.* Ante id tamen temporis etiam in Africa Presbyteri, non præsente Episcopo, plebem alloqui consueverant, ut de Macario a Constante Imperatore in Africam misso circa annum 348. refert S. Optatus Milevitanus libro 7. de Schismate Donatistarum num. 6. Ibi Optatus inquit, *Episcopalem Tractatum probari salutatione geminata*, nec aliquid Episcopum dicere ad populum, *nisi primo in nomine Domini populum salutaverit*. Atque hinc intelligimus, Presbyteros, si quando alloquebantur populum, id fecisse absque solemni salutatione; quod Optatus ibidem appellavit *nude loqui*. Dupinius locum, unde Episcopi alloquebantur populum, hinc dictum putat apud Latinos *Salutatorium*, & apud Græcos ἀσπαστικόν, in Annotat. ad Optatum pag. 106. editionis Antuerpiensis. At puto Dupinium falli. *Salutatorium* quippe non erat sacrarum concionum suggestus, sed locus, in quo Episcopus procedens ad celebrationem Missarum, populi salutationes excipiebat. Vide epistolam S. Gregorii Magni ad Marinianum Episcopum lib. 5. Indict. 13. num. 56. & Notas ad epistolam 19. libri 1. Indict. 9. Non tantum *Servis Dei* in monasterio, atque Christianæ plebi in Ecclesia, verum etiam sacris Virginibus Augustinus operam locavit suam. Fuisse ante Augustinum in Africa Sanctimoniales innuptas, ex Cypriani, & aliorum scriptis demonstrat cap. 32. *de Origine Eremitarum* Christianus Lupus. Donatistarum etiam, & Circumcellionum mulieres, quæ

Sanctimonialium vitam simulabant, ipse Augustinus non uno in loco commemorat. Sed iisdem sacris Virginibus opera Augustini monasteria ædificata sunt, & quæ antea domi vivebant, sub una Præposita cæperunt in sacris ædibus permanere a sæcularibus feminis segregatæ. Hæc monasteria commemorantur a Possidio cap. 33. ab Augustino epist. 211. in qua comprehenditur quoque Regula ad Monachas, necnon serm. 355. cap. 4. num. 6. De iisdem monasteriis legitur Canon. 33. Concilii 3. Carthaginensis, celebrati anno 397. idemque Canon est 44. in Codice Ecclesiæ Africanæ. Ex editione autem Conciliorum Harduini tom. 1. pag. 972. colligimus ea, quæ de Sanctimonialibus in tertio Carthaginensi statuta fuerunt, antea fuisse definita in Concilio Hipponensi, utique opera, studioque Augustini. Uni monasteriorum præfuisse complures annos ipsius Augustini sororem constat ex præcitata epistola 211. atque ex Possidio cap. 26. Ibidem suæ ex fratre neptes, necnon patrui filiæ degebant, teste eodem in loco Possidio. Ex epistola 199. nunc 262. ad Ecdiciam habemus Monacharum illarum vestem fuisse nigri coloris. Vide supra num. 42. Recte hinc inferunt Christianus Lupus cap. 33. pag. 64. novæ editionis, & Aloysius Torelli ad an. 397. num. 44. Sanctimoniales illas Africæ non fuisse tunicis albis indutas. Ipse Pennottus libro 3. Historiæ Tripartitæ cap. 49. num. 2. pag. 766. veritate cogente fatetur, Augustini ætate Monachos & Monachas *pullis & fuscis vestibus* incessisse; quod ait apertum esse ex præcitata ad Ecdiciam Epistola; quamquam Canonicissas ab Augustino institutas contendat, de quarum vestimentis ad arbitrium Præpositæ lavandis dicitur in Regula: *Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositæ laventur sive a vobis, sive a fullonibus*. Huic autem argumento si responderent Eremitæ, nimium officiosi essent politulis istis, existimantibus sua duntaxat indumenta lavari.

C A-

CAPUT XLVIII.

De iis libris, quos Augustinus Presbyter ante Episcopatum conscripsit.

RUrsus Augustinus, quamvis ad erudiendum populum destinatus, ad confutandos Manichæos se contulit, editque adversus illos librum *de utilitate credendi*. Conscriptus hic liber fuit ad Honoratum virum, etsi acris ingenii, laqueis tamen Manichæorum irretitum. Recensetur idem liber 1. Retract. cap. 14. inter eos, quos elucubravit Augustinus apud Hipponem-regium jam Presbyter, illorumque primus esse dignoscitur, exaratus propterea anno 391. nondum elapso. Compescit hic liber Manichæorum loquacitatem, qua sacrilege ac temere in eos, qui credebant, invehebantur: ostendit de Scripturis divinis fidem adhibendam non esse illarum oppugnatoribus: vetus Testamentum commendat, vindicatque: demonstrat credentes alienos esse a levitate opinantium; ac fidem a Christo exigi, novi Testamenti auctoritate declarat. Sequitur liber *de duabus animabus*, scriptus eodem anno, & contra eosdem Manichæos, ut titulus libri commonstrat. Manichæi namque, ut alibi diximus, duas animas singulis hominibus inesse delirabant, quarum unam bonam & partem Dei esse dicebant, alteram vero malam, & de gente tenebrarum, quam Deus non condiderit. Hoc ergo in opere demonstratur omnem animam, cum sit vita quædam, esse a Deo cujuslibet vitæ fonte: animam quoque minusculorum animalium, cum ducat curpusculum, & pinnulas vibret, esse luce præstantiorem; vitia autem animarum, atque peccata nonnisi ex libera voluntate procedere. Hinc definitio illa peccati cap. XI. num. 15. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere:* quam definitionem avide arripiebant Pelagiani negantes peccatum originale, quod generatione contrahitur, appellabatque illam Julianus Pelagianorum perditissimus, *aurum lucens in stercore*. At Augustinus nullatenus tali verborum procacitate commotus, Juliano ita respondet libro 1. Op. imperf. num. 44. *Ibi peccatum definitum est, quod tantum modo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.*

cati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commiſſum eſt a primo homine, ante omne hominis malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis. Diſputavit deinde Auguſtinus anno 392. cum *Fortunato* Presbytero Manichæorum, qui diu Hippone vixerat, multoſque ſeduxerat: eaque diſputatio excepta eſt a Notariis, quinto, & quarto Kalendas Septembris, Arcadio bis, & Rufino v. Coſſ., præcitato ſcilicet anno 392. De hac diſputatione agit Auguſtinus in 1. Retract. cap. 16. & Poſſidius in illius Vita cap. 6. Verſabatur diſputatio circa originem mali; cumque Fortunatus vellet ad ea, de quibus Manichæi criminabantur, convertere contentionem, reſpondens Auguſtinus ſe inter illius ſectæ *auditores*, non autem inter *electos*, flagitiorumque illorum participes, aliquandiu fuiſſe, omiſſa quæſtione de moribus, ad diſceptandum de fide compulit adverſarium. Conflictus hujuſce exitus fuit Manichæi confuſio, ita ut diſputatio abſolveretur reponente Fortunato collaturum ſe cum majoribus ſuis, quæ refellere non poterat, ac ſi minus reſpondiſſent, venturum ſe ad inquiſitionem veritatis, quam Auguſtinus ſe illi oſtenſurum pollicebatur. Quæſtio autem, ad quam Fortunatus obmutuit, ea erat, cur deus bonus, cui nihil nocere poterat, animas, ut Manichæi ajebant, miſerit ut modum imponeret naturæ contrariæ, volens, ut hanc moderatam redderet, nos effici immoderatos? Ceterum Fortunatus magna confuſione affectus ab Hipponenſi civitate diſceſſit, nec ſane catholicus factus eſt. Præterea Auguſtinus ſcripſit opuſculum *de Fide & Symbolo*, jubentibus Epiſcopis, qui anno 393. octavo idus Octobris convenerunt Hipponem-regium ad plenarium Africæ Concilium. Exponuntur hoc in opere Symboli omnes articuli, ſimulque tacito nomine inſectantur Manichæi. Conſcripſit per idem temporis librum *de Geneſi ad litteram*, quoniam in duobus libris de Geneſi contra Manichæos, ſuperius commemoratis tradiderat allegoricam duntaxat expoſitionem: ſed hunc librum *imperfectum* reliquit, & aliud amplum atque abſolutum opus de eodem argumento poſtmodum elucubravit. *De ſermone* item *Domini in monte* libros duos, & *expoſitiones* quaſdam in Pauli epiſtolam *ad Romanos*, & *ad Galatas* exornavit circa idem tempus. In *Adimantum* quoque Manichæum ſtilum acuit, & adverſus illum demonſtravit Legi & Prophetis Evangelica, & Apo-

& Apoſtolica ſcripta non eſſe contraria. Demum ante Epiſcopatum, & anno 394. aut initio 395. cæpit Auguſtinus pedem conferre cum Donatiſtis, & adverſus illos *Pſalmum Abecedarium*, Epiſtolam ad Maximinum Epiſcopum Siniteníem, & Confutationem Donati, quæ intercidit, ſcripſiſſe fertur; conſcripſitque ulterius librum *de Mendacio:* de quo in 1. Retract. capite ultimo. Verum quia Auguſtinus cum Donatiſtis inſtantius ac ferventius pugnavit jam Epiſcopus, ut refert cap. 9. Sanctus Poſſidius; de iis agam, poſteaquam collatum illi Epiſcopatum commemoravero.

CAPUT XLIX.

De Auguſtini ad Epiſcopatum promotione, de oppoſitione Megalii Primatis Numidiæ, & de Canone 8. Nicæno, quo probibetur ne duo Epiſcopi in eadem civitate ſimul ſedeant.

VEritus Sanctus Valerius Hipponenſium Antiſtes, ne Eccleſia aliqua Paſtore viduata Auguſtinum, cujus fama longe lateque permeabat, in ſuum Epiſcopum adſciſceret, agit ſecretis litteris cum Primate, ut Cathedræ ſuæ ſucceſſor, ſuique viventis coadjutor conſecraretur. Primas totius Africæ tunc erat Sanctus Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, Genethlio ab anno 390. ſuffectus. Valerius, quod petierat, reſcripto Primatis conſecutus eſt; atque anno 395. Coſſ. Olibrio, & Paulino, a Megalio Epiſcopo Calamenſi, & tunc Numidiæ Primate, qui ad viſitandam Hipponenſem Eccleſiam petitus advenerat, Auguſtinus gratulantibus omnibus fuit Epiſcopali charactere inſignitus. Hanc conſecrationem narrant S. Poſſidius cap. 8. & de ea fit mentio in Breviculo Collat. 3. diei cap. 7. Contigit hæc Auguſtini in Epiſcopum conſecratio imminentibus Natalitiis Domini noſtri Solemniis, ut conſtat ex ſermone, quem habuit ipſa die Epiſcopalis ſuæ ordinationis, nunc n. 39. Quanta autem univerſorum lætitia hæc Auguſtini ordinatio ab omnibus excepta fuerit, colligi poteſt ex epiſtola Paulini & Theraſiæ ad Romanianum, quæ in novis editionibus eſt n. 32. in aliis vero 36. Eo loci hæc inter cetera occurrunt num. 2. *Exultemus itaque, & lætemur in eo, qui facit*

cit mirabilia ſolus , & qui facit unanimes habitare in domo ; quoniam ipſe reſpexit humilitatem noſtram , & viſitavit in bono plebem ſuam : qui erexit cornu in domo David pueri ſui , & nunc exaltavit cornu Eccleſiæ ſuæ in electis ſuis , ut cornua peccatorum , ſicut per Prophetam ſpondet , hoc eſt , Donatiſtarum , Manichæorumque , confringat. Duo hic notanda ſunt, quæ cum in laudem Auguſtini cedant , male apud imperitos quoſdam ſonare poſſunt : unum ſcilicet, Megalium principio ordinationi Auguſtini repugnaſſe ; alterum, ordinationem ipſam factam fuiſſe adverſus ſtatuta Sacrorum Canonum. Megalium in Auguſtinum Presbyterum amaro ſuiſſe animo, & initio conſecrationi ejus obſtitiſſe, quod crederet ab illo cuidam mulieri philtrum quoddam , ſive amatorium , viro conſentiente fuiſſe datum , ſcribit Joannes Rivius lib. 1. cap. 3. pag. 76. De hac re Megalium purgare ſtudent num. 309. & duobus ſequentibus Bollandiani. Sane hanc calumniam Auguſtino a Donatiſtis illatam fuiſſe conſtat ex lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 26. num. 19. At num Megalius impudenti huic calumniæ fidem præſtiterit , non auſim aſſerere. Megalii adverſus Auguſtinum epiſtola quædam circumferebatur , de qua libro 4. contra Creſconium cap. 64. num. 79. ſed hinc eruere non poſſumus quale crimen a Megalio eidem Auguſtino objiceretur. Quare Maurini Patres in Vita Auguſtini lib. 4. cap. 1. num. 2. inquiunt: *Cur autem ei Megalius infenſus eſſet, non conſtat.* Verum ſive ob confictam de philtro calumniam, ſive aliam ob cauſam Megalius Auguſtino adverſaretur ; nequaquam id vertendum eſt in Auguſtini contumeliam. Nam primo Megalius Auguſtinum poſtmodum conſecravit , cognita ſane ejuſdem innocentia atque probitate. Deinde in Concilio, de eo, quod in Auguſtinum peccaverat, veniam petiiſſe conſtat ex præcitato cap. 26. contra Petilianum, atque ex altero quoque loco adverſus Creſconium . Præterea iiſdem in locis ſtrenue Auguſtinus prædictam calumniam revincit , oſtenditque Donatiſtas ridiculo nomine venenoſæ turpitudinis ac furoris traduxiſſe *eulogias panis* ſimpliciter & hilariter datas . Compertum denique eſt , Auguſtino Donatiſtas falſa alia crimina objeciſſe , ac præſertim immunditias Manichæorum . Quantum vero ad violationem Canonum Nicænorum , quibus num. 8. *in una civitate duo Epiſcopi prohibentur exiſtere* ; primo , ſi Canonem hunc igno-

ignorarunt Sanctus Aurelius, Megalius, ac Valerius ipse Græcus genere; quid mirum est, ignoraſſe Auguſtinum adhuc Presbyterum, & nondum in Canonum doctrina exercitatum? Ad hæc Auguſtinus, ut Poſſidius inquit, *Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ ſuo vivente Epiſcopo recuſabat*; eamque dignitatem, aſſerentibus omnibus id fieri ſolere, ſuſcepit *compulſus atque coactus*. Quum inſuper anno 416. ageretur de Eraclio deſignando, qui Auguſtino in Epiſcopatu ſuccederet, eumque ſeneſcentem ſublevaret aliqua parte curarum; ita S. Pater allocutus eſt adſtantes Presbyteros, Clerum, & frequentem Hipponenſis Civitatis populum: *Scio quod ſcitis & vos, ſed nolo de illo fieri quod de me factum eſt. Quid autem factum ſit, multi ſcitis: illi ſoli neſciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem ſciendi. Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo*. Poſtremo non tantum ordinationem illam ſuam reprobavit Auguſtinus: non tantum noluit ſe vivente Eraclium Epiſcopum ordinari; verum etiam dedit operam, ut in Concilio Carthaginenſi tertio, quod celebratum eſt biennio a promotione Auguſtini ad Epiſcopatum, ſtatueretur, ut ordinatis Epiſcopis, aut Clericis inculcarentur ab Ordinatoribus eorum Conciliorum Canones, & decreta, ne in poſterum aliquid fieret, quod poſſet reprehendi. Statutum id eſt cap. 3. laudati Carthaginenſis Concilii, quod eſt 18. in Codice Canonum Africanorum, & continetur quoque in Decreto diſt. 38. cap. *Placuit, ut ordinandis*. Atque id præſcriptum opera Auguſtini, ſolliciti ne adverſus Canones rurſus innovaretur quod in ſe factum fuerat, apertiſſime eruitur ex Poſſidio, ſcribente in fine cap. 8. *Quod in ſe poſtea fieri non debuiſſe, ut vivo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit, & ſcripſit; propter Concilii univerſalis vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod ſibi factum eſſe doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam ſategit, ut Conciliis conſtitueretur Epiſcoporum, ab Ordinatoribus debere ordinatis vel ordinandis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda.*

CAPUT L.

Quæ Sanctus Augustinus Episcopus scripsit adversus deliramenta Manichæorum.

AUgustinus ad Episcopatum evectus adeo ad hæreticos omnes oppugnandos animum convertit, ut nullo in loco, ubi pedem figere tentassent, consistere passus sit. Eorum ergo, quæ pro Fide Catholica scripsit, narrationem prosecuturus, quæ adversus Manichæos Episcopus lucubravit, priori loco recensebo, quoniam jam de hac hominum secta superius egimus, & Augustinum cum laicum, tum Presbyterum ad hanc pugnam accinctum spectavimus. Post librum itaque *de utilitate credendi*, & post alterum *de duabus animabus*, & contra *Adimantum* discipulum Manichæi, quorum supra meminimus, aliis doctissimis voluminibus S. Pater pestem illam in Africa extinxit. Anno *396.* aut *397.* scripsit Augustinus *contra epistolam Manichæi* quam vocant *Fundamenti.* Redarguuntur hoc in libro Manichæorum principia, ut Augustinus ipse ait lib. 2. Retract. cap. 2. quæritur cur Manichæus sese appellaverit *Apostolum Jesu Christi*, non Paracleti; & quoniam idem Manichæus credebatur *Paracletus* a suis, revincuntur ii, quod turpe esse crederent Filium Dei esse natum ex Virgine; nec absurdum putarent hominem natum ex utroque sexu fuisse susceptum a Spiritu Sancto. Illos etiam gloriosus Antistes redarguit quod substantiæ Dei tribuerent latera ac partes, quibus adhæreat terra atque gens tenebrarum, quum Dei natura non sit, aereum, neque æthereum corpus, ipsaque anima humana, etsi mutabilis, non tamen distendatur per spatia locorum. Refellit præterea deliramenta Manichæorum reliqua, de duplici terra, de quinque tenebrarum in ipsa terra existentium naturis, de rebus omni ratione boni carentibus; demonstratque, ubi corruptio ac malum est, ibidem bonum aliquod inveniri. Invictissimum præ ceteris mihi videtur argumentum istud num. 40. *Quapropter naturæ illæ, quas in tenebrarum terra fuisse confingit, aut poterant corrumpi, aut non poterant: si non poterant, incorruptibiles erant, quo bono superius nihil est; si poterant, aut corrumpebantur, aut non corrumpebantur: si*

non corrumpebantur, incorruptæ erant, quod videmus ſine magna laude dici non poſſe: ſi autem corrumpebantur, minuebantur illo tam magno bono: ſi minuebantur bono, habebant bonum, quo minuerentur: quod ſi habebant bonum, non erant naturæ illæ ſummum malum, & omnis Manichæi fabula falſa eſt. Sequuntur libri XXXIII. adverſus Fauſtum Milevitanum, eloquio ſuavem, ingenio callidum, ſecta Manichæum, ut dicitur librorum iſtorum initio. In hoc opere conſcripto circa annum 400. primum verba Fauſti, deinde reſponſiones Auguſtini ponuntur: atque de illo Caſſiodorus in Inſtit. divinis cap. I. *Scripſit etiam* Auguſtinus *contra Fauſtum Manichæum triginta tres libros, ubi & ejus nequiſſimam pravitatem manifeſta ratione convincit, & de libro Geneſis iterum mirabiliter diſputavit.* Blaſphemabat Fauſtus Legem & Prophetas, Deum veteris Teſtamenti auctorem, res a Patriarchis geſtas, Incarnationem Verbi Dei; & Scripturas novi Teſtamenti, quibus Manichæi facile revincuntur, contendebat eſſe falſatas. Igitur de his omnibus in elaboratiſſimo illo opere pertractatur. Habuit præterea Auguſtinus anno 404. in Eccleſia Hipponenſi adſtante populo, diſputationem cum *Felice Manichæo:* quæ diſputatio excipientibus eam notariis biduo peracta eſt, Actorumque nomine eſt edita. Feliciorem hæc diſputatio habuit exitum, quam peracta 392. cum Fortunato, qui confuſione affectus eſt quidem, ſed in Manichæorum perſeveravit errore. At Felix veritate percepta ad frugem redactus eſt; ac diſputatio abſoluta eſt pridie Idus Decembris citati anni 404. quo Honorius ſextum conſulatum gerebat, hac Felicis ſubſcriptione: *Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, & doctrinam ipſius, & ſpiritum ſeductorem, qui in illo fuit, &c.* Conſcripſit Auguſtinus paulo poſt, ideoque anno 405. librum *de Natura Boni:* de quo in 2. Retract. cap. 9. Agit ibidem de Deo ſummo & incommutabili bono, a quo ſunt bona ſingula ſive magna, ſive parva. Ipſi Deo, quia incommutabilis eſt, competere ut revera ſit, explicat ex illis verbis Exodi 3. 14. *Ego ſum qui ſum.* Differit de Filio Dei, ac de ſenſu verborum Joan. I. *Sine ipſo factum eſt nihil:* demonſtrat creaturas ex nihilo factas eſſe, non *de ipſo* Deo, quia non de ejus ſubſtantia: pertractat de peccato Angelorum, ac differit de peccati natura, quam recte locat non in appetitione naturarum ma-

larum, sed in desertione meliorum. Declarat deinde quomodo Deus bene malis utatur: ac postremo narratis execrabilibus Manichæorum turpitudinibus, Dei misericordiam exorat pro illorum resipiscentia. Dum Augustini insectationes indictumque sibi acerrimum bellum Manichæi pati nequaquam possent; unus ex illorum auditoribus, *Secundinus* nomine, epistolam ad ipsum Augustinum dedit; in qua fatetur quidem summum illum esse oratorem & Deum pene totius eloquentiæ, sed ait Manichæorum arcana ignorare, & sub Manichæi nomine persequi Hannibalem atque Mitridatem. Hortatur ut omittat vanas incusationes, ut ei ante Judicis tribunal Persa adsit, scilicet ipse Manes, quem Paracletum vocitabant, oratque ut subveniat animæ suæ lucidæ, & desinat duas naturas facere unam: summopere tandem commendat illius patientiam. Huic ergo epistolæ Augustinus respondit anno 405. librum inscriptum *Contra Secundinum Manichæum*: in quo rationem reddit, cur sectam illam deseruerit, Manichæismum rursus oppugnat, atque epistolæ Secundini ita respondet, ut officiis illum vincat, & ratione percellat. Post alia multa scripsit Augustinus adversus Manichæos & Marcionistas libros duos, quorum titulus, *Contra adversarium Legis & Prophetarum*. Elucubratum est hoc opus circa initia an. 420. adversus opus aliud pestilentissimum, quod in platea maritima Carthaginensi venale, cum a multis confluentibus legeretur, a fratribus quibusdam ad Augustinum missum fuit, ut illi compendiose responderet. In priori hujus Operis libro agit Augustinus de iis, quæ adversarius contra antiquum Testamentum attulerat: in altero autem de iis novi Testamenti locis, quæ contraria videntur Propheticis litteris. De iis omnibus, ut Augustinus inquit prope finem Operis, idest, n. 40. egerat quoque contra Faustum, & contra Adimantum discipulum illius Manichæi, qui dictus est Addas. Dixi autem, *post alia multa*: nam licet præcipua S. Patris Opera adversus Manichæos hactenus recensita sint; nihilominus in aliis pluribus locis insanias Manichæorum exagitavit. In sermone etenim 12. alias 16. de diversis vindicat librum Job a calumniis illorum, qui ajebant ex albo Scripturarum Sanctarum esse expungendum, quoniam cap. 1. 6. legitur. *Ecce venerunt Angeli in conspectu Dei, & Diabolus in medio eorum*. Ajebant autem Manichæi, falsum his in verbis nar-

narrari cum Deus non videatur nisi ab iis, qui mundo sunt corde. At demonstrat eo in sermone Augustinus, ibidem non affirmari, quod Diabolus Deum viderit; explicatque varios modos, quibus Deus Angelis, vel hominibus loquitur. Inquit Diabolum inter Angelos stetisse, quemadmodum reus stat in medio apparitorum: docetque non posse talia objicere Manichæos ipsos, qui fatentur a Dæmone tentatum Christum, quem credunt verum Deum, & negant assumpsisse carnem; ajunt quoque Solem, quem Deum putant, videri a malis. Est contra Manichæos, & in defensionem Prophetiæ Aggæi sermo 50. alias 14. de div. in quo negantibus Manichæis tribuenda esse Deo bono illa verba 2. 9. *Meum est aurum, & meum est argentum*, quoniam pecunia dicitur Luc. 16. 19. *mammona iniquitatis*, atque ad Timoth. 6. 10. *radix omnium malorum*; S. Pater demonstrat nullibi aurum & argentum damnari, sed malum tantummodo usum, & immodicam illorum cupiditatem. Sunt quædam adversus Manichæos & in sermonibus 1. 2. 153. & 237. in libris Confessionum, præsertim lib. 5. cap. 5. & 6. ubi commemorat, quæ de astris iidem Manichæi imperite narrabant, & de eloquentia Fausti sermonem instituit; & lib. 8. cap. 10. ubi revincit Manichæos ex contrariis voluntatibus asseverantibus duas contrarias naturas: & ne singula persequar, etiam in epistolis, maxime vero in 79. & 236. oppugnat Manichæismum. Epistola enim 79. alias 244. compellit Manichæum quemdam Presbyterum in diæcesi sua commorantem, ut si paratus est, solvat quæstionem, de qua disputans Fortunatus defecerat, aut statim illinc discedat, nec illaqueare, & venenis inficere audeat infirmas animas: epistola autem 236. alias 74. certiorem reddit Deuterium Episcopum de quodam Victorino Hypodiacono, qui ob hæresim Manichæorum deprehensus & a Clericali Ordine degradatus ad Ecclesiam Deuterii confugerat; monetque hunc Episcopum, ne recipiat Hypodiaconum illum ad pænitentiam, nisi prodat quotquot novit infectos eodem errore. Hæc epistola, quamquam brevissima, explicat quænam sint Manichæorum deliramenta, & discrimen inter *Electos*, atque *Auditores* illius sectæ; eosque tam perspicue describit, ut facile a Deuterio, seu quolibet alio potuerint deprehendi. Hactenus de Augustini contra Manichæorum insanias doctissimis, & exquisitissimis lucubrationibus.

CA-

CAPUT LI.

Schisma, & hæresis Donatistarum brevissime describuntur.

PAri, eodemque atque in Manichæos studio, maximus Fidei Catholicæ Propugnator Augustinus in Donatistarum perniciosissimum Schisma plura conscripsit volumina. Quarum priusquam agatur census, paucis Schisma ipsum describam; nam qui notitiam desiderat ampliorem, adire poterit additamenta ad postremam editionem Optati, necnon ad tomum IX. Augustinensium librorum, Henricum Valesium ad calcem Operum Eusebii, atque adnotationes doctissimorum virorum ad Vitam S. Melchiadis in Anastasio, & Jacobi Gothofredi ad Codicem Theodosianum. Exactior autem & lucupletior videtur nobis Historia, ex Schedis Norisianis consarcinata, atque volumine IV. Operum Norisii comprehensa. Originem itaque Donatiani Schismatis alii cum Baronio & Balduino referunt ad annum Christi 306. alii vero cum Valesio, Pagio, Dupinio, aliisque recentioribus Criticis ad annum 312. Utriusque sententiæ momenta expendimus in quadam nostra de S. Melchiade Romano Pontifice dissertatione. A Donato Schisma illud nomen originemque suam traxisse demonstrat ipsamet appellatio; sed cum duo extiterint Donati, unus a Casis Nigris, alter vero Episcopus Carthaginensis, successor Majorini, controversum ab aliquibus, cuinam istorum adscribenda sit nefarii Schismatis suscitatio. Haud nobis dubium, Schismatis auctorem fuisse Donatum a Casis Nigris; Donatum autem Carthaginensem illud maxime roborasse. Ita colligimus ex Augustino libro de Hær. n. *69*. post Collat. cap. 13. n. 17. & in I. adversus Cresconium cap. I. n. 2. Ex Optato quoque lib. I. n. 18. atque ex Hieronymo cap. *93*. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Schismatis autem Donatiani hæc fuit origo. Post restitutam Ecclesiæ pacem a Maxentio, qui Africam debellavit anno 310. & cessante persecutione, quæ ab anno Æræ Antiochenæ 35*1*. & Dionysianæ 303. Diocletiano imperante Ecclesiam vexaverat; Carthagine in locum Mensurii Episcopi electus est opera Botri & Celesii Cæcilianus legitima & communiori consensu firmata electione. Tunc opera Lucillæ ambitiosæ feminæ, quam Cæ-

Cæcilianus adhuc Diaconus reprehenderat, quod os cujuſdam Martyris ab Eccleſia non vindicati deoſcularetur, cultumque exhiberet reliquiis nondum probatis, coacto Carthagine cœtu Epiſcoporum Numidiæ, eo prætextu, quod horum Primate inſcio Cæcilianus ordinatus foret Epiſcopus, Donato incendii fomitem ſubminiſtrante, Majorinus Lucillæ familiaris ordinatus fuit a Numidis: atque ita duobus Epiſcopis conſtitutis, & altari contra altare aliud erecto, quibuſdam Cæciliano, quibuſdam Majorino adhærentibus, Schiſma illud invaluit. Donatiſtæ a Conſtantino judices *de Gallia* ſibi dari petierunt ſupplici libello, de quo Optatus lib. 1. n. 22. cui & addiderunt libellum alterum cum hac inſcriptione: *Libellus Eccleſiæ Catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini*. Id contigit an. 313. menſe Aprili. At Conſtantinus, qui vergente ad finem præcedenti anno 312. Cæcilianum verum Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum agnoverat, ut conſtat ex illius epiſtola ad Anulinum Proconſulem Africæ in qua agitur de immunitate Clericorum, illam protulit dignam tanto Imperatore ſententiam, de qua Optatus citato libro 1. num. 23. *Petitis a me in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem*. Juſſit quoque Conſtantinus, ut cauſa in Romano Concilio, præſide Melchiade diſcuteretur: id, quod factum eſt in Lateranenſi Palatio die 2. Octobris Conſtantino III. & Licinio Coſſ., eodem ſcilicet anno 313. conſedentibus Epiſcopis decem & novem, ſingulisque ordinationem Cæciliani ratam habentibus. Inter alias Donatiſtarum accuſationes, hæc præcipua erat, Cæcilianum fuiſſe ordinatum a Traditoribus præſertim vero a Felice, quem Optatus Aptungitanum, Auguſtinus Aptumgenſem appellat. Cæcilianus autem *omnium ſententiis approbatus eſt innocens*, inquit lib. 1. num. 25. Optatus; & Donatiſtis idem contigit, *quod accuſatoribus Danielis*, ait epiſtola 185. num. 7. Auguſtinus. Non acquieſcentibus Romano judicio Donatiſtis, opera Conſtantini, ut conſtat ex hujus epiſtola ad Ablavium data ineunte anno 314. celebrata eſt Synodus Arelatenſis: *non quia neceſſe erat* (ſcribit S. P. epiſt. 43. num. 19.) ſed quia Conſtantinus cedens Donatiſtarum *perverſitatibus* omnimode cupiebat ſummam *illorum impudentiam cohibere*. Poſtquam vero Cæciliani cauſa diſcuſſa fuit, & Donatiſtæ rei falſitatis deprehenſi ſunt, Schiſma pertinaci diſſenſione verterunt in hæreſim.

Pro-

Propter crimina Cæciliani Ecclesiam in parte Catholicorum extinctam, atque in aliis terrarum partibus contagione communionis pollutam, in sola Africana parte Donati permanere jactabant: Audebant quoque rebaptizare Catholicos; & Donatus male etiam sensit de Verbi, & de Spiritus Sancti divinitate, in eadem substantia comminiscens graduum diversitatem; licet hunc errorem tota Donatianorum multitudo non adoptarit. In Urbe Roma, ad quam ex Africa mittere solebant Episcopum, *Montenses* sunt appellati. Pertinebant ad eamdem hæresim, qui dicebantur *Circumcelliones*, genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ: nam se ipsos necare præcipitio, naufragio, incendio, omnique immanitate consueverunt, alios in eumdem furorem, ut ab iis occiderentur, minis & exemplo impellentes. De suis Martyribus Donatistæ superbissime gloriabantur; ac legitur etiamnum sermo *de Vexatione Donatistarum temporibus Leontio & Ursacio*, Passio item *Marculi Sacerdotis Donatistæ*, necnon *Maximiani & Isaac*, aliique libelli contumeliarum in Catholicam Ecclesiam plenissimi. Legito *Monumenta* vetera ad Donatistarum historiam pertinentia, post libros Optati. Adversus Donatistas plura *Concilia* fuerunt celebrata. De Romano sub Melchiade, & de Arelatensi dictum supra: adde Hipponense an. *393*. Carthaginense an. *397*. Milevitanum an. 402 Carthaginensia alia an. 403. 404. 405. & 407. Latæ etiam fuerunt contra ipsos Donatistas leges permultæ Imperatorum, Constantini, Valentiniani senioris, Gratiani, & Honorii: quas eruditis selectisque commentariis explicavit Cl. Gothofredus. Ejusdem Schismatis, & hæresis causa habita est an. 411. Carthagine celeberrima *Collatio* inter Catholicos & Donatistas coram Marcellino V. C. Tribuno, & jussu Imperatoris Honorii. Inter septem pro Catholicis delectos Episcopos, qui *Collationi* interfuere, maxime enituit S. P. Augustinus; & ab eodem ante, & post *Collationem* ipsam Donatistæ scriptis locupletissimis exagitati, ac refutati fuerunt. Tanto propterea odio iidem Donatistæ Augustinum prosequebantur, ut privatim & publice conclamarent, esse illum seductorem deceptoremque animarum: atque, ut inquit cap. *9*. Possidius, tanquam lupum in defensionem gregis sui occidendum esse dicebant; *omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis, qui hoc facere ac perficere potuissent*. Verum

de

de Donatistis hæc tantum; quandoquidem ad ea, quæ contra ipsos Augustinus elucubravit, converti debet oratio.

CAPUT LII.

Quænam scripta S. P. Augustinus contra Donatistas ediderit.

ITaque S. P. Augustinus ad compescendum schisma, & refellendam hæresim Donatistarum plura eloquentiæ, ac doctrinæ robore præstantia scripta exaravit. Primum Opus, quod elucubravit post *Psalmum Abecedarium* superius commemoratum, & comprehenditur nono postremarum Editionum volumine, est *adversus Parmenianum* Carthaginensem Episcopum, & successorem Donati, in libros tres distributum. Sed alia permulta ante Opus istud fuisse ab Augustino conscripta, ac dictata, colligimus ex ejusdem Operis initio, quod est hujusmodi: *Multa quidem alia adversus Donatistas, pro viribus quas Deus præbet, partim scribendo, partim etiam tractando disserui*. Ex hisce multis sunt libri duo *contra partem Donati*, ac prælaudata Donatianæ epistolæ confutatio, quam diximus desiderari. Perierunt quoque duo illi libri: in quibus, ut inquit lib. 2. Retract. cap. 5. significaverat sibi non placere, quod Schismatici ad communionem violenter arctentur *impetu ullius sæcularis potestatis*: quam opinionem se exuisse testatur, postquam expertus fuit quantum mali illorum auderet impunitas, & quantum in eis ad frugem revocandis valeret diligentia disciplinæ. Paulo post susceptum Episcopatum duobus his libris S. Pater navarat operam, vel ut eruditi putant anno 398. quoniam in Retractationibus locum obtinent inter quæstiones ad Simplicianum, & libros Confessionum; quorum Operum primum cum libris de Doctrina Christiana editum fuit an. 395. quo pridie nonas Aprilis decessit Sanctissimus Mediolanensium Antistes Ambrosius, cui S. Simplicianus in Episcopatu successit, vel potius circa annum 397. alterum vero opus, idest, Confessionum ad initia anni 400. atque præcedentis anni decursum solet referri. In libro quoque *de Agone Christiano*, edito post susceptum onus Episcopatus, & paulo post inchoatum annum 396. cap. 29. num. 31. stylum vertit in Donatistas, demonstratque Scripturarum auctori-

ctoritate Ecclesiam Christi per orbem esse diffusam ipsumque, Donatum a suis fuisse divisum. Scripsit itidem S. Pater sub annum *399.* epistolam 51. alias 172. *ad Crispinum* Calamensem Episcopum partis Donatianæ; quem propositis quibusdam argumentis ad angustias redegit. Inter hæc argumenta unum petitum est ex damnatione Feliciani & Prætextati, qui tamen in Episcopatu fuerunt ab ipsis Donatistis recepti: alterum ex quo Donatiani per judices ab Imperatoribus missos vi deturbaverint Maximianistas ex Basilicis, quas tenebant, & postmodum querebantur, quod in ipsos Catholici confugerent ad potestates terrenas: tertium vero, quoniam iidem Donatistæ receperant Maximianistarum baptisma, atque exsufflare audebant baptisma Catholicorum. Ejusdem argumenti sunt epistola 52. *ad Severinum*, 53. adversus Episcopum quemdam Donatistam *ad Generosum* Cirtensem, 23. *ad Maximinum*, 33. *ad Proculejanum*, 34. & 35. *ad Eusebium*, duasque prolixiores *ad Glorium*, *Eleusium*, *&* *Felicem*, necnon alias, quas brevitatis gratia prætermitto. Adversus itaque Parmenianum libri tres scripti fuerunt circa annum 400. quum in iisdem libris fiat mentio Optati Gildoniani demortui an. *398.* legumque anni *399.* quibus simulacra atque idola jussa sunt everti, aut confringi. Impugnatur tribus his libris Parmeniani, qui jam e vivis excesserat, *ad Tychonium* epistola. In primo libro ostenditur Tychonium, etsi Donatianæ addictum parti, agnovisse Ecclesiam per terrarum orbem diffusam; commemoratur Schismatis initium sub Primate Numidiæ Secundo Tigisitano, & Lucillæ facta a Cæciliano reprehensio, refelluntur calumniæ adversus Osium Cordubensem: narratur Cæcilianum Romæ primum, deinde Arelate, ac tertio Mediolani fuisse absolutum: inseritur eloquentissima Prosopopeja, & Ecclesiæ ad Schismaticos allocutio: commemoratur Constantini contra Donatistas capitalis sententia: defenditur Principum gladius adhibitus in hæreticis puniendis & coercendis; & carpitur Circumcellionum consuetudo, qua primum fustibus, deinde ferro armati incedebant. Versatur liber secundus in expendendis iis Scripturarum testimoniis, quibus Donatistæ abutebantur ad arcendos impios ab Ecclesia: agitur de Eucharistia, quam licet consecratam ex oblationibus improborum, fideles tamen conjunctis manibus excipiebant: docetur Sacerdotes, etsi malos, a Deo exaudiri:

ex

ex oratione Dominica evincitur peccata quædam post baptismum patrari: exponitur quomodo peccatorum remissio detur per malos ministros; & demonstratur baptismum in necessitate conferri etiam a Laico, ejusdemque baptismatis characterem nunquam deleri. Tertius liber reliqua Scripturæ loca, quæ objectabat Parmenianus, diligentissime expendit; irridetque Donatistas, Bagajensem eorum Synodum, a qua Maximianus & socii damnati fuerunt, recepti postmodum a Parmeniano in communionem, illuditque iterum Donatistis, qui de Martyrum suorum numero gloriabantur, horum celebrabant natalitia, & jurabant per canos & per compages ipsorum. Hoc jurisjurandi genus a Donatianis inductum fuit, ut Pseudomartyribus suis majorem conciliarent venerationem: quamobrem etiam jurare consueverunt *in caput Donati*, eum imitantes cujus Æneidum 9. hæc erat ex gentium more jurandi formula:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

Quoniam in hoc adversus Parmenianum opere lib. 2. cap. 14. num. 32. promiserat Augustinus latius se pertractaturum de quæstione baptismi; liberavit fidem suam septem libris, quorum titulus, *De baptismo*, scriptis circa annum Christi 400. In horum primo demonstrat baptismum extra Ecclesiam datum valere, excusatque S. Cyprianum, cui, antequam hæc quæstio plenarii Concilii (Arelatensis, an Nicæni, controvertitur) sententia definiretur, visum est cum aliis ferme octoginta Africanis Coepiscopis, baptizatos omnes extra Ecclesiæ Catholicæ communionem, oportere ad ipsam Ecclesiam venientes iterum baptizari. Ostendit secundo in libro Donatistas frustra beatissimi Martyris auctoritatem opponere; quam is ita Agrippini prædecessoris sui sententiam de rebaptizandis secutus sit, ut cum aliter sentientibus perpetuam servaverit communionem. Anceps videtur, num Cyprianus sententiam mutaverit; ejusque errorem excusat, tum quia Deus voluit illum pervenire per martyrium, quod pacatissima ipsius anima in Unitate promeruit, ad angelicam lucem; tum quia maluit prædecessorum suorum placita, tanquam inventam veritatem defendere, quam inquirendo laborare. Donatistas tandem exemplo Cypriani ad unitatem hortatur his verbis: *Quæstio, quæ*

nondum finita Cyprianum non deterruit ut recederet, vos finita, ut redeatis invitat. Venite ad Catholicam concordantem, quam Cyprianus non deseruit fluctuantem. In reliquis quinque libris expenditur quidquid pro repetendo baptismate a Cypriano in epistolis ad Jubajanum, ad Quintum, ad Pompejum, & ad Episcopos Numidiæ, necnon ab aliis Africanis in Concilio Carthaginensi sub Cypriano ad explodendum hæreticorum baptisma productum fuit, refutatis singulis illorum sententiis atque argumentis. Extant his in libris permulta idonea ad alios etiam hæreticos revincendos, scilicet de baptismo parvulorum, de traditionibus retinendis, de Martyrum intercessione, de baptismatis Joannis, & baptismatis Christi discrimine, de Corpore & Sanguine Domini in Sacramento Eucharistiæ, aliaque scitu digna. Difficilia quibusdam videntur quæ sub finem ultimi libri leguntur de baptismo jocularitet & mimice administrato; sed quisquis attente perlegerit, mirabitur Augustini in definiendo modestiam. Post libros de Baptismo, aliud Opus contra Donatistas Augustinus conscripsit, quod intercidit: in eo brevissime refutabantur testimonia quædam adversus ea, quæ Augustinus contra partem Donati dictaverat, aut scripserat; & quoniam librum comprehendentem objecta Donatianorum attulerat laicus quidam Centurius nomine, ideo Augustinus Responsioni suæ hunc præfixerat titulum, *Contra quod attulit Centurius a Donatistis*. Vide lib. 2. Retract. cap. 19. Sequuntur libri *contra Petilianum*, atque scripta inter istos *epistola*, seu liber *de Unitate Ecclesiæ*. Petilianus Cirtensis, sive Constantiniensis in Numidia Episcopus epistolam dederat ad Presbyteros & Diaconos suæ Diœcesis, Catholicam Ecclesiam probris conviciisque proscindens. Augustino qui Cirtam advenerat, oblata fuit pars illius epistolæ, quam Catholici nondum totam exscripserant. Illam vero partem Augustinus statim aggressus est, egregio scripto edito circa annum 400. atque hic est liber primus contra litteras Petiliani, cui principio titulus fuit *epistola ad Catholicos*, quemadmodum Petilianus opusculum suum inscripserat *Epistolam* ad Donatistas: sed postea duobus aliis libris adjectis (inquit Augustinus 2. Retract. cap. 25.) locum *inter libros* obtinuit. Petiliani epistola, quamquam Donatistæ darent operam ne ad manus Augustini perveniret, integra tamen tradita ipsi fuit a Catholicis

qui-

quibusdam Cirtensibus. Itaque S. Pater ut integram quoque confutaret, addidit ineunte anno 402. librum alterum; atque hic est contra Petilianum secundus. Interea temporis edidit *epistolam*, sive librum *de Unitate Ecclesiæ*; de quo ob conjectationes aliquas dubitant an sit Augustini Patres S. Mauri: sed a Possidio, & a V. Generali Synodo Collat. 5. nomine *epistolæ ad Catholicos* laudatur, & Augustino adtribuitur. Deinde cum Petilianus libro primo adversum se scripto quædam respondere deliberasset, sed rationibus destitutus Augustinum impetiisset conviciis, & contumeliosis criminationibus; S. Doctor exornavit responsionem, quæ constituit contra litteras Petiliani librum tertium. Ex his libris intelligimus Petilianum, cum esset cathecumenus Catholicorum, fuisse a Donatistis per vim ordinatum Episcopum: ab iisdem Catholicos dictos fuisse *Macarianos*: Augustinum Mediolani dixisse panegyricam orationem Bautoni Consuli: ab illo genus Monasticæ vitæ fuisse institutum; in eum denique anhelis pulmonibus ac turgidis adversantium faucibus jactatas fuisse calumnias. Nam cetera, quæ spectant ad Cæciliani causam, ad Maximianistas, ad Circumcelliones, ad Ecclesiæ unitatem, ad hæreticos per vim coercendos, aliaque in libris istis discussa, paulo supra fuerunt commemorata. Circa eadem tempora, quibus Augustinus oppugnavit Petilianum, dedit epistolas duas *ad Celerem*, quem hortatur ut subtrahat se a consuetudine Donatistarum, hosque sine ulla causa se a Catholicis segregasse conqueritur. Sunt autem duæ illæ epistolæ in novis editionibus 56. & 57. in vetustioribus vero 237. & 210. Quamquam vero Donatista Synodo Carthaginensi celebrata anno 404. legibusque Honorii ac Theodosii Augustorum latis proximo anno 405. adeo prostrati fuerunt, ut magna illorum pars redierit ad unitatem, quam proinde factam Stelichone II. & Antehmio Coss. prodidit in libro Fastorum Idatius; novas tamen turbas cierunt, annoque insequenti 406. Cresconius Donatista laicus genere, & professione Grammaticus, epistolam Augustini, seu librum primum contra litteras Petiliani studuit impetere atque oppugnare. Adversus autem hunc *Cresconium* elaboravit statim Augustinus libros quatuor, de quibus in 2. Retract. cap. 26. atque in his libris ex causa præsertim Maximianistarum, quorum, ut diximus baptisma Donatiani receperant, tametsi Ma-

ximia-

ximianum damnaverat Concilium trecentorum ac decem Episcoporum ex parte Donati, iidem Donatistæ valide refelluntur, aliis rebus, aliisque dogmatis ad causam Donatianam pertinentibus, nova doctrinæ & eruditionis copia uberrime pertractatis. Præter hæc autem in laudatis contra Cresconium libris quædam sunt in Dialecticæ defensionem, nonnulla de Sylvano & de actis Cirtensis Synodi, plura de Concilio Bagajensi, de Arianorum & Donatistarum conjuncto fœdere, necnon de grammaticali vi gradus comparativi, de quo ludum suum Cresconius perbelle luserat. Subjicienda hic forent tria Augustini contra Donatianos Opera, quorum fit mentio 2. Retract. cap. 27. 28. & 29. sed nondum hæc diligentia doctissimorum virorum potuerunt adinveniri. Scripsit præterea Augustinus circa annum 410. librum *de Unico baptismo contra Petilianum*, atque librum alterum *De Maximianistis* (in quibusdam editionibus Indiculi Possidii legimus: *De Maximianistis* libri tres, alibi tamen liber unus) quorum primus usque dum extat, alter vero desideratur. Post celebrem *Collationem* Carthaginensem, quam superiori numero commemoravi, conscripsit Augustinus *Breviculum* ipsiusmet Collationis. Gesta hujus ibidem summarie & accurate prope finem digesta sunt. In Collatione tertiæ diei habitæ sexto idus Junias purgatur a Donatistarum calumniis S. Melchiades Romanus Episcopus, ejusque Diaconus Straton. Hinc vero apparet Donatistas falsa crimina Catholicis objecisse: unde permultis persuasum, etiam S. Marcellini thurificationem fuisse a calumniatoribus illis confictam; a qua sententia ipsemet Augustinus præcitato libro *De Unico Baptismo* cap. 16. num. 27. non videtur esse alienus. Post Collationem illam, idest anno 412. conscriptus est liber, cui titulus, *Ad Donatistas post Collationem*, quo diluuntur, quæ contra Collationis judicium sparsa fuerant in vulgus. Hunc librum sequitur *sermo* habitus ad plebem Cæsareensis Ecclesiæ adstante Emerito Donatista, tum liber *de gestis cum* eodem *Emerito*; nam liber alter *ad Emeritum*, de quo 2. Retract. cap. 51. latet, aut periit. Hæc opera circa annum 418. dicuntur edita. Subsequuntur libri duo *adversus Gaudentium* Episcopum Thamugadensem, unum ex septem, qui ex parte Donati interfuerunt Collationi. Is dederat epistolas duas *ad Dulcitium* tribunum, quas idem Dulcitius refellendas misit ad Augusti-

num:

num : idque Sanctus doctor naviter præstitit anno 420. nondum elapso. In hoc opere commemoratis Donatistarum flagitiis, tribusque mortis generibus, quibus illi frequenter sese interimebant, aqua, igne, aut præcipitio, expenditur factum Raziæ, & de libris Machabæorum asseritur *non inutiliter* acceptos esse ab Ecclesia, sed sobrie esse legendos : quo loco abuti solent hæretici ad eosdem libros e Canone dispungendos; quum tamen Augustinus illos receptos esse ab Ecclesia absque ulla ambiguitate asseveret. Extat prope finem Voluminis IX. Operum S. Patris *Sermo de Rusticiano Subdiacono rebaptizato a Donatistis, & in Diaconum ordinato*. Hunc sermonem Hieronymus Vignerius, qui primus illum produxit in lucem; inseruitque concinnato a se supplemento, Augustino censet esse adscribendum; quod tamen alii in dubium revocant. Ut ad ea, quæ nemine repugnante Augustino tribuuntur, nostra revertatur dissertatio; non iis tantum operibus, quæ commemorata sunt, Augustinus confutavit schisma & hæresim Donatistarum, verum etiam epistolis compluribus, variis in Joannem tractatibus, frequenter quoque in Commentariis, sive enarrationibus in Psalmos, atque in Sermonibus plurimis: quorum si vellem singillatim mentionem facere, accederent recensitis Opuscula alia plusquam octoginta. Videsis istorum indicem in editione Parisiensi Monachorum Sancti Mauri tom. IX. pag. 682. In indiculo demum Possidii alia recensentur contra Donatistas Scripta, quæ ab omnibus supra laudatis videntur esse diversa; cujusmodi sunt, *Tractatus tres de Traditione in persecutionibus*, *ac de falso baptismo*, necnon *Commonitorium Primiano*. Hinc unusquisque, etiamsi nulla alia suppeterent argumenta, posset facili negotio comprehendere, quam præ ceteris Ecclesiæ Pastoribus beatissimus Augustinus pro servanda Ecclesiæ Unitate, & pro doctrina Evangelica propugnanda strenuus invictusque certaverit.

CAPUT LIII.

De Priscillianistis, horumque dogmatibus.

AT non in Donatistas tantum vel Manichæos, in alios etiam hæreticos se gloriosissimus Fidei Pugil armavit, refutavitque Priscilliani errores, & nugamenta. Priscillianistæ,

ſtæ, quorum hæreſim Auguſtinus n. 70. Donatianæ proximam locat, Priſcillianum habuerunt inſtitutorem, Hiſpanum genere. (a) Legendi de Priſcilliano Severus Sulpitius in Hiſtoria Sacra, Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis, Baronius ad an. 381. Tillemontius in Memoriis Eccl. ad an. 380., & qui de Hæreſibus data opera pertractarunt. Ingenio, & facultatibus pollens ad capeſſendas diſciplinas applicuit animum, præceptorem nactus Helpidium quemdam imbutum Gnoſticorum erroribus. Hoc inſtitutore magicis incubuit artibus, adeptuſque doctrinam exitioſam cæpit ea multos nobilium ac populares, feminaſque, quibus fluxa ineſt fides, curioſitas magna, rerumque novarum pernicioſa cupido, circa prædictum annum 380. erudire. Iter inde arripuit Galliam verſus, ſpargens in Aquitania, finitimiſque regionibus perfidiæ ſemina, decepta quoque Euchrocia, ejuſque filia nomine Procula, quam ferunt Priſcilliani ſtupro gravidam partum ſibi graminibus abegiſſe. Euchrocia Delphidii cujuſdam Rhetoris viri Aquitani uxor erat; qui decedens florente adhuc ætate expertus nequaquam eſt illatam ſibi a conjuge, nataque ignominiam. In Synodo Cæſarauguſtana ab Epiſcopis Hiſpaniarum & Aquitaniæ damnatus Priſcillianus, cum duobus Epiſcopis Salviano & Inſtantio an. 381. Romam venit, ut apud Romanum Pontificem S. Damaſum ſe ab objectis purgaret. A Pontifice rejectus, operam præſtante Macedonio officiorum Magiſtro, atque improbo hæreticorum fautore, extorto edicto ab Imperatore Gratiano repetiit Hiſpanias. Tum Priſcillianum Idacius eloquio & cognomento *Clarus* aggreſſus eſt ſcriptis. Damnatus iterum hæreſiarcha fuit an. 385. in Burdigalenſi Concilio, a cujus ſententia appellans ad Maximum Tyrannum, hujus juſſu cauſa Evodio præfecto commiſſa, abſciſſo capite impietatis ſuæ pœnam luit. Priſcilliano tamen occiſo, non ſolum non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat; *ſed confirmata latius propagata eſt*, inquit lib 2. Severus Sulpitius. Cæperunt quoque ſectatores ejus illum tanquam martyrem colere, corporibus ipſius, & eorum qui ſimul fuerant in-

(a) *Priſcilliani præceptorem quidam fuiſſe tradunt* Marcum Memphiticum *diſcipulum Manichæi*.

interempti (inter quos Euchrocia superius commemorata) in Hispaniam delatis, & funerum pompa, cultuque solemniori honestatis. Quod sane quanto sacrilegio patratum sit, confessio ipsa Priscilliani, dogmatumque ejus perversitas manifestat. In judicio enim apud Evodium peracto convictus est maleficii, confessus præterea studuisse se obscænis doctrinis, egisse nocturnos turpium feminarum conventus, atque in fundendis Deo precibus omnibus indumentis semet exuisse. Meminit turpitudinum Priscillianistarum etiam Sanctus Hieronymus, qui in epistola ad Ctesiphontem narrat, impurissimos illos homines inter femineos amplexus canere solitos carmen Virgilianum 2. Georgic.

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Conjugis in gremium late descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

Ad contaminationes turpitudinesque suas occultandas Priscillianistæ tanquam dogma servabant pronunciatum illud suum,

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Gnosticorum, Manicheorumque permixta dogmata sectabantur: damnabant conjugia, & perhorrescebant procreationem nascentium, ut inquit S. Leo epistola 15. alias 93. ad Turribium, & habetur canone 11. Synodi Bracarensis. Tribuebant quoque malignis angelis opificium omnis carnis, & cibos carnium tanquam immundos aspernabantur, nec olera cum illis cocta prægustantes, ut legitur canone 14. prælaudatæ Synodi. Putabant animas esse ejusdem substantiæ, cujus est Deus, ad agonem exercendum in terram sponte delapsas, atque a maligno mundi principe, in quem incurrunt, diversis corporibus colligatas. Hæc vero absona non videntur a Manichæorum insaniis. Ad hæc autem Priscillianistæ fatalibus astris homines subjecerunt, partesque humani corporis juxta duodecim cœlestia signa disposita & compacta esse delirarunt, eo ordine, quem hæresi septuagesima Augustinus describit. De Trinitate etiam pessime dogmatizarunt: illam namque non personis, sed solis nominibus distinxerunt; ac Verbum Patre posterius, Christum non

alia ratione *Unigenitum*, nisi quia solus de Virgine natus est, ac filios promissionis ex Spiritu Sancto conceptos esse dixerunt. Jejunarunt ulterius in die Nativitatis & Resurrectionis dominicæ, Cerdonis, Marcionisque, qui Christum in vera hominis natura natum esse non credunt, secuti deliria. Denique apocryphos libros vulgarunt, tanquam ab Apostolis editos, quos Leo Magnus præcitata ad Turribium epistola cap. 15. appellat *seminarium multarum falsitatum*, Dictinii Episcopi, qui olim ipsis adhæserat, Tractatus summopere commendantes. In hac errorum sentina, si Manichæorum, Samosatensium, Ebionitarum, aliorumque hæreticorum separentur errores; tanquam peculiaris Priscillianistarum character, remanebit fatalis illa necessitas, qua arbitrabantur hominum animas, & corpora obstringi, illaque potestati syderum & signorum, boni, aut mali cujuslibet inevitabiles subjectio. Atque hæc de Priscillianistis, horumque erroribus breviter, & contracte dicta: nam qui plura desiderat, adeat Philastrium hæresi LXXXIV. quæ est *Abstinentium*, Orosii Consultationem, seu Commonitorium, Augustinum hær. LXX. S. Leonis ad Turribium Asturicensem Episcopum, hujusque ad Idacium & Ceponium epistolas, atque observationes in illam Quesnellianas.

CAPUT LIV.

Recensentur Augustini scripta adversus Priscillianistas.

POstulante itaque Orosio, qui circa annum 415. ex extrema Hispania, sive ab Oceani litore venit ad Augustinum, tum hujus fama, & vehementi erga sacras litteras amore commotus, ut habetur in Augustiniana epistola 169. n. 13. tum etiam ob barbarorum infestationes perculsus formidine, ut ipse Orosius refert in quinto historiarum suarum libro, maximus hæresum profligator eodem anno Opus conscripsit, cui in 2. Retract. cap. 44. titulus iste tribuitur, *Ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas*. Eo in libro S. Doctor præmittit se de animæ substantia fuse adversus Manichæos disputasse, unde simul dogma Priscilliani subvertitur. Explicat deinde quomodo anima a Deo sit producta ex nihilo, scilicet ex non subjecta materia. Inquit Priscillianum, quod de anima, etiam de

de Filio & de Spiritu Sancto sentientem, tanquam particulam quamdam ex Deo defluere, deterius reddere antiquum dogma Sabellianum. Commonet Orosium, ne cum Origenistis futuram credat Diaboli Angelorumque ejus reparationem, animadvertens inter αἰῶνα, & αἰώνιον discrimen, ac differens peracute de verbis Christi Mat. 25. 41. Demonstrat cælum & terram non fuisse necessaria pro immundis spiritibus, & hominum animabus purgandis, negatque credendum esse de Sole, Luna, ceterisque astris, quod sint animata: quamvis postea dicat, non multum ad nos pertinere, ut ea, quæ remota sunt a sensibus nostris, indagare curemus, quarum ignorantia salus non periclitatur æterna. De his Priscillianistarum erroribus, derivatis ex Originaria de spiritibus & animabus doctrina, in hoc ad Orosium libro differitur, omissis aliis, quæ tamen commemorantur in Orosii prævia *Consultatione*. At extat inter Augustini epistolas 237. alias 253. ad *Ceretium*: in qua Sanctus Antistes refellit quoque audaciam Priscillianistarum in recipiendis simul scripturis Canonicis & apocryphis, eisque modo callida, modo ridicula expositione pervertendis; illorum itidem morem occultandi nefaria dogmata, & falso jurejurando mentiendi: hymnum tandem, quem a Domino sanctis Apostolis dictum inepte affirmabant, ineptissime vero exponebant, cujus & stropham illam producit, *Solvere volo, & solvi volo*. Commemoravimus supra num. 48. librum *de Mendacio*: cui libro tom. *6*. subjicitur alter inscriptus, *Contra Mendacium ad Consentium*. Editus hic est per idem tempus, quo elucubrati fuere libri contra Gaudentium Donatistam, ex 2. Retractat. cap. *6*., ideoque anno 420. Demonstrat hoc in Opere Augustinus, Priscillianistas utentes mendaciis, ut lateant, pervertere quod ait Psalmista 14. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo*: exhonorare Martyres, qui secundum mendaciloquos illos debuissent servare Dei cultum in corde, mentientes diaboli cultum in corpore; & mentientibus in uno, ait, habendam non esse fidem in aliis. Deinde ostendit nunquam fas esse mentiri, neque viam aperiendam esse peccatis, expendens factum Loth volentis prostituere filias *fornicationibus impiorum*, & Davidis jurantis occisurum se Nabal; ac monens non omnia, quæ leguntur fecisse homines justi, transferenda esse a nobis in mores. Defendit insuper a mendacio Abraham, Isaac,

& Jacob; docet Paulum non observasse legis ceremonias mendaciter; explicat quid inter mendacium, & figuram intersit; reprehendit mendacium Thamar; asserit in Raab, atque in obstetricibus Ægyptiis non fallaciam, sed benevolentiam fuisse remuneratam; quæ omnia bene atque opportune fuerunt pertractata, ne Priscillianistæ mendacia sua auderent in posterum cohonestare iisdem Scripturarum Sanctarum exemplis. Obiter hic notandum illos, qui mendacia ac simulationes prædictis, & consimilibus exemplis conantur defendere, ex Priscillianistis fallaciarum patronis mutuari momenta ac subterfugia illa miserrima, quæ Priscillianistarum oppugnatores exsibilarunt. Præter laudata Augustini opera, in Indice Possidii commemorantur, *Ad Optatum Episcopum de Anima epistolæ duæ*. Harum unam esse 190, aliam vero adhuc latere, scribunt Bollandistæ tom. VI. Augusti pag. 444. Etsi prior illa epistola 190. alias 157. potius scripta videtur adversus Pelagianos, versatur enim fere tota in ea quæstione, utrum animæ mox creatæ ex nihilo, aut originaliter traductæ ex parentibus, nascantur damnationis vinculo obstrictæ; in eadem tamen epistola error Origenis & Priscillianistarum de animabus ad corpora devolutis, ut purgentur ab anteactis criminibus, num. 4. aliquantulum tangitur, atque ex iis, quæ Apostolus ad Rom. 9. 11. scribit de filiis Rebeccæ geminis, brevi refellitur. Hanc ergo epistolam, si adversus Priscillianistas scriptam velis; liceat per me quidem istud asserere: sed scopum ejusdem epistolæ, agendamque materiam non fuisse Priscillianistarum refutationem, quæ vix attingitur ac præsupponitur, mihi videtur manifestissimum. Adinventa est alia S. P. Augustini ad *Optatum* epistola in antiquo Codice Bibliothecæ Gothvvicensis a Godefrido Abbate, typisque primum edita Viennæ Austriæ an. 1732. una cum altera epistola ad Petrum & Abraham: atque prior ad Optatum ita inscripta prodiit, *Epistola secunda S. Augustini ad Optatum Episcopum Milevitanum de natura, & origine animæ*. Hanc Augustini germanum esse fætum constat ex fragmento ejusdem epistolæ, quod extat apud Eugipium cap. 345. editumque est in postremo Volumine Operum S. Patris anno 1735. typis Venetis paulo post initium. In ista itaque epistola pariter Origenis & Priscilliani num. 5. sententia carpitur; sed, ut dixi de epistola 190., proposita quæstione, num singulæ animæ creentur

tur ex nihilo, an propagine traducantur ex Adam (in quo Auguſtinus propter difficillimam de originalis peccati transfuſione controverſiam adhuc pendet anceps) agitur de cavenda hæreſi Pelagiana. Nihilotamen minus hanc poſtremo adinventam dicas, ſi lubet ſecundam contra Priſcillianiſtas, in Poſſidii indiculo memoratam. Verum eidem falſo aut Amanuenſis, aut editor *Optati Milevitani* nomen appoſuit, quum data ſit ad alium Optatum, Epiſcopum quidem, prout conſtat ex laudato Indice, atque ex eadem epiſtola, ſed non Epiſcopum Milevitanum. Nam cum hæc epiſtola data ſit circa annum 420., prout recte in illius editione adnotatur, & infertur ex aliis Auguſtini operibus in ipſa commemoratis; falſo putatur directa ad Milevitanum Antiſtitem, qui teſte Hieronymo de Script. Eccleſ. cap. 121. floruit ſub Valentiniano, & Valente Principibus, non autem ſub Honorio, ac Theodoſio; atque jam ab anno 400. obierat, quando Auguſtinus ſcripſit adverſus epiſtolam Parmeniani, ut liquet ex 1. libro contra eamdem epiſtolam cap. 3. num. 5. Interiiſſe autem Optatum anno uno, vel altero, definire non poſſumus, ſed paulo poſt obitum Valentiniani, qui anno 375. correptus apoplexia fatis ceſſit, demortuum & illum colligimus, ex quo ad tempora Valentiniani referant Optati Milevitani ætatem & ſcripta laudatus Hieronymus, Honorius Auguſtodunenſis, & alii. Nec urgendus nobis eſt epiſtolæ titulus ex Codice Gothvvicenſi; nam ibidem epiſtola altera ad Petrum & Abraham inſcriptionem præfert, *De natura & origine animæ;* quum rectius (inquit in Præfatione ipſemet Cl. Abbas Gothvvicenſis, inſcribenda fuiſſet, *De pœnis Parvulorum, qui ſine baptiſmo decedunt*, ſub quo titulo fuit etiam eodem auctore vulgata. At de oppugnatis devictiſque ab Auguſtino Priſcillianiſtis dictum eſt modo.

CAPUT LV.

Quænam Ariana hæreſis, & quomodo irrupit in Africam?

ARianos quoque ſtuduit eximius Eccleſiæ Doctor ſcriptis & diſputationibus profligare. Iſtorum hæreſis negans Filium & Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, longe fuit Ario, a quo denominationem accepit, vetuſtior;

stior; nam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis extiterunt, qui vel unam in divinitate personam agnoscerent, vel Christum ante Incarnationem assererent non extitisse, vel qui, si fatebantur alias a Patre personas, vel illarum substantiam in plures gradus dispescerent, vel saltim Filium ad conditionem rerum creatarum deprimerent. Norunt id omnes, qui Ebionitarum, Alogorum, Sabellii, Pauli Samosateni, Origenianorum, Photini, Artemonis, aliorumque hujus furfuris, gesta legerunt. In quorum numero, quum aliqui Verbum Filium Dei aperte negarent, alii illud solo nomine a Patre secernerent, alii demum creaturis ipsum adnumerarent; placuit Arianis ea opinio, quæ Verbum a Patre genitum negat, & factum ex non extantibus dogmatizat, quasi omnipotentis instrumentum ad creaturas reliquas producendas. Videtur hæc de Verbo Dei falsissima opinio descendisse a Platonicorum placitis, omni dubio procul sacrosancto Evangelio ceterisque divinis litteris, necnon Sanctorum Patrum Traditioni repugnans. Quod enim acatholicus Sandius in *Nucleo Ecclesiasticæ Historiæ*, & in Responsionibus *ad Gardinerum*, & Joannes Clericus in *Historia priorum sæculorum* conati sunt demonstrare, Ario prælusisse veteres Ecclesiæ Patres, refutatum est plurium clarissimorum Theologorum lucubrationibus. Vix de Origene magnis animorum contentionibus hodiedum disceptatur. Verum sive ex hujus libris, sive aliunde Arius venenum exitiosissimum hauserit, tanta illud nequitia propinavit, effuditque; ut suo de nomine Ariana hæresis vocitetur. Idem Arius Alexandriæ, quam *Scandarick* dicunt, urbis in Libya atque in Ægypto sitæ circa annum 280. plus, minus in lucem prodiit; nec desunt, qui infaustam ejus nativitatem velint Sybillino illo oraculo prænuntiatam:

Heu Lybiæ tellus, heu mare, terraque, gentes
Occiduæ, vobis orietur tempus acerbum.

Verum ob dubiam Sybillinorum oraculorum auctoritatem, atque ob vaticinii istius ambiguam incertamque significationem, subtilius, quam verius id videtur excogitatum. Adhæsit autem Arius schismati Meletiano circa initia quarti sæculi exorto: quam ob causam a sancto Antistite, ac Martyre Petro Alexandrino privatus fuit anno 310. Ecclesiastica communione. Ecclesiæ

clesiæ deinde reconciliatus, a Petri successore Achilla insignitus est charactere presbyterali: sed Ordinatore ejus defuncto, rediens ad ingenium, & spe Episcopatus, quem ambitiose concupierat, frustratus, scissuras iterum fecit, cæpitque hæresim disseminare. In eum proinde S. Alexander, qui Achillæ successerat, coegit anno 320. Synodum Alexandrinam, & anathema intorsit. Alexandria fugiens hæresiarcha Palestinam primum, deinde Nicomediam petiit, fretusque Eusebii Nicomediensis, qui favore Constantiæ sororis Constantini magni, & uxoris Licinii fruebatur, singulari amicitia ac patrocinio rediit Alexandriam. Interim Arius *Thaliam* obscæno carmine Nicomediæ conscripserat, aures simul corruptorum hominum feminarumque numeris syllabarum demulcens, mentesque legentium pervertens dogmatis pravitate. Tanta vero fuit scriptorum Arii in verbis lascivia, atque in sententiis absurditas; ut narrante Socrate lib. I. Hist. Ec. cap. 9. Si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus esset, aut sibi oblatum non statim igne combussisse, cogeretur *mortis pœnam subire*. Non memini latam ante, vel post hæc tempora legem aut severiorem, aut æquiorem, hactenus me legisse. Quum Arius pervicacior evaderet, nec hortatu Osii Cordubensis Episcopi, qui ad eum ab errore revocandum, conciliandumque Alexandro, jussu Constantini perrexerat Alexandriam; in magna Nicæna Synodo CCCXVIII. Episcoporum anno 325. damnatus est præsens, erroresque suos impudentissimo ore confirmans. Post suum denique exilium in Illyricum, simulatam Nicænæ fidei professionem, deceptum hac arte Imperatorem, reditum in patriam, aliaque rerum discrimina, dum nova moliretur anno 336., exitu miserrimo interiit. Utinam cum suo auctore nefanda & execranda hæresis periisset! Sed hæc hydræ instar præcisa capita germinans erexit sese iterum, atque ex Oriente huc serpens Italorum quoque nonnullos infecit, nunquam tamen Apostolica sede contaminata. Postremo & in Africam erupit, & Vandalis tyrannidem exercentibus, maximum Christianis rebus attulit detrimentum. Vandali Gothici generis truculentissimum germen, patriis finibus ad Mæotidem ob extremam rerum omnium penuriam relictis; initoque cum Alanis fædere, Gallias primum, deinde varias Romani Imperii provincias, Gunderico Duce, Arcadio VI. & Probo Anitio Coss., sive, ut

ut nonnulii tradiderunt, post biennium, Coss. Basso ac Philippo, anno scilicet V. Ae. 408. invaserunt. Proximo anno 409. Alaricus Gothorum Rex Urbem Romam obsedit, quam insequenti anno captam diripuit. Irruperunt per id temporis in Hispanias, omnia, ut verbis utar Orosii, vastantes (a) *magnis cruentisque discursibus*. Mortuo in Hispaniis Gunderico, Gensericus ipsius frater ex concubina natus, annuente Bonifacio Comite, quem Placidia Valentiniani III. Mater, dum filii nomine administraret imperium, toti præfecerat Africæ, cum magnis Vandalorum copiis, fretum ad Gades transvectus in Africam appulit. Hanc Vandalorum in Africam irruptionem accidisse Hierio & Ardabure Coss. idest, anno 427., tametsi quidam Historici hanc referant ad annum proximum, sententia est probabilior. Quum ergo Vandali addictissimi essent Arianæ hæresi, quam a Gotthis popularibus suis hauserant, atque ipse Rex Gensericus vel apostata ex fide Catholica, ut inquiunt Idacius & Isidorus, vel potius in hæreticorum perfidia enutritus, inter Arianos foret pertinacissimus; nullum non moverunt lapidem, ut perditis, mactatisque fidelibus, Arianismus ubique divulgaretur. Coactus propterea est Augustinus in Arianos quoque mellifluam linguam, stylumque exercitatissimum vertere: quod fecit editis libris, habitisque dissertationibus, quas statim commemorabo.

CAPUT LVI.

Quomodo S. P. Augustinus hæreticos Arianos devicerit?

S. Possidius in vita Augustini cap. 17. describit disputationem, quam S. P. habuit cum *Pascentio Comite domus Regiæ*, qui fidem Catholicam atrociter impugnans, & Arianam hæresim defendens, Sanctum Antistitem apud Carthaginem interpositis viris nobilibus provocavit. Quoniam renuente Pascentio hæc collatio peracta est absque tabulis ac notariis, convictus Pascentius digressis partibus cæpit mendacia multa jactare, ac præsertim Augustinum fuisse acuminis sui vi superatum.

(a) *Oros. lib. 7. cap. 28.*

tum. Quod cum contra advenisset; adversus falsissimam superbissimamque Pascentii jactantiam scripsit epistolam 238. alias 164. qua Catholicæ fidei rationem reddit, & ausum dicere, quod noluerit Augustinus exponere fidem suam, falsitatis redarguit; & adversarium obtestatur, ut epistolam illam tradat legendam cuicunque voluerit, & quidquid voluerit vicissim scribendo respondeat. In primo ipsius epistolæ capite agitur de Collatione jam facta; in qua Augustinus ostenderat retinendum esse vocabulum, ὁμοούσιον, licet non inveniatur in sacris paginis, quemadmodum nusquam legitur, *Ingenitum*, & tamen dicendum esse defenditur. Demonstrat quatuor sequentibus capitulis fidem Trinitatis, & Consubstantialitatem Verbi Scripturarum Sanctarum auctoritate, & rursus agit de voce ὁμούσιον, quam ait a non intelligentibus irrideri. Versantur in eodem argumento epistola 239. alias 175. & epistola 241. alias 177. ad eumdem Pascentium; atque in hac postrema refellit illatam sibi, ceterisque Catholicis calumniam, profiteri nos in divinitate Personam quamdam *triformem*. Est pariter adversus Arianos epistola 242. alias 150. ad Elpidium, eaque probat S. Doctor Dei Filium non esse factum, brevi & epistolari oratione, ab Elpidio commonefactus, ne modum excederet, sed ipsam quoque Ariani admonitionem exemplo Ciceronis, quem is laudaverat, brevi castigans. Quo præcise anno laudatæ epistolæ scriptæ fuerint, non ausim temere definire: ipsa tamen Arianorum istorum audacia, & Pascentii in *domo Regia* officium movet me, ut post Vandalorum in Africam irruptionem & vertente anno 427 aut sequenti datas existimem. Longe tamen antea, & circa annum 418. Augustinus diem indixerat Arianis, edito libro *contra Sermonem Arianorum*, in quo, ut morem gereret ei, qui hunc sermonem sanctissimo Doctori transmiserat, omnia Scripturarum loca, quibus Ariani abutuntur, sedulo expendit. Dividitur autem hoc opus in capita 39. atque a præstantissimo auctore commemoratur in 2. Retractat. cap. 52. Habuit præterea S. Pater *collationem cum Maximino Arianorum Episcopo*, & adversus eumdem duos edidit libros circa annum 428. Theodericus Ruinartius in Chronotaxi præmissa Historiæ Persecutionis Vandalicæ disputationem Augustini cum Maximino consignavit anno 423. Verum cum Maximinus Hypponemregium, ubi iniit altercationem, profectus fuerit jussu Segisvul-

ti, qui Gothus & Arianus erat, ac præliaturus adversus Bonifacium in Africam post Mavortium transmiserat; arbitramur illam disceptationem nonnisi inchoato anno 428. evenisse. Legitote Vitam Augustini a PP. S. Mauri concinnatam lib. VIII. cap. 8. n. 4. ipsamque Augustini cum Maximino Collationem n. 1. Puto Maximinum fuisse illum Episcopum Arianæ sectæ ducem & fautorem, qui, ut narrat Idacius ad Consulatum Augusti V. & Anatolii, a Catholicis Episcopis damnatus fuit: quod tamen contigit postea, Genserico Siciliam, capta Carthagine, aggrediente. Sane Maximinum non fuisse Afrum genere, sed cum Gothis in Africam trajecisse narrat præcitato cap. 17. Sanctus Possidius. *Collatio* illa ob prolixitatem Maximini quamplurima Scripturarum loca simul producentis ita suspensa remansit, ut S. Pater *duos libros* statim conscribendos esse crediderit, quibus & quæ Catholici pro Verbi divinitate producunt, dilucide explicantur; & quæ contra objecerat Arianus, refelluntur invicte. In secundo libro plura cap. 20. & duobus sequentibus occurrunt de versu Joannis 10. 30. *Ego, & Pater unum sumus*, nec non de versu 8. cap. 5. epistolæ 1. ejusdem Apostoli: cujus etsi medietatem tantum profert egregius Doctor, ac videtur interpolatum adhibuisse codicem; quæ tamen afferuntur, ingenuissima sunt, atque ad Arianos refellendos aptissima. Pertractatur quoque eodem in libro cap. 26. satis accurate ea quæstio, num in veteri testamento solus Filius Patribus apparuerit: ex quo enim is, non Pater sese aspectabilem aliquando præbuerit, Ariani suadere conabantur solam Patris substantiam tam sublimis esse conditionis, ut sub aspectum cadere nequeat. Sed Augustinus eam sententiam propugnans quod nec Christus videri poterat *in divina natura*, & quemadmodum ille, ita Pater ac Spiritus Sanctus cerni potuerint *per subjectam sibi creaturam*: videtur facilius enervare ac diluere hæreticorum sophismata, quam existimantes solum revera Filium, cui peculiariter competit Ecclesiæ institutio, legum promulgatio, atque redemptionis mysterium, antiquis Patribus apparuisse. Plura itidem ad oppugnandam Arianam hæresim occurrunt in quindecim libris *de Trinitate*, quos inter annum 400. & 416. Augustinus innumeris distractus occupationibus absolvit atque expolivit. Libros istos de Trinitate summopere commendat in suis Institutionibus Cassiodorus, eos-

que

que in propriam linguam Græci transtulerunt. Extant quædam hujus Operis capita Græce reddita per Maximum Planudem inter Opuscula Petri Arcudii pag. 590. atque in Florentina S. Marci Bibliotheca asservatur Codex Græcus XV. horum librorum auctore Maximo Monacho. His adde epistolam ad Maximum 170. alias *66*. & alteram, quæ latet, ad Terentianum: quæstiones 18. 37: 50. & *69*. inter LXXXIII. sermones 18. & *63*. de Verbis Domini, sive *63*. & 117. & homiliam 32. ex L. nunc sermonem 126. Tractatum I. in Joannem; aliaque opuscula, in quibus æterni Verbi divinitas asseritur, & propugnatur.

CAPUT LVII.

Hæreses quoque Joviniani, Tertullianistarum, Novatianorum, Apollinaristarum, atque Abeloitarum ab Augustino refutatæ.

ADversus alias omnes hæreses, quæ sua vigebant ætate, acerrime pugnavit gloriosissimus Pontifex Augustinus. De illarum nonnullis præstat modo instituere sermonem. *Joviniani* hæresis Augustino adhuc juvene exorta est, ut S. Doctor scribit hær. 82. Hujus hæreseos auctorem fuisse Monachum in Monasterio Mediolanensi sub Ambrosii disciplina & regimine, sed illinc discessisse circa annum 382. Romæ vero commorantem primum a Siricio Romano Pontifice, deinde ab Ambrosio in Synodo Mediolanensi anno 390. tum a Theodosio exilio damnatum, tradunt historica monumenta. Romæ tamen post Theodosii edictum Jovinianus latuit, donec anno 412. imperante Honorio iterum relegatus, exul miserrime interiit. Hæc vero Jovinianus dogmatizavit. Docuit cum Stoicis omnia peccata ejusdem esse malitiæ, jejunia & pœnitentiæ opera nihil prodesse, baptismo regeneratos peccare ulterius non posse, continentiam, & Sanctimonialium virginitatem non esse præstantioris meriti, ac sint fidelium conjugia. Deiparæ quoque intemeratam virginitatem negavit, asserens ore blasphemo illam fuisse pariendo corruptam. At lege adversus Jovinianum scripta sanctissimi, doctissimique Hieronymi. Jovinianæ hæreseos causa scripsit quoque Augustinus anno 401. unum librum

De Bono conjugali, & alterum *De Sancta Virginitate*. In primo explicatis variis opinionibus circa hominum propagationem, si homo primus non peccasset, enumerat multiplex conjugii bonum, filiorum procreationem, naturalem in diverso sexu societatem, juvenilis incontinentiæ conversionem in honestatem propagandæ sobolis, & mutuam fidem, quam sibi conjuges debent. Plura etiam docet de nuptiali fædere, de divortiis, ac de repudio. Respondet Jovinistarum percontationi, num cælibes nostri meliores sint Abraham, & Sara, non faciendam hic esse comparationem personarum, sed virtutum; ac sane meliorem esse castitatem cælibum, quam nuptarum. S. Joannis Apostoli, qui perpetuo virginitatem coluit, ut etiam lib. 1. contra Jovinianum docet Hieronymus, continentiam commendat. Monet demum, ne continentes nostri temporis judicare audeant de antiquis Patribus conjugatis, neve illos parvipendant; quum neque in concubitu, nisi prolem, neque in ipsa prole aliud requirerent, nisi quod in carne venturo Christo proficeret. In altero *de Sancta Virginitate* libro, ait Christum esse Virginis filium, & Virginum sponsum; & Ecclesiam illius matri, quæ mater simul, & virgo est, comparat: Mariam ante annuntiationem virginitatem vovisse, nec ullam aliam inter mulieres inveniri, quæ sit mater & virgo corpore, & spiritu, Virgines honore maximo dignas esse, quoniam Domino consecrantur, virginitatis bonum præstantius esse bono conjugii, ac etiam in cœlis majorem futuram fore gloriam virginum, quam nuptarum, aliaque plura demonstrat, laudatis tamen rursus connubiis, ne hinc ansulam arriperent nuptiarum vituperatores Manichæi, & Virginibus humilitate exemplo Christi, multisque rationibus proposita. Oppugnavit insuper Augustinus *Tertullianistarum* hæresim, *Novatianos*, *Apollinaristas*, & *Abeloitas*. Tertullianistæ a Tertulliano dicti sunt, cujus multa circumferuntur opera eloquentissime scripta. Is Carthaginensis fuit, filius viri Proconsularis, eloquentiæ, philosophiæ, legumque Romanarum peritissimus. Floruit sub Imperatore Severo, ejusque filio Antonino Caracalla, obiitque ætate decrepitus circa annum 215. Paucis ante obitum annis ad Montanistas, seu Cataphrygas defecit, cæpitque secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare. Tertullianistæ itaque in urbe Carthaginensi usque ad Augustini tempora in extremis reli-

reliquiis perdurarunt, atque eo tandem temporis consumptos affirmat hæresi LXXXVI. ipsemet Augustinus. Carthagine autem eo commorante, atque Catholicæ doctrinæ veritatem eloquio & calamo suadente, Tertullianistæ basilicam suam Catholicis tradiderunt, ad Ecclesiæ gremium ab hæresi redeuntes. Perstrinxit eamdem hæresim S. Pater præcitata hæresi 86. necnon hæresi 26. quæ est Cataphrygum, atque hæresi 38. Catharorum: in libro item 16. de Civit. Dei cap. 34. exemplo Abraham, qui post mortem Saræ uxorem duxit Cethuram, ut in ipso patre multarum gentium refutarentur futuri secundarum nuptiarum adversarii. In damnandis secundis nuptiis idem, ac Tertullianistæ, senserunt Novatiani, *Cathari*, idest mundi, alias dicti. Horum auctor Novatus, Afer & ipse, atque Carthaginensis, de quo S. Cyprianus narrat ep. 52. pede prægnantis utero percusso abortivum abegisse; quod contigit circa annum 249. Venit deinde Romam an. 251. fovitque adversus S. Cornelium Papam schisma Novatiani, a schismate in hæresim prolapsus, quæ Catharorum est dicta. Denegat hæc, præter secundas nuptias, etiam remissionem peccatorum, quæ post baptismum patrantur, atque efficacitatem Pœnitentiæ. Impugnatur ab Augustino Novatiana hæresis epistola 265. alias 108. ad Seleucianam, ubi agitur *de baptismo & pœnitentia Petri*. Aperitur in hac epistola Petrum, sicuti & alios Apostolos, baptizatum fuisse: pœnitentiam post baptismum perutilem esse, si quis peccaverit: homines non solum ante baptismum agere pęnitentiam, sed etiam post baptismum, ut reconciliari mereantur; venialia demum, & quotidiana peccata etiam jejuniis, eleemosynis & orationibus expiari. Confutavit quoque Augustinus quæst. 80. ex Qq. LXXXIII. hæresim Apollinaristarum, qui commenti sunt Verbum carnem sine anima suscepisse, ita, ut rationalis animæ vices ipsum Dei Verbum suppleret, ac præterea carnem illam ac Verbum ejusdem esse substantiæ contentiose affirmarunt, dicentes Verbum fuisse conversum in carnem, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam. Atque hæc de Apollinaristis narrat ipse Augustinus hæresi LV. At plura de Apollinari S. Gregorius Nazianzenus ad Nectarium. Addimus tantummodo, Apollinarem hujus hæreseos auctorem fuisse Episcopum Laodicenum, tam in arte dicendi cum soluta oratione, tum carmine exercitatum, ut illi datum sit

palam

palam docere Rhetoricem, quamquam id Christianis vetitum foret edicto Juliani Apostatæ an. 362. Damnavit Apollinaristas anno 368. Synodus Alexandrina sub Athanasio. Refelluntur præterea Apollinaristæ, quemadmodum & Eutichiani, quorum errores sunt cognatione quadam conjuncti, ubicunque Augustinus demonstrat Filium Dei in substantia divinitatis permanentem assumpsisse integram naturam humanam. Augustini loca invenies simul collecta cap. 4. Confess. Aug. § 2. Extinxisse denique Augustinum hæresim dictam Punica declinatione *Abeloniorum*, a filio Adæ Abel, animadvertunt Patres S. Mauri in Vita Aug. lib. IV. cap. 9. num. 6. Revera S. Pater de h. num. 87. narrat prædictam hæresim in agro Hypponensi paulo antea extitisse; sed cum librum de hæresibus scriberet, idest, circa annum 428. fuisse penitus eliminatam atque oppressam. Quod sane, cum in diecæsi sua, & eo vivente factum sit, nonnisi ejus opera creditur evenisse. *Abelonii, sive Abeloitæ* (inquit S. P. hær. 87.) *non miscebantur uxoribus, & eis tamen sine uxoribus vivere sectæ ipsius dogmate non licebat. Mas ergo & femina sub continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros.* Idem post utriusque adoptantis obitum, adoptati ipsi faciebant, alium puerum, & aliam puellam ex conterraneis, vicinisque gignentibus seligentes. Sed hæc breviter dicta sunto, ad aliam hæresim, in qua profliganda Augustinus majorem operam contulit, narratione hac properante.

CAPUT LVIII.

Pelagianæ hæreseos præcipui Propugnatores, & dogmata.

PElagianam hæresim a Norisio, qui illius historiam conscribens immortalem sui nominis famam adeptus est, primus auctor dicitur Origenes; a Joanne autem Garnerio Paulus Samosatenus, aliique Verbi divinitatem, aut Incarnationis mysterium denegantes. Ac de Origene quidem invicta, & plana sunt argumenta ab eodem Norisio producta: de Paulo autem Samosateno levis tantummodo adducitur conjectura, quod scilicet tradiderit Christum profectu virtutum promeruisse ut Deus diceretur. Verum an ad proficiendum in virtutibus Christus

præor-

præordinatione divina, & adjutorio aliquo superno indiguerit, non videtur Samosatensis differuisse. Sane vinculo aliquo, si omnia expendantur adamussim, hæreses omnes ad instar anguium colligantur: ac necessum est, ut Pelagiani, qui Christi gratiam, & originale peccatum, ad quod delendum Christus advenit, pervicacissime denegarunt, pessime quoque de Incarnatione Verbi sentirent. Sed aliud est errorum connexio, aliud damnatorum expressio dogmatum. Origenes quidem, quæ Pelagius evomuit, præludendo eructavit; nisi ut accidit in aliis multis, in Pelagianis quoque assertionibus reprehendendi sint Origenianorum Operum corruptores. Ex scriptis Origenis Rufinus, ex ore Rufini Pelagius venenum hausit. Persuasum nobis Rufinum illum esse Aquilejensem, adversarium Hieronymi, non vero ut post Garnerium putant quidam recentiorum, Rufinum alium, aut Palestinum, aut Syrum. Nam Aquilejensis ille est, quem sæpenumero, ac præsertim præfat. lib. 1. ac libro 3. & 4. in Hieremiam S. Hieronymus Pelagianæ *impeccantiæ* assertorem appellat, eum exagitans nomine *Grunnii*, quod Rufino imposuit alludens ad Grunnii Corocottæ Porcelli testamentum, exceptum olim in scholis cachinnis multoque risu a cirratis adolescentulis. Verum a Pelagio Scoto, seu Britone, Pelagiana hæresis nomen sumpsit. Pelagium fuisse monachum scribit Marius Mercator in Commonitorio. Fertur venisse Romam circa annum 384. ubi auditor fuit Rufini, qui anno 396. ut inquiunt Norisius, & Vossius, aut potius an. 398. cum Melania ex Ægypto redierat. Roma discedens in Siciliam Pelagius transmisit, & una cum Cœlestio aliquandiu moratus est Syracusis: Syracusis vero in Africam transfretavit, atque anno 412. Carthagine in Synodali congressu damnatus est Cęlestius quod negaret originale peccatum. Hinc Pelagius & Cœlestius abeuntes adierunt Palestinam, ubi fretus Joannis Hierosolymitani patrocinio Pelagius errores suos latius cæpit disseminare: quo tempore, anno vertente 413. S. Hieronymus rogatus a Ctesiphonte adversus Pelagianos stylum movit. Anno 415. accusatus in Synodo Diospolitana, & nonnulla accusationis capita damnans, ad alia callide respondens, anathema evasit. At Africani Episcopi sequenti anno 416. audito exitu Synodi Palestinæ, & causa penitius cognita, duobus Conciliis, quorum unum Carthagine, alterum Milevi in Numidia celebra-

bratum fuit, Pelagium damnarunt, datisque epistolis ad Innocentium Romanum Pontificem, ei Synodale judicium significarunt: qui pariter Africanorum Patrum judicium firmavit, & Pelagianam hæresim proscripsit. Eamdem anno 418. Zosimus Innocentii successor, & anno 214. plenaria Synodus CCXIV. Præsulum Africanorum iterum condemnaverunt. His adde reliqua in hæresim Pelagianam judicia, quæ lib. 14. Theolog. discipl. cap. 4. singillatim enumeravi. In pluribus Voluminibus Pelagius errores disseminavit. Scripsit autem Romæ ante adventum Rufini libros *de Trinitate*, in quibus denegavit originale peccatum, affirmans ad posteros illud transire dumtaxat imitatione, dedit quoque epistolas ad Paulinum, & ad Constantium, in quibus nullum aliud gratiæ adjutorium agnovit, præter voluntatis arbitrium, atque rationalis animæ facultatem. Librum etiam edidit consolatorium, & hortatorium *ad Viduam*; alium *de natura* librum, a Timaso & Jacobo delatum ad Africanos Episcopos: quatuor itidem libros *de libero arbitrio*, non semel ab Augustino commemoratos, quatuordecim libros *Expositionum* in Paulinas epistolas, opus εὐλογιῶν, sive *honestorum sermonum* pro actuali conversatione, de quibus Gennadius & Honorius Augustodunensis in Catalogo Scriptorum Eccl. præterea epistolam ad virginem *Demetriadem*, aliam ab iis, quæ Hieronymum, ac Prosperum habent auctores, tametsi & epistola illa Pelagii locum aliquando inter Hieronymianas obtinuit: demum Pelagius litteras cum *libello fidei* conscripsit ad S. Innocentium Romanæ Urbis Episcopum, ut colligimus ex Augustino libro *de Gratia Christi* cap. 30. Adhæserunt autem Pelagio Cœlestius & Julianus, de quibus alibi diximus. Cœlestius vero, cujus nomen aliquando confunditur cum nomine Cœlestini Romani Pontificis, tam splendide laudatur a Gennadio, ut illius libelli necessarii dicantur omnibus Deum desiderantibus. Apellatur etiam ab Augustino libro 2. contra duas epist. Pelag. *vir acerrimi ingenii*, a Hieronymo autem epist. ad Ctesiph. *magister*, *&* *ductor exercitus*. Quare Pelagiana hæresis etiam *Cœlestiana* dicta est. Julianum Baronius Atellæ natum putavit, Norisius autem Eclani: Vossius, & Hieronymus Vegnier Celanensem dixerunt, ducti testimonio Gelasii in cap. *S. Romana*, & Bedæ Præfat. in Cantica. A Prospero, & a Gennadio, a Provincia origine sumpta dicitur Campanus, at-

que

que ab Augustino genitus in Apulia. Parentem habuisse dicitur Memorium Episcopum Capuanum, cujus causa fuerat Augustino quoque acceptissimus, antequam Pelagianam hæresim summa pervicacia profiteretur. Habuit & Julianus uxorem *Jam* nomine, filiam Æmilii Episcopi Beneventani, ac viri Consularis, quamquam id revocent in dubium recentiorum Criticorum nonnulli; cecinitque in eorum nuptiis epithalamium Sanctus Nolensis Episcopus Paulinus. Fuit vero Julianus vir adeo excellentis facundiæ, ut vulgo alter Demosthenes haberetur, atque ob doctrinæ famam ad Episcopalem Eclani sedem promotus fuerit. Scripsit, ut Gennadius inquit, libros *quatuor* adversus Augustini primum *de Nuptiis & Concupisc.* & iterum libros *octo*, necnon epistolas duas, unam ad Zosimum, aliam ad Thessalonicensium Episcopum, atque librum *de amore*, & commentarium in Cantica, sese ostentans ut peritissimum rhetorem, ita gratiæ Dei, post Pelagium, acerrimum impugnatorem. Edidit Julianus librum etiam *de Constantia*, cujus fragmenta quædam recitat, refutatque in Cantica Venerabilis Beda. Episcopatu ob hæresim Pelagianam dejectus contulit se ad Nestorianos, egitque profugus vitam ærumnis & dedecore plenam. Vide quæ de Juliano, aliisque Pelagianis scripsimus libro XIV. Operis Theolog. Disciplin. Silentio enim missis rebus ab iisdem gestis, quænam fuerit Pelagii hæresis, quambrevissime attingam. Augustinus, quo nemo melius Pelagianorum errores novit atque oppugnavit, in libro de Hæres. hær. 88. ait Pelagianos credere, quod possit homo facere omnia divina mandata absque ea gratia, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum Dei, qua eruimur de potestate tenebrarum, & quæ diffunditur caritas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur. Ait deinde Augustinus, Pelagium a fratribus increpatum, quod nihil tribueret gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, ne ipsam gratiam libero arbitrio præponeret, infida calliditate tradidisse, eam ideo conferri hominibus, ut quæ per liberum arbitrium jubentur facere, facilius per gratiam valeant implere. Addidit S. Pater eosdem Pelagianos gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus, constituisse in solo libero arbitrio, nobis naturaliter indito absque ullis præcedentibus meritis: adjuvari dumtaxat ipsum liberum arbitrium, in Pelagianorum sententia, per legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere

debeamus, non vero per donum Spiritus Sancti, ut faciamus quæ facienda esse didicimus; ac idcirco divinitus nobis dari scientiam, quæ sine caritate inflat, non autem caritatem, qua pie vivitur: destrui ab iisdem Pelagianis orationes Ecclesiæ, quas fundimus, sive pro infidelibus ut convertantur, sive pro fidelibus, ut in his fides adaugeatur, sive pro justis ut iis perseverantia donetur: affirmari quod in hoc peregrinationis loco vita justorum nullum habeat peccatum, atque Christi Ecclesiam, quæ in hac mortali vita militat, ita in hoc sæculo perfici, ut sit omnino sine macula, & sine ruga: tradere, quod parvuli secundum Adam carnaliter nati contagium mortis antiquæ prima nativitate non contrahant, nec peccatum habeant aliquod, quod oporteat secunda nativitate dimitti: quod propterea baptizentur, ut regeneratione adoptati admittantur in regnum, non ut ista renovatione ab aliquo reatu solvantur: quod, etsi non baptizentur, adepturi sint æternam quamdam, beatamque vitam, a regno tamen cœlorum distinctam; & quod Adam quoque, etiamsi non peccasset, non merito culpæ, sed conditione naturæ fuisset corpore moriturus. Atque hæc sunt præcipua dogmata Pelagianorum citato in loco narrata, quamvis nonnulla alia sint, quæ ab istis promanant, & facile his intellectis ab unoquoque discerni possunt. Porro articuli, de quibus Pelagius accusatus fuit in Synodo Palestina, sunt numero duodecim, & enumerantur ab ipsomet Augustino epistola 186. alias 106. ad Paulinum; iisdemque articulis S. Pater duodecim alios opponit Catholica fide tenendos, quos in Canones redegit Cresconius. Verum duodecim illi articuli Pelagianorum nil comprehendunt, quod nequeat ad errores paulo antea recensitos facillime revocari. Postquam ergo de Pelagianæ hæresis auctoribus & dogmatis attigimus, quæ sufficere possunt huic historicæ narrationi; operæ pretium est, ut de libris Augustini contra eamdem hæresim editis dicere instituamus.

CAPUT LIX.

Recensentur S. P. Augustini scripta adversus hæreticos Pelagianos.

PRiusquam itaque Pelagianorum errores divulgarentur, plura libris a se conscriptis Sanctissimus, atque invictissimus Gra-

Gratiæ Propugnator Augustinus inseruerat, quibus iidem errores præfocarentur, ut in libris de libero arbitrio, de duabus animabus, in Quæstionibus ad Simplicianum, & in quibusdam sermonibus, in quibus supernaturalis Gratiæ auxilium frequentissime commendatur. Sunt autem hi sermones in postremis editionibus 174. 175. & 176. Irrumpente autem pestilentissima Pelagianorum hæresi, anno reparatæ salutis 412. scripsit Augustinus ad Fl. Marcellinum V.Cl. libros tres *de Peccatorum meritis & remissione*, qui commemorantur in 2. Retract. cap. 28. atque inter Opera adversus Pelagianos edita principem tenent locum. Ad hoc opus edendum Augustinus inquit se fuisse necessitate coactum; nam cum primum studuisset novorum dogmatum assertores collocutionibus ac sermonibus ad frugem revocare; Marcellinus, qui jussu Honorii transacto anno præfuerat Collationi Carthaginensi Catholicorum & Donatistarum, ægre ferens molestissimas disputationes nuper a Pelagianis motas circa Adami prævaricationem, & consecutam inde mortem damnationemque hominum universorum, atque circa parvulorum baptisma, quæstiones huc pertinentes ad Augustinum solvendas direxit, cujus doctrinam ingeniumque prope divinum & noverat, & in collatione illa, quam paulo antea commemoravi, magnopere miratus fuerat. Diluuntur itaque eædem quæstiones in his tribus libris, quorum primus capita 39. alter 36. ac tertius 13. tantum complectitur. In primo demonstrat Adamum, nisi peccasset, minime futurum fuisse morti obnoxium, quamvis haberet animale & mortale corpus; huic ante peccatum inhæsisse putans habitudinem quamdam, ne senectute marcesceret, quali nunc affecta creduntur corpora Eliæ, & Henoch in Paradisum translata. Mortem in mundum ingressam ait propter peccatum, quod propagatione naturæ, non autem sola imitatione pertransit in Adæ posteros; quum illo inficiantur & parvuli, nunquam prævaricationem protoparentis actuali transgressione imitati. Declarat quomodo omnes homines constituantur peccatores per Adam, & quomodo justificentur per Christum: ac refellit eos, qui negant baptizari infantes, ut in eis deleatur originale peccatum. Refutat commentitium Pelagianorum discrimen inter Regnum Cælorum, & Vitam æternam; pluribusque argumentis demonstrat, puerulos nondum baptismate regeneratos, non æternam

vitam consecuturos, sed futuros in tenebris, atque in eadem damnatione cum diabolo; in cujus familia eosdem parvulos non baptizatos comprehendi evincit etiam ex baptismo, hujusque ritu, ac præsertim ex præmittendo exorcismo. Secundus liber pertractat de concupiscentia ad peccatum alliciente, quæ licet in baptismo a reatu solvatur, ad agonem tamen relinquitur: unde ne in peccata labamur, neque avertamur a Deo, implorandum nobis est illius gratiæ adjutorium. Absque eo neminem posse vivere sine peccato demonstrat; imo ait, nec justos in hac vita carere omni peccato, atque adoptionem plenam filiorum futuram in redemptione corporis nostri: nec Jobum, Zachariam, Elisabeth, aliosque justos omni caruisse peccato, nec Paulum accepisse in hac vita plenitudinem illam justitiæ, quam adipisci desiderabat. Reddit ad hæc rationem, cur homo nullus in hac vita sit prorsus absque peccato; atque id ex duplici causa repetit, nimirum ex ignorantia, & infirmitate, propterea quod nolint homines facere quod justum est, vel quia latet an justum sit, vel quia non delectat. Hinc progreditur ad ostendendum, per gratiam Salvatoris nobis cognitionem, ac delectationem boni, & quidem cognitionem certam, & delectationem victricem inspirari, & utrumque a nobis peti, quando adjutorium Dei deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam. Attingit post alia complura etiam quæstionem illam, an anima sit ex traduce, nil tamen definiendo, neque in partem alteram declinando. Tertius liber versatur in solvendis objectionibus Pelagii, hujusque fallacibus epistolarum Paulinarum interpretamentis: demonstrat etiam consensione veterum Patrum, inter quos laudat singillatim, producitque verba Cypriani & Hieronymi, originale peccatum infantium: explicat quomodo hoc peccatum sit illis proprium, quia in natura Adæ omnes fuimus unus homo, & quidquid erat in futura propagine vita unius hominis continebat; & quomodo dici possit alienum, quatenus gignendi posteri nondum vitam propriam agebant: declarat quo pacto filii baptizatorum peccatum contrahant, adhibita quoque præputii circumcisorum, & paleæ frumenti comparatione: impetit argumento, quod dicunt *ad Hominem*, Pelagianos ex quo cum anima non sit, ut illi opponebant, ex traduce, recens creata, & ab omni delicto in sententia Pelagianorum immunis, pœnas

luat,

luat, & ſubjiciatur diverſis cruciatibus, & quod eſt horribilius, etiam dæmonum incurſionibus. Hortatur demum adultos, ut parvulis, qui Chriſti gratiam per ſeipſos flagitare non poſſunt, hanc baptiſmo collato ſollicite dare non negligant. Atque hinc vides, in hoc uno Opere omnia Pelagiana dogmata radicitus evelli, atque exſtirpari, tametſi Auguſtinus eadem aliis plurimis, & loculentiſſimis Scriptis, quæ mox enumerabo, convulſerit, & contriverit. In eodem autem Opere S. Pater reticet blaſphemiarum, quas refellit, auctores; ac Pelagium, quoniam ejus vita a multis prædicabatur, honorifice nominat, quaſi ab aliis dicerentur, quæ idem Pelagius tunc nimia calliditate tradiderat, ac poſtea pertinaciſſima animoſitate defendit. Sub finem ejuſdem anni 412. ſcripſit Auguſtinus librum *de Spiritu & littera* ad eumdem Marcellinum Tribunum, ut legitur 2. Retract. cap. 37. Marcellino quippe, cum in præcedenti Opere legiſſet hominem divina gratia adjuvante poſſe in hac mortali vita eſſe ſine peccato, quamvis nemo, ſi Chriſtum Dominum excipiamus, ad hanc perfectionem pertigerit, mirum id videbatur, cujus deeſſet exemplum. Quamobrem S. Pater hoc libro in 36. capita diſtributo arripuit occaſionem diſputandi adverſus Pelagianos de Gratiæ neceſſitate. Poſtquam ergo ait errorem negantium eamdem neceſſitatem acerrime ac toto niſu eſſe confutandum, docet Chriſti gratiam non eſſe liberum arbitrium, nec legis doctrinam, ſed donum Spiritus Sancti, quo fit in animo delectatio ſummi & incommutabilis boni; & abſque eadem gratia per legem abundare delictum, ipſam vero gratiam in omnes gentes diffundi, ne Judæi de lege ſibi data ſupra homines reliquos extollantur. Demonſtrat ſubinde homines non per legem, ſed gratis juſtificari, de novæ veteriſque legis diſcrimine fuſe pertractans. Exiſtimat Apoſtolo nomen *Pauli* congruere, quod parvum ſe ac minimum, contra ac faciant ſuperbi, humillime nuncupaverit, eumdemque Apoſtolum non ſemel appellat conſtantiſſimum Gratiæ prædicatorem. Putat Spiritum Sanctum dici in Evangelio Lucæ 11. 20. *digitum Dei*, quia per ipſum ſanctificamur, atque in tabulis cordis recipimus novam legem, propterea quod & tabulæ legis antiquæ digito Dei fuerint conſcriptæ, idemque ſpatium quinquaginta dierum, quod fluxit a mactatione agni typici ad legis conſcriptionem, computetur

ab

ab occiſione & reſurrectione Chriſti uſque ad Spiritus Sancti adventum. Oſtendit gratiam novi Teſtamenti a Jeremia praenuntiatam fuiſſe, atque ab eadem gratia voluntatem credendi, fidem, bona opera, omnemque juſtitiam manare. Exponit denique, cur in hac vita non inveniatur plena, ac perfecta juſtitia. Spirat totum hoc Opus doctrinam Apoſtoli, hujuſque verba quamplurima interpretatur. Eodem anno 412. dedit Auguſtinus epiſtolam 149. alias 120. *ad Honoratum*, quam in 2. Retract. cap. 36. appellat librum. Revera epiſtolæ excedit limites, atque in ſolvendis quæſtionibus quinque ab Honorato propoſitis exſpatiatur. Adverſus tamen Pelagianos faciunt, quæ habentur in quæſtione ſexta, illis quinque ab Auguſtino ſuperaddita, in qua de Gratia novi Teſtamenti diſſeritur, ad inflammandum, ut arbitror, animum Honorati adhuc Catechumeni, ut vehementius amplecteretur baptiſmi gratiam: id, quod Honoratus præſtitit, ad presbyteri munus poſtea evectus; uude opus iſtud a Caſſiodoro lib. de div. lect. cap. 16. ſcriptum dicitur *ad Honoratum Presbyterum*, nempe ad Honoratum, qui poſtmodum factus eſt presbyter. Sequenti anno 413. habuit Auguſtinus Carthagine in feſto Præcurſoris ſermonem 293. ſeu 14. *de Verbis Apoſtoli*, in quo egit adverſus Pelagianos de Baptiſmo parvulorum; quumque uno illo ſermone ob ejus prolixitatem non omnia explicata fuiſſent, quæ opportuna videbantur ad revincendos nonnullos, qui paſſi fuerant perſuaderi ſibi Pelagianum dogma, circa peccatum originale; hortante Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi rurſus concionatus eſt in feſto S. Martyris Guddentis, quod celebrabatur quinto Kalendas Julias, in Baſilica, quam alii Majorem, alii Majorini dictam voluerunt. In hoc itaque ſermone, qui nunc eſt 294. tractandam rurſus ſuſcepit quæſtionem de parvulorum baptiſmo, refutavitque Pelagianum commentum de vita æterna infantium, qui non regenerati decedunt, diſtincta a Pelagianis, ut ſupra diximus, a regno cœlorum, quod baptizati tantummodo conſequuntur. Scripſit quoque eodem anno 413. epiſtolam 145. alias 144. ad *Anaſtaſium*, atque Epiſtolam 149. olim 59. *ad Paulinum:* in quarum prima de juſtitia per gratiam obtinenda, & in altera de Prædeſtinatione electorum diſputavit, refutatis Pelagianorum dogmatibus. Subortis circa annum 414. in Sicilia nonnullis circa Pelagianam doctrinam quæſtioni-

nibus, atque de his ab Hilario Siracusis commorante certior factus, edidit Augustinus librum, sive epistolam 89. nunc 157. qua demonstrat non sufficere ad implenda divina præcepta liberum voluntatis arbitrium, nec solam legis doctrinam, plura subjiciens de terrenis facultatibus abdicandis, quas & a se, juxta monitum Evangelicum Mat. 19. 21. dimissas fuisse testatur. Ipsam vero *ad Hilarium* Epistolam, seu potius librum, perlectam anno 415. in Synodo Palestina, & Orosius in Apologetico, & ipse Augustiuus de Gestis Pelagii cap. 11. asseruerunt. Quare ad præcedentem annum 414. memoratum Opusculum referendum esse videtur. Atque hoc ipso anno 414. exaratum librum *de Perfectione justitiæ*, quem tamen multi editum censent labente anno sequenti, putat vir insigniter eruditus Garnerius. Hic liber commemoratur a Prospero adversus Collat. cap. 43. sub hoc titulo, *Ad Paulum & Eutropium Sacerdotes contra Pelagii & Cælestii quæstiones*; sed nulla de eo habetur mentio in libris Retractationum, eo quod pertineat ad seriem epistolarum. Eliduntur hoc in libro ratiocinationes, quibus Pelagiani suadere nitebantur posse hominem esse sine peccato; ac demonstratur illos inani opera Scripturas eludere, quibus contrarium evidentissime asseritur. Deinde Augustinus scripsit eodem anno epistolas 156. & 157. *ad Hieronymum*, quibus agit de animarum origine, de propagatione peccati, atque de Perfectione virtutis. Interea temporis Timasius & Jacobus honestissimi adolescentes, qui exhortatione Pelagii relinquentes spem omnem, quam habebant in sæculo, Deo serviebant, miserunt ad Augustinum librum Pelagii *de Natura*, quem statim S. Pater refutavit altero, quem inscripsit, *de Natura & Gratia*, circa eumdem annum 415. conscripto. Quemadmodum vero Pelagius adversus Gratiam Christi extollere, quantum potuit, argumentationibus studuit naturæ vires; ita Augustinus sedulam navavit operam in demonstrando naturam, quæ sana condita fuit, peccato corruptam indigere gratiæ subministratione, quomodo accepto vulnere indiget medico: cujus rei causa advenit Christus, non tantum ut illius doctrina discamus quemadmodum vivere debeamus, sed etiam ut ejus gratia adjuvemur ad bene sancteque vivendum. Perlecto autem hoc libro, optimi illi adolescentes Jacobus ac Timasius calliditatem Pelagii in gratia supprimenda agnoverunt, atque

ſe Catholica veritate ab Auguſtino imbutos eſſe magnopere gaudentes, eidem per litteras gratias maximas reddidere. Legito Epiſtolam inter Auguſtinianas 168. Scripſit S. Pater anno proxime ſequenti 416. epiſtolas 179. 193. & 178. *ad Joannem Hieroſolymitanum*, *ad Mercatorem*, & *ad Hilarium Narbonenſem*. Eæ ſunt in Veteribus editionibus 252. (ſecunda deſideratur) & 94. Dedit quoque eodem anno cum aliis Epiſcopis *ad Innocentium Pontificem Maximum* epiſtolas 175. & 176. alias 90. & 92. quibus geſta narrantur in duabus Synodis Carthaginenſi, & Milevitana, celebratis adverſus hæreſim Pelagianam. Edidit Auguſtinus ineunte anno 417. librum *de Geſtis Pelagii*, in quo pertractat de Synodo Paleſtina, de calliditate, qua Pelagius evaſit anathema, & de quadam defenſionis *Chartula*, quam idem hæreticus miſerat ad Auguſtinum. Eodem anno cum ad ejus aures perveniſſet, quoſdam Pelagianis addictos Nolæ in Campania morari, litteras dedit *ad Paulinum* ipſius urbis Epiſcopum, quæ ſunt n. 186. olim 106. Harum meminit S. Pater in libro *de Dono perſeverantiæ* cap. 21. ac S. Proſper adverſus Collatorem cap. 43. Illas tamen ad Paulinum litteras Jo: Garnerius rejiciendas putat ad annum proximum 418. quo itidem Pelagianos Sanctus Doctor pluribus exagitavit. Enimvero, ut brevitatis cauſa prætermittam Auguſtini epiſtolas ad *Julianam* matrem Demetriadis, *ad Dardanum*, ad *Optatum*, ad *Sixtum*, vertente prædicto anno 418. edidit duos libros unum *de Gratia Chriſti*, alterum *de Peccato Originali*: in quibus fuſe pertractat de adjutorio poſſibilitatis & operationis, de peccato Adæ, ejuſque in poſteros transfuſione, de concupiſcentia, de nuptiis, atque de effectu baptiſmatis. Utrumque autem librum miſit Jeroſolymam ad Albinam, ejus generum Pinianum, hujuſque conjungem Melaniam, ad quam Pelagium quoque ſcripſiſſe arbiratur in *Apparatu* ſuo Poſſevinus. Duorum vero librorum, quos laudavimus, meminit Sanctus Pater 2. Retract. cap. 50. Fætus eſt ejuſdem anni labentis liber primus *de Nuptiis*, & *Concupiſcentia* ad perilluſtrem virum Valerium Comitem: in cujus manus pervenerant quædam Pelagianorum Opuſcula quibus docebatur, Catholicos aſſerendo peccatum originale damnare nuptias: ideoque Auguſtinus ſtuduit calumniam iſtam contundere edito hoc libro, in quo luculenter pertractat de bono nuptiarum & de con-

concupiſcentia, ac pudore. Damnata jam hæreſi Pelagiana Concilio Africæ univerſali: litteras Zoſimi Papæ, atque Honorii Imperatoris edicto, Julianus *Cui erat ingenium rapido ferventius amne*, haud æquo animo ferens ſic jacere Pelagianorum miſerrimam deterrimamque cauſam, in hujus defenſionem ſeſe audacter armavit. Scripſit itaque duas epiſtolas, quibus per ora hominum traducebat Zoſimum, & Clerum Romanum, atque omni malitiæ conatu aggreſſus eſt prælaudatum Auguſtini librum *De Nuptiis & concupiſcentia*. Auguſtinus vero, poſteaquam ſub finem anni 419. ediderat libros quatuor *de Anima & ejus origine*, quibus Manichæi & Pelagiani pariter refutantur, applicuit animum ad refellenda excerpta quædam ex quatuor libris Juliani ad ſe delata ab Alipio, cui decerpta illa miſerat Ravenna Valerius Comes, necnon ad oppugnandas duas Pelagianorum epiſtolas, ſibi itidem per Alipium miſſas a Bonifacio Zoſimi ſucceſſore. Itaque anno 420. S. Auguſtinus conſcripſit ſecundum librum *de Nuptiis & concupiſcentia*, confirmans adverſus cavillationes Juliani quæ in priori libro docuerat de peccato originali, de pœnis, quæ illud conſequuntur, de bono nuptiarum, & de gratia regenerationis per baptiſmum collata. Scripſit etiam libros quatuor *ad Bonifacium contra duas epiſtolas Pelagianorum*, horumque calumnias omnes, & criminationes in Catholicos, contortas Scripturarum interpretationes, miſerrima effugia, omniaque momenta refellit. Dedit eodem anno epiſtolam 217. alias 117. *ad Vitalem Carthaginenſem*, in qua oſtendit initium fidei eſſe donum gratiæ; ſtatuitque duodecim regulas pertinentes ad Fidem, adverſus totidem errorum capita a Pelagianis propugnata. Anno autem 421. non tantum S. Pater edidit *Enchiridium ad Laurentium*, ac Reſponſa *ad Quæſtiones Dulcitii*, ſed etiam elaborato Opere refutavit Julianum, quum eo temporis ad ejus manus quatuor perveniſſent Juliani libri, quorum antea *excerpta* ſola acceperat ab Alipio. Dividitur præclarum illud *contra Julianum* Opus in ſex libros: in quorum tribus prioribus Auguſtinus expendit ac dirimit quidquid in primo ſuo libro poſuerat Julianus: quartus autem, quintus, & ſextus Auguſtini, ſecundo, tertio, & quarto Juliani libris reſpondent. Horum *contra Julianum* librorum hæc ſumma eſt. In primo libro retundit notam Manichæiſmi, quam Julianus impingebat Catholicis aſſe-

rentibus originale peccatum, quod neque a S. Joanne Chryfoftomo, neque ab Ambrofio, neque a Hieronymo negatum fuiffe demonftrat. Profequitur idem argumentum liber fecundus, quo auctoritate ac fententiis aliorum Sanctorum fubvertuntur Pelagianorum machinamenta. Demonftratur in tertio nuptias bonas effe, & recte inftitutas; at malam effe libidinem five concupifcentiam, non ex fubftantia aliqua mala, fed ex Adæ prævaricatione traductam. Agitur in quarto de virtutibus infidelium, quas veras non effe definit; pluraque de Gratia, atque de voluntate divina falvandi omnes eodem in libro traduntur. De peccato originali, propter quod imagines Dei, fi intereant abfque regenerationis lavacro, a regno cælorum excluduntur, differitur in quinto libro; ibique de pudore nuditatis; de peccato quod eft pœna peccati, de maffa perditionis, ex qua alii per Dei mifericordiam fiunt vafa honoris, alii autem vafa iræ, atque de conjugio, quod etiam fine concubitu effe poteft, ut fuit matrimonium Beatiffimæ Virginis cum Jofeph, accurate diligenterque tractatur. In fexto tandem libro evincitur hominem nafci cum peccato ex parvulorum baptifmo: exemplo oleaftri pullulantis ex oliva explicatur quomodo filii peccatores nafcantur ex parentibus regeneratis: declaratur quomodo originale peccatum dicendum fit voluntarium in primis parentibus, noftrum vero propriumque contagione propaginis: docetur quommodo concupifcentia maneat actu, prætereatque reatu: atque Apoftoli & Ezechielis quædam fententiæ, quibus Pelagiani abutebantur, juxta fidem Catholicam exponuntur. Hæc autem præcipua funt eorum, quæ continentur in fex libris contra Julianum editis, ut diximus paulo fupra, anno 421. tametfi Joannes Fabricius in Biblioth. aliique nonnulli fcriptos putent anno 424. Novimus utique confcriptos fuiffe poft libros quatuor *ad Bonifacium*, & poft mortem S. Hieronymi, quem certum eft exceffiffe anno 420. pridie Kalendas Octobris; fed cur ad annum 424. fint diftrahendi, nondum invenimus. Sequuti itaque fumus in anno confignando recentiorum Criticorum judicia. Ceterum, ut ad Julianum revertatur oratio, is contra fex Auguftini libros, intentis omnibus facundiæ ac pervicaciæ fuæ nervis, octo alios compofuit, quos ad gloriofiffimum invictiffimumque Adverfarium fuum perveniffe, cum jam ifte ad vitæ exi-

exitum appropinquaret, inde colligimus, quod sanctissimus Doctor obiit necdum tota librorum Juliani refutatione perfecta. Hujus enim postremi contra Julianum Operis sex tantum habentur libri, duo autem desiderantur: quare & *Opus imperfectum* sex horum librorum volumen inscribi solet. Subjiciuntur in iisdem libris Juliani dicteriis & cavillationibus responsa Augustini gravissima: argumentum vero, de quo controvertitur, idem est ac præcedentium librorum, spectans scilicet ad propagationem originalis peccati, hujusque effectus, atque ad gratiam Reparatoris. Hæc tam multa, ac tam varia demonstrant quantum pro Gratia Christi adversus Pelagianos fortissimus Fidei athleta certaverit; & quantum adlaboraverit, ut callidus hostis quocunque gradum converteret, nullum aditum reperiret. Atque ut de Gratiæ hostibus Augustinus omnimode triumpharet, etiam adversus Semipelagianos stylum exercuit: de quorum erroribus nonnulla inpræsentiarum narrabimus.

CAPUT LX.

Semipelagianæ hæresis brevissima descriptio.

ITaque Semipelagianorum hæresis in hoc sita est, quod a nobis absque ullo gratiæ adjutorio per solam liberi arbitrii facultatem, ac tantum legis doctrina, sive revelatione, sive prædicatione Evangelii præmissa, statuat aliquod justitiæ ac salutis initium, bonam scilicet voluntatem credendi; ex hujus autem bonæ voluntatis merito afferat gratiam primum, deinde gratia bene utentibus gloriam conferri. Hinc Semipelagiani nullam aliam prædestinationem deprædicarunt, nisi ex operum præscientia, in parvulis quoque regeneratis & immatura morte abreptis: in quibus, quum nulla bona opera adinvenirent, præelectos illos esse autumabant ex præscientia operum, quæ facturi essent si pervenissent ad ætatem adultam, usumque rationis. Quare prædestinationem secundum Dei propositum, nec pendentem a meritorum prænotione, tanquam humanæ libertati exitiosam, acriter oppugnabant. Negabant quoque perseverantiam hominum lapsorum esse specialem Dei gratiam; atque ægre ferebant gratiarum auxilia ita dividi, ut

Angelis & primo homini collatum fuerit adjutorium, quo daretur tantummodo *posse*, nunc vero per Christum tribuatur adjutorium aliud robustius, quod in nobis perficiat posse, & *velle* operetur. Rejiciebant expositiones Augustini circa textus Apostolicos de gratia & prædestinatione, tanquam doctrinæ antiquorum Patrum adversantes; objiciebantque Augustinianæ sententiæ propugnatoribus absurdissima consectaria, & prodigiosa quædam mendacia; quasi hi docerent periisse post Adæ lapsum libertatem humanam, impios ad peccandum compelli, nolle Deum salutem hominum universorum, nec Christum pro omnibus & singulis redimendis lytrum solvisse. Quidam tamen Semipelagianorum ab istiusmodi criminationibus abstinentes, sese in præmissis tantum capitibus de bonæ voluntatis initio, & de prædefinitionibus & præscientia continebant; aliis etiam in parte humani generis primam bonæ voluntatis inspirationem fatentibus, in parte alia negantibus; & quibusdam asserentibus, Augustinianam de Prædestinatione ac de dono perseverantiæ sententiam, ut ut vera esse posset, non esse in ore vulgi prædicandam, ne inde infirmiores occasionem desperandi & indulgendi vitiis desumant. Atque hæc fuisse Semipelagianorum asserta, ex epistolis Hilarii & Prosperi ad Augustinum, ex ejusdem Prosperi opere adversus Collatorem, aliisque opusculis, apertissimum manifestissimumque esse credo. Quinam vero fuerint Semipelagianorum errorum primi assertores, dicturus sum modo. Theologi quidam illis prælusisse dixerunt S. Joannem Chrysostomum, aliosque Patres; quorum in suis ad Populum exhortationibus solet esse frequentissimum illud monitum, affuturum nobis Deum ope gratiæ suæ, si quod nostrum est, exequamur. Verum quum ista ad redarguendum torporem & negligentiam hominum, non ad tollendam prævenientem gratiam dicta sint; videtur nobis judicium illud levi ex causa, ac temere pronuntiatum. Ante exortam nihilominus Pelagianam hæresim fuisse aliquos haud satis accurate gratiam illam explicantes, aut occasione oppugnandi Manichæos, ceterosque ineluctabilis fati assertores, libertatem voluntatis humanæ absque latentis consilii Dei commendatione extollentes, facile mihimet persuadeo. Nam & Augustinum nondum Episcopum in eo, quod spectat ad salutis initium, declinasse ad Semipelagianorum sententiam, ipse fatetur tertio

capi-

capite libri de Prædeſtinatione Sanctorum. Quare iidem Semipelagiani ſcripta S. Patris ante Epiſcopatum edita magnopere commendabant, neglectis, contemptiſque poſterioribus. Diſſidia circa annum 426. exorta apud Monachos Adrumetinos, quorum aliqui ita defendebant liberum arbitrium, ut negarent Dei gratiam, & aſſerebant impios non eſſe corripiendos, ſi verum ſit a gratia, non omnibus communi, præveniri hominum voluntatem, fuerunt velut primi rumores Semipelagianæ factionis; etſi motus illos a Prædeſtinatianis excitatos ſcribant nonnulli. Verum cœpit in ſectam coaleſcere Semipelagianiſmus circa annum 428. quando in Gallias delato S. P. Auguſtini libro *de Correptione, & gratia* ad prælaudatos Monachos Adrumeti, auſi ſunt: Maſſilienſes Presbyteri, & Monachi quidam Lirinenſes, inter quos aliqui ſcientia & ſanctitate conſpicui, Auguſtinianam doctrinam falſitatis arguere, & ſcita Semipelagiana, quæ ſuperius recenſuimus, evomere. Horum principes fuiſſe dicuntur Caſſianus, Fauſtus Rejenſis, Gennadius, & plurium ſententia, ſancti quoque Viri Vincentius Lirinenſis, & Hilarius Arelatenſis: quod nullatenus horum ſanctitatem evertit; quum nondum Pelagianorum aſſerta eſſent expreſſe damnata; quemadmodum damnata fuerunt anno 529. ſedente Felice IV. in ſecunda Synodo Arauxicana, quam ſequenti anno 430. confirmavit Bonifacius Secundus. Jam vero commemoranda ſunt quæ contra Semipelagianos edidit Auguſtinus.

CAPUT LXI.

Quæ S. P. Auguſtinus contra Semipelagianorum errores elucubravit.

AD refellendos itaque Semipelagianorum errores faciunt primo univerſa Auguſtini ſcripta adverſus Pelagianos, ſuperiori num. 59. recenſita. Quum enim in iis demonſtretur nil boni a corrupta voluntate procedere, niſi auxiliante omnipotenti Bono, & ne quis glorietur, ſecundum Dei propoſitum ſtatuatur electio; eliminatur neceſſaria conſecutione opinio conſtituens in naturali facultate ſemina illa, ac primordia virtutum, quibus divina gratia ſe ingerat, ut ea perducat ad incre-

crementum. Sed peculiaribus quoque scriptis Gratiæ Pugil Semipelagianismum confixit. Nam audita dissensione Monachorum Adrumetinorum, quam duo ex illa congregatione retulerunt, Cresconius, & Felix, dedit S. Pater epistolam 46. nunc 214. ad Valentinum, ceterosque monasterii illius fratres in qua explicat litteras suas prolixiores ad Sixtum num. 105. nunc 194. eosque hortatur, ut neque liberum arbitrium negent, neque huic tantum virium attribuant, ut sine prævenientis gratiæ adjutorio valeat aliquid boni agere. Urget vero potissimum in hac epistola verba Domini Joan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*, & Apostoli 1. ad Corint. 47. *Quis enim te discernit?* necnon Psalmi 58. 11. *Deus meus, misericordia ejus præveniet me*. Ex num. 5. ejusdem epistolæ colligimus fuisse scriptam ante Pascha, cum Felix & Cresconius reditum festinare cogitarent, ut Pascha agerent in monasterio. De anno autem num 426. num 427. sit data, incertum prorsus. Paulo post laudatam epistolam edidit S. Pater librum *de Gratia, & libero arbitrio*, quem librum ad Valentinum, ejusque Monachos item direxit, sollicitus ut omnes præciderentur errores, zizaniis, quæ ibidem germinabant, evulsis. Probat eo in libro Augustinus a 2. ad. 4. caput dari in nobis libertatem arbitrii, veritus ne quidam ita Dei gratiam defenderent, ut everterent libertatem; duo quippe Monachi, qui ad ipsum venerant, juvenes, atque imperiti, confuse dissidiorum caussam narraverant; & Florum etiam confratrem suum catholicum gratiæ assertorem, tanquam libertatis hostem falso, atque immerito, sive ignari, sive invidi apud Augustinum traduxerant. At a 4. capite ad 24. & ultimum, totus est in defendenda gratia, & Pelagianam sententiam oppugnat: ait Pelagianos asserere solam gratiam *remissionis peccatorum* non dari secundum merita: ostendit fidem esse gratiæ donum: explicat quomodo vita æterna sit gratia simul & merces; agit de gratia operante, & cooperante: docet Deum inclinare voluntates hominum quocumque voluerit: evincit gratiam non pendere a meritis, parvulorum exemplo; atque ad occulta Dei judicia revocat quod unus adsumatur, alter derelinquatur. Huic libro addidit S. P. epistolam 47. nunc 215. qua Valentino significat, detinuisse aliquandiu apud se Felicem & Cresconium, & Monachum alium Felicem pariter dictum, *ut instructiores re-*

dirent

dirent adversus novos hæreticos Pelagianos, atque hac de causa Hyppone-regio secum egisse Pascha, ac serius, quam putabant, rediisse Adrumetum. Quoniam vero Augustinus acceperat, quemdam in eodem monasterio Adrumeti dixisse, *neminem corripiendum si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum*; scripsit eodem anno, Paschate jam transacto, ad Valentinum ejusque Monachos librum *De Correptione & Gratia*, ultimum omnium, qui in libris Retractationum commemorantur. Præmissa hoc in libro, & in compendium redacta doctrina Gratiæ, agitur de correptionis utilitate; eamque salubrem esse dicit, quando respicit supernus Medicus. Deinde ostendit, quomodo juste corripiamur, etsi perseverandi donum nobis negetur; quoniam qui non acceperunt perseverantiam, non sunt ab illa consperſione discreti, quam constat esse damnatam, propter quod serviendum est Domino cum timore, & in iis, qui liberantur, misericordia, in iis autem, qui deseruntur, judicium est agnoscendum. Pertransit deinde ad explicandum descrimen inter gratiam collatam Adamo, & inter illam, quam implorant in hoc certamine laborantes, traditque varias interpretationes Apostolici textus 1. ad Tim. 2. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Per idem tempus data quoque est epist. 107. nunc. 217. *ad Vitalem*, in qua, ut diximus n. 59. comprehenduntur cap. 5. num. 16. duodecim definitiones certa fide tenendæ, & Pelagianis assertis oppositæ: sed præter definitiones illas, demonstrat S. P. Augustinus initium fidei esse donum Dei ex precibus Ecclesiæ, atque ex testimoniis Scripturæ, de libero arbitrio, & de Gratiæ Natura atque energia plura subjiciens. Ab Hilario demum & a Prospero commonefactus de Massiliensium erroribus, edidit S. Pater anno 428. aut 429. duos libros *de Prædestinatione Sanctorum*, quorum secundus proprio quoque nomine inscribitur, *De dono perseverantiæ*. In libro de Prædest. SS. producto Massiliensium a Pelagianis discrimine, demonstrat etiam fidei initium esse donum Dei: fidem ipsam perspicue delineat: suum olim circa illam errorem fatetur; quærit cur fidei donum non omnibus detur: animadvertit se in epistola 102. sive in Opusculo, *De tempore Christianæ religionis* n. 14. ubi ait, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse*

se

ſe qui in eum fuerant credituri, locutum fuiſſe ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum: explicat prædeſtinationis & præſcientiæ diſcrimen: prædeſtinationem & gratiam in parvulis apparere demonſtrat, ejuſque præclariſſimum lumen eſſe docet ipſum Salvatorem, & Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum: duplicem Dei vocationem ſecernit; refutatque Pelagianorum pariter & Semipelagianorum de prædeſtinatione ſententiam. In libro autem *de dono perſeverantiæ* hanc peti a Deo in omnibus petitionibus orationis Dominicæ commonſtrat in primis quinque capitibus etiam auctoritate beatiſſimi Martyris Cypriani. Agit in quatuor proximis de ipſa perſeverantia; & inquirit cur in hac vita prædeſtinati ac reprobi inveniantur permixti. In eo, quod conſequitur, capite explicat verſiculum Lucæ, 10. 13. *Væ tibi Chorozaim*, *&c.* De quo garrire ſolent nonnulli Scholaſtici. Reliqua ſpectant ad intelligentiam verborum Apoſtoli Rom. *9*. 1*6*. *Non volentis*, *neque currentis*, *&c.* ad cauſam parvulorum, atque ad quæſtionem illam, quam præced. num. diximus motam a Semipelagianorum nonnullis, an prædeſtinationis doctrina ſit populis prædicanda; qua in re adhibendæ cautelæ, omnino concionatoribus ſervandæ, abſque ullo veritatis præjudicio afferuntur. Ex his autem adverſus Pelagianos, & Semipelagianos Operibus, in commodum eorum, qui Theologicis ſtudiis navant operam, quædam ſeparatim in minoribus voluminibus procuſa fuerunt cum titulo, Opuſcula contra Pelagianos. In publicam vero lucem prodierunt Venetiis an. 1543. an. 1545. anno 1547. & anno 1585. Lovanii anno 1647. Romæ 1652. & Bruxellis 1656. Eadem Opuſcula in Gallicam linguam tranſlata typis Pariſienſibus edita ſunt anno 1683. necnon in linguam Italicam typis Venetis anno 1547. Liber de Geſtis Pelagii a ceteris ſegregatus adinvenitur in lucem emiſſus (annus e memoriola noſtra evanuit) Auguſtæ Vindelicorum. Horum operum narratione conſtat, quanta æquitate S. Poſſidius in Vita Auguſtini cap. 18. S. Proſper adverſus Collatorem, & in Carmine *de Ingratis*, & qui ſubſecuti ſunt Patres, atque Scriptores tradiderint, ab Auguſtino ceteriſque Africanis Præſulibus, quorum ille *dux ingeniumque erat*, accedente Apoſtolicæ Sedis vigore, hæreſim Pelagianorum fuiſſe extinctam & profligatam, ejuſdemque hæreſis præciſa germina, ac Reliquias diſperſas.

ſperſas. Interim Auguſtinianis libris adverſus hæreſes editis coronidem ponat liber ad Quodvultdeum, in quo de iiſdem *hæreſibus* agitur. Hunc librum S. Pater rogatus a Quodvultdeo Diacono edidit anno 428. in eoque deſcribuntur hæreſes LXXXVIII. quarum ultima eſt Pelagianorum, de cujus hæreſeos reliquiis hactenus diximus. Verum librum hunc *de hæreſibus* non ſemel ſupra commemoravimus; nec aliud addendum ſupereſt, niſi illius commentaria edidiſſe Genevæ an. 1595. Lambertum Danæum, & Romæ anno 1707. Laurentium Cozzam, poſtea S. R. E. Cardinalem.

CAPUT LXII.

Contra Judæorum perfidiam Sanctum Parentem Auguſtinum pugnaſſe.

AD frangendam quoque Judæorum pervicaciam, ſplendidiſſimum Catholicæ Eccleſiæ lumen Auguſtinus ſtilum convertit. S. Poſſidius in *Indiculo* ait Auguſtinum contra Judæos edidiſſe Quæſtionem, cui titulus *De Judæis*, Quæſtionem aliam *de annis 46 ædificati templi*, Epiſtolam *ad Aſellicum*, atque *Tractatus duos*. Quantum attinet ad 1. quæſtionem; ſunt qui putant auctorem Judiculi lapſum eſſe vocabulorum ſimilitudine, ac pro quæſtione *de Ideis*, quæ eſt 46. inter LXXXIII. poſuiſſe quæſtionem *de Judæis*, propterea quod inter Auguſtini Opera hæc quæſtio non extet. Sed cum alia plura, quæ recenſentur in eodem *Indiculo*, deſiderentur; conjecturam hanc non amplectimur. Primo enim Poſſidii Indiculus enumerat Auguſtini ſcripta ordine argumentorum ſervato; & videtur inveriſimile auctorem præſtantiſſimum, atque Auguſtini diſcipulum, & in pervolutandis ipſius libri aſſiduum adeo oſcitanter Sancti Patris libros in ſuas claſſes diſtribuiſſe, ut quæ de ideis agunt, inter ea quæ Judæos refellunt, inconſiderate rejecerit. Deinde poſt primam quæſtionem ita aliam locat, ut non obſcure innuat utramque ad Judæos pertinere. Quæſtio autem ſecunda ea eſt, quæ in prælaudato libro Quæſt. LXXXIII. locatur num. 56. Epiſtola ad *Aſellicum* Epiſcopum, 196. olim 200. ſcripta exeunte anno 418. dividitur in quatuor capita. Demonſtrat in primo, non oportere ut Chriſtiani,

ni, maxime ex gentibus venientes, judaizent, ideſt, ſervent ceremonias Moſaicæ Legis: in altero explicat quænam ſit legis utilitas: in tertio oſtendit omnem verum germanumque Chriſtianum eſſe ſpiritu *Iſraelitam*: in poſtremo animadvertit, non debere vocabula miſceri, nec eos, qui Chriſtiani ſunt, appellandos eſſe Judæos. Quinam ſit primus Auguſtini *Tractatus contra Judæos*, non conſentiunt viri eruditi: nam Vindingus noſter arbitratur eſſe ſermonem 234. de Tempore, nunc num. 91. Lovanienſes autem Concionem ad Catechumenos, *contra Judæos, Paganos, & Arianos*. Verum hanc ſpuriam eſſe, communiter nunc viri docti opinantur: unde rejecta eſt in appendicem tomi VIII. ante opuſculum aliud apocryphum, cui titulus, *De altercatione Eccleſiæ & Synagogæ Dialogus*. Tractatus autem alter proculdubio eſt, qui in octavo volumine poſteriorum editionum ſequitur immediate librum *de hæreſibus*, & inſcribitur, *Tractatus adverſus Judæos*, alibi *Oratio*, vel, *ſermo contra Judæos*, & in quibuſdam MSS. *Liber B. Auguſtini de Incarnatione Domini contra Judæos*. Tractatus iſtiuſmodi decem ſunt capita: quibus Dei juſtitia in Judæorum reprobatione, & Dei miſericordia in electione Gentium commendantur: deinde vero arguitur cæcitas Judæorum; proferuntur vaticinia de Chriſto ex libro Pſalmorum, ex Geneſi (non tamen celeberrimum oraculum Jacobæum cap. 49.) ex Iſaia, & Jeremia, necnon ex Malachia, qui ceteris clarius prænuntiavit veterum Sacrificiorum abolitionem. Demonſtratur demum Sacrificium Chriſtianorum offerri ubique terrarum, ut idem Malachias vaticinatus eſt cap. I. II. & ad lucem Evangelicam iidem Judæi magna dilectione invitantur verbis Prophetarum Domini, Iſaiæ, Davidis, Danielis, & Sophoniæ. Sunt utique in Auguſtini libris alia permulta, ac fere innumera, ad Judæorum pervicacitatem arguendam aptiſſima; ſed aliis Tractatibus inſerta inveniuntur, nec peculiarem contra recutitos Judæos titulum præſeferunt: quam ob rem ea ſingula omittimus, ad ea, quæ ad Paganos ethnicoſque ſpectant, progrediendo.

CAPUT LXIII.

Res ab Augustino gestæ, ejusque Scripta, ut Paganos ad Christi fidem converteret.

POsteaquam de Judæis egimus, dicendum est de Paganis, idolorumque cultoribus: pro quorum conversione S. Pater plurimum, diuque insudavit. Enumerantur a Possidio quadraginta adversus Paganos Augustini Opuscula, nonnullis tamen comprehensis, quorum supra mentionem fecimus: cujusmodi sunt libri *adversus Academicos*, *de Ordine*, *de immortalitate animæ*, *de utilitate credendi*, *de vera Religione*, & quæstiones plures ex LXXXIII. Peculiariter videntur nobis commemoranda quæ sequuntur. Primo dedit operam, ut ex Madaurensium templis, civiumque cordibus expellerentur idola: quod maximo studio nixus est primo episcopatus sui tempore, anno scilicet 395. Madaura fuit olim Numidiæ civitas inter Hipponem-regium & Carthaginem, ubi celebre erat litterarum gymnasium, in quo & Augustinus adolescentulus imbutus grammatica & poesi fuit, nunc tenuis pagus regni Tunitani *Madara* dictus. Ubi ergo accepit a Florentino, quem Hipponem cum officiosissimis litteris iidem Madaurenses miserant, vigere adhuc Madauræ gentium superstitionem, cultumque idolorum, dedit ad illos epistolam 42. nunc 232. quæ prima est IV. classis, earum nempe, quas conscripsit Episcopus. Arripiens autem Augustinus occasionem a litterarum Madaurensium salutatione, *Patri Augustino in Domino æternam salutem*, illos ab idolorum cultu deterret, describens Judaici populi dispersionem, prænuntiatam in Scripturis divinis eversionem simulacrorum, unumque creatorem omnium, summum, æternum, incommutabilem. Egit eodem anno cum Longiniano idololatrarum Sacerdote, ut amplecteretur religionem Christianam, atque ad illum scripsit epistolam 233. alias 20. qua ipsum provocavit ad scribendum quomodo crederet Deum esse colendum, & quid sentiendum de Christo. Cum vero Longinianus respondisset, se in ea Platonicorum opinione versari, quæ docet ad supremum Deum per minores esse adscendendum, adhibitis sacrificiis purificatoriis, ac de Christo, ejusque Spiritu nil ex-

pressisset, fassus se nescire quid diceret; scripsit Augustinus epistolam alteram 22. modo 235. in qua de sacris illis purgatoriis cum Longiniano pertractat. Atque hoc pacto inter Augustinum & Longinianum colloquium institutum est, cum superstitiosi cultus refutatione. Num vero Longinianus Christo nomen dederit, ignoramus. Sustulit anno 398. pravam Afrorum Christianorum consuetudinem; qua ne magnatum idola colentium incurrerent indignationem, illos ad fana comitabantur, & una cum iis in idolio recumbebant. Ad hanc consuetudinem extirpandam habuit Carthagine gravissimam doctissimamque concionem, inter sermones secundam ac sexagesimam. Creditur eodem anno habitus sermo 24. in illud Psal. *Deus quis similis tibi*: occasione ludibrii, quo nonnulli Christianorum affecerant simulacrum Herculis, illi barbam auro perfusam evellendo. Augustinus vero illorum, qui id egerant, pietatem studiumque commendat; demonstratque non esse in urbe Carthagine colendos Deos, quorum simulacra Roma confregerat. Ineunte anno 400. intermisso ad tempus opere *de Trinitate*, scripsit *de Concordia quatuor Evangelistarum*, quum Paganorum nonnulli studerent calumniosis disputationibus a fide retrahere, quasi palmare vanitatis suæ argumentum abjicientes, quod ipsi Evangelistæ pugnantia narrent, ac inter se aperte dissentiant. *Opus de Concordia Evangelistarum* in libros quatuor distributum est: in quorum primo illos revincit, qui Evangelio fidem haberi nolunt, quum non sit a Christo, sed a discipulis ejus conscriptum, in aliis autem tribus libris, in quibus insumptum a se multum operis ac laboris testatur Tract. 112. in Joannem, ostendit quatuor Evangelistas ubique convenire, neque ullam in illorum Codicibus antilogiam adinveniri. De hoc opere ita in ejus Vita PP. Benedictini lib. 5. cap. 1. *Destitutus erat iis adjumentis, quibus instructi fuere quotquot postea idem illud argumentum tractarunt: qui tamen ipsi vestigiis ejus insistentes, vix quidquam alicujus momenti invenere, quod ille non docuisset*. Anno, ut ajunt eruditi viri, 406. scripsit S. Pater librum, sive responsionem *ad sex quæstiones* a quodam Pagano propositas, de quibus in 2. Retract. cap. 31. Locum hic liber tenet inter epistolas: ac est epist. 49. nunc 102. *ad Deogratias*. Prima est quæstio de *Corporum resurrectione*: objiciebant enim Pagani nullam futuram

fore

fore resurrectionem, quam Christiani expectant, quoniam resurrectio nostra neque resurrectioni Christi, neque resurrectioni Lazari potest similis esse; non Christi, quia a nobis creditur absque virili semine genitus; non Lazari, quia hujus resurrectio facta est in carne nondum tabescente. Respondet vero S. Pater promissam resurrectionem potius resurrectioni Christi, quam Lazari congruere: solvitque oppositionem Paganorum, ostendendo esse generatum absque virili semine, in conceptione atque in nativitate, non autem vel in morte, vel in resurrectione diversitatem arguere. Secunda quæstio est *de tempore Christianæ religionis*; quum enim nos credamus Christum esse salutis viam, quærebant post Porphyrium alii Pagani, quid egerint tot sæculorum homines ante Christum. Sed respondet Augustinus, nec semper fuisse cultum idolorum; imo aliter colendos Deos juxta Numæ Pompilii institutionem, aliter ante præcedentium Italorum morem, aliter ante inductam Pythagoricam disciplinam: ab exordio autem generis humani salutem consecutos qui crediderunt in Christum, & secundum ejus præcepta vixerunt: atque ita semper fuisse Christum viam salutis omnibus justis. Quæstio tertia est *de Sacrificiorum distinctione*. Quærentibus enim Paganis, cur a nobis accusentur ritus sacrorum, & hostiæ Diis immolatæ, quando cultus hujusmodi exorsus est temporibus priscis, & a nobis colitur Deus, qui primitiis indiguit; Augustinus respondet, hinc potius intelligendum quam sit res antiqua sacrificium, & quod nonnisi uni Deo vero sit offerendum: atque veterum sacrificiorum, quæ erunt umbræ & figuræ futurorum, explicata natura, demonstrat neque corporeis, neque incorporeis creaturis fas esse sacrificium offerre, ac tandem docet quomodo in sacrificiorum mutatione nunquam sit immutata religio. Quæstio IV. *est de mensura peccati ac supplicii*: ajebant quippe Pagani Christum ridicule minari pœnam æternam, cum Mat. 7. 2. dixerit. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; quælibet autem mensura circumscripta est fine temporis. Respondet Augustinus, inepte dici omnem mensuram circumscribi tempore, quum ipsi Pagani Solem dicant esse sempiternum, qui tamen quantus sit mensuris geometricis scrutari audent. Deinde ait necessum non esse, ut in prædicta sententia, *Quod mensi fueritis, hoc metietur vobis*, habea-

habeatur æqualitas ex omni parte: ut in his consimilibus; Quod feceris, patieris: quod plantaveris, hoc decerpes: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*. Addit ex qualitate voluntatis, non ex spatio temporis nos debere metiri peccata: quandoquidem & homicidium, quod brevi tempore, & uno ictu patratur, carcere, exilio, suppliciisque extremis punitur. Quæstio quinta est, num Salomon revera dixerit, *Filium Deus non habet*: quod nuspiam ab illo dictum, sed oppositum ex libro Sapientiæ, & Proverbiorum constare S. Pater demonstrat. Postrema quæstio est *de Jona*: multo enim cachinno Pagani irridebant, quod de ipso Jona legitur cap. 2. triduo fuisse in ventre ceti, & quod narratur cap. 4. de nata super illum cucurbita. Ad hanc quæstionem respondet S. Pater, nullam esse causam, cur divina miracula non credantur: Paganos ipsos fidem adhibituros, si talia narrata forent de Apollonio Tyaneo, aut de Apulejo Madaurensi, quorum multa mira nullo fideli auctore jactabant: in iis, quæ dicuntur de Jona, significationem esse attendendam, & quemadmodum homines loquuntur verbis, ita divinam potentiam loqui factis. Cucurbitæ etiam, quæ rodente vermiculo exaruit, Augustinus significationem exponit. De hac concubita etiam agit epistola ad Hieronymum 81. num. 35. Ex his autem locis, lectionis, quæ habebat Jon. 4. 6. 7. *cucurbitam*, non *hederam*, apparet antiquitas. Anno 412. S. P. *Volusianum* ab idolorum cultu revocare studuit data ad illum epistola 137. jam 3. in qua ipsius Volusiani quæstionibus sibi per Marcellinum propositis fecit satis. Rationem autem Augustinus ea in epistola reddit, cur Deus regendæ universitatis curam non amittens infusus sit carni, qua ex Virgine nasceretur: explicat quomodo Deus ita homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi: agit de adjutorio gratiæ Salvatoris, eidem aptans verba Maronis Ecl. 4.

Quo duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Docet in Christi vita, dictis, factisque completa fuisse omnia præconia Prophetarum: de præceptis demum, in quibus ait Dominus totam legem pendere, & de secreta Scripturarum veritate pertractat. Anno autem 428. cum Augustinus Cæsa-

ream

ream Mauritaniæ urbem pro Ecclesiæ rebus profectus esset, ibidem gravissimam habuit ad plebem concionem, qua cohibuit vetustam, atque ex ethnicorum moribus derivatam consuetudinem, qua cives, & propinqui etiam ac fratres, per aliquot solemnes dies inter se crudelissime, cum maxima hominum cæde dimicabant. Exitum, fructumque illius orationis narrat ipsemet Augustinus lib. 4. de Doctr. Christiana cap. 24. Edidit quoque S. Pater adversus præsumptionem Paganorum librum *de divinatione dæmonum*: in quo ostendit dæmonum divinationes ex tribus potissimum causis procedere, idest, acrimonia sensus, celeritate motus, & rerum experientia. Hinc infert dæmonum oracula, & mira quæ ab iis fiunt, contemnenda esse, illorumque vaticinationes longe distare ab altitudine divinæ prophetiæ. Videtur hic Augustinus in dæmonibus agnoscere corpus aliquod aereum, scribens num. 7. *Dæmonum est natura, ut aerei corporis sensu terrenorum corporum sensum facile præcedant*: sed eadem ratione explicavit S. Antonius, quomodo dæmones futura prænuntient, *levioribus usi corporibus*, apud S. Athanasium in ejus Vita num. 31. tom. 1. p. 2. pag. 820. novæ Parisiensis editionis. Denique adversus Paganos edidit Augustinus præclarissimum Opus *de Civitate Dei*: cujus singulare eximiumque pretium postulat, ut de illo specialiter, ac distincte dicamus.

CAPUT LXIV.

De libris, quos Augustinus inscripsit de Civitate Dei, atque de ipsorum librorum pretio, editionibus, & commentariis.

LIbri itaque *de Civitate Dei* sunt numero XXII. quorum singuli in plura capita dividuntur. Rationem hujus Operis conscribendi tradit ipsemet Augustinus in lib. 2. Retract. cap. 43. Cum enim anno 410. Roma a Gothis sub Alarico Rege capta & vastata fuisset; cultores inanium Deorum in Christianos causam hujus cladis, & eversionis referre cœperunt, summum unum, verumque Deum blasphemando. Augustinus igitur exquisitissimo hoc Opere, quo universa Gentilium philosophia, Deorum inanium fabulæ, & profana my-

ſteria denudantur, querimonias & criminationes illas refellit. Admovit itaque magno huic operi manus anno 413. ſed graviſſimis aliis occupationibus diſtentus, & in debellandis hæreticis occupatus illud non abſolvit ante annum 426. Primi quinque libri verſantur in confutandis Paganis, qui multorum Deorum cultum neceſſarium eſſe putabant ad rerum humanarum proſperitatem, ideoque urbis everſionem, omnemque calamitatum congeriem Chriſtianæ religionis cultoribus adſcribebant. In quinque autem conſequentibus libris inviċtiſſime demonſtratur magnopere decipi qui opinantur plurium Deorum cultum fore perutilem ad felicitatem illam comparandam, quæ poſt mortem corporis expectatur. Reliqui duodecim libri duarum civitatum, terrenæ ſcilicet, & cœleſtis, exordium, progreſſum, ac finem deſcribunt, a conditione mundi, uſque ad ejus interitum, & uſque ad ſempiternam bonorum felicitatem, ac æternum malorum ſupplicium progrediendo. Quidquid autem diſputari ſolet de Scripturarum Sanctarum auctoritate, de Angelorum productione, merito, & lapſu, de hominum conditione & propagatione filiorum Dei, de rebus geſtis Patriarcharum, de inſtitutione, dilatatione, & duratione religionis Chriſtianæ, de futura reſurrectione corporum, de igne quo cruciandi ſunt reprobi, atque de æterna Sanctorum felicitate, id totum in hoc egregio Opere Auguſtinus dilucide proponit, diſerte explicat, & invicte demonſtrat. Summum eſt itaque, & ſupra quam dici poſſit inæſtimabile hujus Operis pretium. Ajebat Macedonius Præfectus Africæ in epiſtola ad Auguſtinum 154. in prioribus tribus libris, quos tantum pervolutaverat, *tantum haberi acuminis*, *ſcientiæ*, *& ſanctitatis*, *ut nihil ſupra ſit*. Commendatur ab Oroſio in præfatione Hiſtoriarum, & vocantur *radii e ſpecula Eccleſiaſticæ claritatis elati*, ac toto in orbe fulgentes. Caſſiodorus in libro Inſtit. cap. 16. unumquemque monet, ut Opus iſtud percurrat *infaſtidibili ſedulitate*. In hiſce libris Auguſtinum non modo ſacrarum litterarum & Chriſtianæ doctrinæ facile principem, verum etiam profanarum literarum, & omnigenæ eruditionis fuiſſe coriphæum & anteſignanum teſtatur lib. 1. Miſcell. cap. 8. Hieronymus Magius. Multi alii magnæ eruditionis viri (ut inquiunt in præfat. Comment. ſuorum Ludovicus Vives, & Leonardus Coquæus) hoc Auguſtini Opus no-

bis

bis suppeditare docent omnia illa adjumenta, quæ haberi possent ex doctissimis Varronis libris summopere commendatis a Cicerone, aliisque egregiis scriptis Salustii, & Livii, quæ perierunt, vel in latebris jacent. Istud propterea Augustini Opus in deliciis fuit summis Viris: nam Carolus Magnus ejusdem Operis lectione summopere delectabatur, teste Eghinardo, & Poeta Saxonico lib. v. Annalium, unde versus quosdam exscripserunt in præf. ad tom. VII. Patres Sancti Mauri. Idem asserendum de Carolo v. Henricus quoque VIII. Anglorum Rex, cui Vives Commentarios suos dedicavit, idem Opus Augustini maximo habuit in pretio. Demum & ii, qui in Augustinum fuerunt inofficiosi rigidique censores, ut Joannes Clericus aliique, eo in opere Augustinum sese, ingeniumque suum vicisse testati sunt. Haud ergo mirum hos *de Civitate Dei* libros sæpe fuisse in lucem editos, ab aliis etiam Augustini operibus divulsos ac separatos. Nam ubi primum ars typographica magno rei litterariæ commodo inventa fuit, primi omnium libri Augustini *de Civitate Dei* cum divinis Institutionibus Lactantii Firmiani, ut quidam narrant, fuerunt procusi. Verum hæ sunt, quas hactenus vidimus, præstantissimi hujus Operis Latinæ editiones. Prodierunt in lucem Romæ in ædibus Petri de Maximis elegantissimis typis an. 1468. deinde Venetiis 1475. & Friburgi 1494. Cum Commentariis Thomæ Valois, & Nicolai Triveth typis Gothicis Basileæ anno 1504. & rursus Lugduni cum iisdem commentariis, & additionibus Jacobi Passavantii, & Theologicis *veritatibus* Francisci Maronis an. 1520. Editi in lucem fuerunt cum Commentariis Ludovici Vives Basileæ anno 1522. & rursus 1570. ac iterum duobus Voluminibus 1580. necnon Lugduni an. 1563 Parisiis 1555. & Hamburgii 1661. Cum commentariis autem Ludovici Vives, & Leonardi Coquæi Parisiis anno 1613. & in duobus Voluminibus Francofurti anno 1661. Latinas autem editiones, quibus una cum aliis Augustini libris hoc *de Civitate Dei* Opus editum fuit, enumeraturus sum alibi. Præter Latinas editiones prodiit quoque idem Opus in alias linguas translatum, idest, anno 1675. duobus Voluminibus in 8. typis Parisiensibus, *Citè de Dieu de S. Augustin Traduction Nouvelle:* typis Hispanicis anno 1676. *Ciudad de Dios de S. Augustin traducida por Antonio de Royas*.

ac lingua Italica habetur antiqua & pulcherrima Editio anni 1475. cui in Codice Angelicæ-Bibliothecæ præfigitur MS. nomen Jacobi Paſſavantii Ordinis Prædicatorum; necnon editio Romana an. 1743. Verſionis, quam exornavit Cæſar Benvenuti Canonicorum Regularium Abbas Generalis. Extat & liber Lugduni impreſſus anno 1580. cui titulus, *Flores D. Auguſtini ex ſuis libris de Civitate Dei excerpti*. Jam vero commemoravi viros doctiſſimos, qui in eoſdem libros commentarios elucubrarunt. Thomas de Valois, & Nicolaus Triveth fuerunt uterque ex Sacra Fratrum Prædicatorum Familia, atque de iiſdem agit ejuſdem Ordinis Bibliotheca. Ipſius Prædicatorum Ordinis fuit & Jacobus Paſſavantius, qui materna lingua edidit inſignem librum, quem inſcripſit, *Speculum veræ Pœnitentiæ*. De hoc viro Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum. Ludovicus Vives Latinas, Græcaſque litteras doctus, Valentiæ in Hiſpania natus ob doctrinam æque ac pietatem commendatur; nam & cuſtodiæ ab Henrico VIII. mancipatus fuit ob improbatum illius divortium. Hujus tamen viri Commentaria graviſſimas ob cauſas caſtigata fuerunt atque expurgata, ac primum emendata prodierunt in editione Operum S. Patris, quam curarunt Lovanienſes. Eraſmus & Frobenius mirabantur hujus Operis Ludovici Vives vix reperiri emptores, atque hinc inferebant, etiam in muſarum rebus regnare fortunam. Sed de Ludovico Vives legendi Sixtus Senenſis Bibl. S. lib. 4. pag. 334. & Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpanica. Fertur conſcripſiſſe in eoſdem Auguſtini libros commentaria ſatis prolixa atque erudita Gaſpar Barthius, ſed nondum illa adſpexiſſe lucem ſcribunt Zeiſoldus ad Biblioth. Schraderi, & Joannes Fabricius in Hiſtoria Bibliothecæ Fabricianæ. Pervulgata & notiſſima ſunt Commentaria Leonardi Coquæi, de quo, cum fuerit Familiæ Auguſtinienſis alumnus, alio in loco ſi Deus dederit pertractabimus. Richardus quoque Olzenengus Vercellenſis Canonicus Regularis, atque in Tridentino Concilio Theologus dicitur commentarios elucubraſſe in libros 22. de Civitate Dei. Vide Syllabum Scriptorum Pedemontii pag. 509. Hæc de laudato & excellentiſſimo Opere viſa ſunt mihi adnotanda: ſed legendæ ulterius Præfationes Fratris Conradi Leontorii, Coquæi, & PP. Benedictinorum. In editionibus nonnullis extat Præfatio, quæ abſolvitur hiſce verſibus:

Hic

*Hic Augustini * prostrati fulmine linguæ* * *constrati*
Juppiter, & falsi deperiere Dei.

CAPUT LXV.

Dogmatica Augustini Opera, ac primum Exegetica in vetus, & in novum Testamentum.

RReliquum est, ut recensitis libris, quos Augustinus adversus Manichæos Hæreticos, Paganosque conscripsit, dogmatica etiam & didactica opera enumeremus, ea nempe, quæ ad institutionem & eruditionem attinent Catholicorum, necnon insignia duo ad ipsum Augustinum specialiter pertinentia, *Confessionum* nimirum, atque *Retractationum*. Sunt autem libri prioris generis alii ad Scripturarum divinarum intelligentiam, alii vero ad fidelium formationem instructionemque spectantes. Occurrunt autem primo *Exegetica* in vetus Testamentum, quibus tanquam generalis quædam Regula præmittuntur quatuor libri *de Doctrina Christiana*. Inchoati fuerunt hi libri circa annum Christi 397. & absoluti circiter annum 426. Recensentur in 2. Retract. cap. 4. ac tales ab Eruditis existimantur, qui una cum Præfationibus Hieronymianis in Sacrorum Bibliorum limine locum obtineant. Continent enim documenta, ac præcepta ad sacras litteras intelligendas necessaria, atque utilissima. In his de rebus, earumque partitione, fruitione & usu: de rerum signis verbisque: de ambigua & figurata oratione, certisque regulis ad sensum improprium & translatum a proprio & litterali secernendum; atque de munere & officio Christiani Oratoris, hujusque eloquentia, imitatione, & honestate vitæ, luculenter, ornateque differitur. Hos propterea libros singillatim describi curavit in usum Ludovici Francorum Regis, fratrisque Carolomanni Angilbertus Abbas Corbejensis, ut indicant versus novis editionibus Tomi 3. præmissi. Separatim quoque fuerunt editi typis Lugdunensibus a Martino Beaugrand, Lovanii item anno 1562. & rursus Romæ 1735. Sequuntur *liber imperfectus*, & libri 12. *de Genesi ad litteram*, quos supra commemoravi, quoniam in his multa continentur adversus Manichæos. Accedunt *libri septem Locutionum* conscripti circa annum 419. quibus explicantur certæ

quædam & peculiares locutiones ſeptem priorum librorum *Sacræ* Scripturæ, ideſt, Geneſis, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Joſue, & Judicum. Horum librorum fit mentio 2. Retract. cap. 54. Hoc opus proxime conſequuntur libri ſeptem *Quæſtionum in Heptateuchum*, ſcilicet, in prædictos ſeptem libros conſcriptarum circa memoratum an. 419. Sunt autem in Geneſim q. 173. in Exodum q. 177. (quarum poſtrema eſt Tabernaculi ampla & accurata deſcriptio, quæ tamen in veteribus editionibus erat q. 174.) in Leviticum ſunt q. 94. in librum Numerorum q. 65. in Deuteronomium q. 57. in Joſue q. 30. & in Judices q. 56. Anno 400. edidit Auguſtinus librum *Adnotationum in Job*, de quo 2. Retract. cap. 13. & anno 427. librum, quem inſcripſit *Speculum*: in quo comprehenduntur præceptiones Scripturarum intellectu faciliores, & ad captum vulgi magis accomodatæ. Eſt autem hoc *Speculum* diverſum ab illo, quod ſub Auguſtini nomine edidit in lucem Hieronymus Vignerius, in quo Scripturarum ſententiæ ad certa quædam capita revocantur; & quod ab eruditis ſpurium & ſuppoſititium cenſetur. Pertinent ad ſeriem Exegeticorum *Enarrationes in Pſalmos*, quæ in vetuſtioribus editionibus occupant octavum Volumen, in recentioribus autem quartum, & iſtud in partes duas bipartitum. Non ſemel & hoc in Pſalmos Opus ſeparatim procuſum fuit, ac præſertim Baſileæ 1497. & Antuerpiæ 1662. Nequit aſſignari determinatum iſtarum enarrationum tempus; nam quoſdam Pſalmos Presbyter, quoſdam autem Epiſcopus, eoſque vario modo, nec ſervato ordine, Auguſtinus expoſuit, eo quod ab initio ejus conſilium non fuerit totum Pſalterium commentari. Quaſdam itaque in Pſalmos enarrationes e ſacro ſuggeſtu prædicavit, experientia doctus hoc interpretationis genere vehementius fidelium corda inflammari: nonnullas vero expoſitiones dictavit; ac triginta duo ſermones in Pſalmum 118. lucubrati quidem ab eo fuerunt, ſed nunquam in populo pronunciati. Me non latet aliquibus diſplicere, quod S. Pater hiſce in commentariis myſticam dumtaxat, & moralem expoſitionem tradiderit, & Sanctum quoque Hieronymum, ut prænotavit libro IV. Bibl. S. n. 257. Sixtus Senenſis, deſideraſſe in iiſdem enarrationibus expoſitionem juxta textum Hebraicum, & juxta interpretationem Patrum Græcorum, ſuamque propriam. Sed

vias

vias mire ingeniosas, quibus Christum in Psalmis præsignatum, & doctrinæ evangelicæ mysteria ac præcepta detegeret, Augustino Christi caritatem suggessisse, recte monent in Præfatione ad IV. Tomum Patres S. Mauri. Imo nec Hieronymus redarguit, ut visum Sixto Senensi, adhibitam ab Augustino expositionis methodum; sed ostendit tantummodo post Septuaginta Interpretum Versionem, illam, quam ipse ex Hebraico fonte exornavit, non esse censendam tanquam inutilem. Videsis Hieronymi epistolam 75. inter Augustinianas. Silentio prætereundum non est, S. Fulgentium amplexum fuisse institutum monasticum, quod legisset enarrationem Augustini in Psalmum 36. cujus exordium sumitur a consideratione extremi judicii. Nauci itaque faciendum erit circa fætum hunc Augustini, judicium illorum, quibus nil sapit, quod non versatur in litterali discussione, nec habet Hebraicæ, aliarumque exoticarum linguarum sonum asperrimum ac peregrinum: quum in mysticis quoque interpretationibus, etsi litteralis una cum linguarum peritia sit summopere laudanda, eluceat ingenii acumen, ac spiritus multiplicis gratiæ Dei. Connumerantur inter *Exegetica* novi Testamenti libri quatuor *de Consensu Evangelistarum*; de quibus, cum faciant ad refellendas Paganorum oppositiones, scripsi paulo supra num. 63. Quare nihil addam aliud, nisi Augustinum opus illud suscepisse *inspirante atque adjuvante Domino* adversus nonnullos, qui calumniosis disputationibus suis vel retardabant homines ne crederent, vel jam credentes agitando, quantum poterant, perturbabant. Præter libros de consensu Evangelistarum, edidit S. Pater an. 393. libros duos de sermone Domini in monte, de quibus in libro Retract. cap. 19. qui etiam Gallico idiomate prodierunt in lucem Parisiis an. 1683. cum eruditis commentariis. Hoc in Opere explicat S. Pater Domini verba, quæ habentur cap. 5. 6. & 7. Sancti Matthæi. Difficultates quasdam circa uxorem, quæ discessisset a viro, offendit in hoc Opere Pollentius, sed eas Augustinus enodavit in 1. libro *de adulterinis Conjugiis*. Sequuntur duo libri quæstionum Evangelicarum scripti anno 400. 2. libro Retractat. cap. 12. quorum librorum primus comprehendit quæst. 47. in Matthæum; alter quæst. 51. in Lucam. Non rerum ordine, sed pro opportunitate difficultatum, quæ sibi discutiendæ occurrerunt,

S. Pa-

S. Pater lucubravit harum quæstionum tractationem. In Joannem vero scripsit anno, ut fertur, 412. tractatus centum viginti quatuor, qui in vetustis codicibus aliquando Tractatus, aliquando Sermones, aliquando autem Homiliæ in Joannem inscribuntur: iisque subjiciuntur Tractatus decem in epistolam Joannis ad Parthos, conscripti circa annum Domini 416. itemque sermonum titulo prænotati in Indice Possidii cap. 9. Ex iisdem Tractatibus plura decerpserunt Beda, Alcuinus, Florus, Cassianus, S. Leo Magnus, aliique posteriores interpretes: nec immerito dicuntur a Cassiodoro lib. Div. Instit. cap. 7. Joannis copiosa, & insignis expositio: nam sicut Joannes Aquilæ comparatus altius multoque sublimus aliis tribus Evangelistis erexit prædicationem suam, ut loquar verbis ipsius Augustini Tract. 36. num. 1. ita Sanctissimus Doctor inter alios Doctores Aquila ob ingenii accumen mentisque perspicacitatem appellatus, in exponendo Evangelio Joannis videtur aliorum Scriptorum, qui de rebus divinis pertractarunt, ordinem transcendisse. Quamobrem Ecclesia, quando legit partem aliquam Evangelii Joannis, addit ut plurimum Homiliam ex hisce Tractatibus depromptam, quod observatum arbitror ab his omnibus, qui Horas Canonicas persolvunt. In reliquos Novi Testamenti libros habemus perpauca S. Patris opuscula: nimirum in epistolam *ad Romanos* librum unum scriptum ab Augustino adhuc Presbytero, idest, circa annum 394. in quo exponuntur 84. propositiones ex eadem epistola excerptæ: *Incboatam expositionem* ejusdem ad Romanos epistolæ, scriptam circa eumdem annum 394. in qua expositione differitur *de salutatione*, seu exordio epistolæ usque ad num. 14. hinc vero usque ad num. 23. & ultimum disputatur de peccato in Spiritum Sanctum; & denique librum unum expositionis in Paulinam epistolam *ad Galatas* scriptum ipsomet anno 394. atque hoc in libro tota epistola dilucide exponitur atque explicatur. De tribus hisce operibus agitur in 1. Retract. cap. 23. 24. & 25. Itaque hæc sunt, quæ ad interpretationem sacrorum librorum Veteris ac Novi Testamenti Magnus Augustinus elucubravit; quamquam in ceteris omnibus libris Scripturarum Sanctarum verba tam copiose, & accurate explicavit, ut ex unius Augustini libris exquisitam absolutamque omnium divinarum Scripturarum expositionem mutuari possimus: prout ostendam proximo numero 68.

C A-

CAPUT LXVI.

Reliqua Augustini Opera, quæ spectant ad fidelium institutionem, moresque formandos.

CEtera vero, & *Didactica* Augustini Opera sunt primum prægrande spissumque volumen *Epistolarum*, & alterum *Homiliarum* seu *sermonum* ad populum; deinde varii quidam libri de aliquo peculiari argumento conscripti. Augustinianæ epistolæ sunt num. 272. additis duobus *de natura & origine animæ*, & *de pœnis parvulorum*, quæ habentur initio postremi voluminis edit. Ven. anni 1729. & commemoratæ sunt num. 54. ubi egimus de Origenistis, & Priscillianistis. In harum tamen numero comprehenduntur epistolæ quædam Hieronymi, Paulini, Severi, aliorumque ad Augustinum datæ: quæ necessario interpositæ sunt, ut illæ, quæ ipsis respondent, facilius intelligantur. In recentioribus editionibus, Maurina, & quæ ad hujus exemplar factæ sunt, præmittitur harum epistolarum distributio, juxta quam percipitur quænam spectent ad Theologicam disciplinam, quænam ad refutationem hæreticorum, quænam vel ad doctrinam morum, vel ad ecclesiastica dogmata, vel ad facta quædam historica, vel ad philosophicam eruditionem. Sunt vero eædem epistolæ in quatuor classes distinctæ: in quarum prima locantur illæ, quas S. Pater scripsit nondum Episcopus, ideft, usque ad annum 395. in secunda quas edidit ab Episcopatu suscepto usque ad hæresim Pelagianam detectam in Africa, hoc est, usque ad annum 470. in tertia quas exaravit usque ad obitus sui tempus, annum nempe 430. in quarta demum classe illæ Augustini comprehenduntur epistolæ, quarum tempus aut ignoratur, aut nequit definiri. Harum epistolarum selectæ a Rolando Ogerio collectæ fuerunt, atque in lucem editæ Flexiæ an. 1638. quamvis collectiones aliæ inveniantur MSS. inter quas duo in Angelica Bibliotheca exemplaria diversa. Genuini sermones, quos omnes recipiunt, sunt ex 64. *de Verbis Domini* num. 51. ex 36. *de Verbis Apostoli* num. 30. ex *Homiliis quinquaginta*, n. 27. ex 256. *de Tempore* num. 60. ex 51. *de Sanctis* num. 9. ex septemdecim additis a Parisiensibus num. 13. ex sermonibus

123. *de*

123 *de diversis* num. 116. Fragmenta 37. ex sermonibus *ad fratres in eremo*, consensu omnium, saltim duo; adjecti a Jacobo Sirmondo num. 40. ex 51. additis a Hieronymo Vignerio in utraque parte *Supplementi*, num 22. superadditi a PP. Maurinis, 34 omnes, seclusis fragmentis, 394. Ita nunc inveniuntur distributi, ut primum locum teneant sermones, quibus Scripturæ novi, ac veteris testamenti exponuntur, a primo sermone usque ad 183. proximum locum habeant sermones *de Tempore* a 184. ad 272. tertium sermones *de Sanctis* a 273. usque ad 340. postremo loco veniant sermones *de diversis* a sermone 341. usque ad 394. Prodierunt Augustiniani sermones in lucem Basileæ in editione Amerbachii anno 1495. & Lugduni anno 1520. sed postmodum additiones variæ accesserunt ex Joanne Ulimmerio ex MSS Pithœanis, ex Hieronymo Vignerio, ex Jacobo Sirmondo, aliisque, ut constat ex tom. x. antiquarum editionum, & ex tom. v. editionum recentiorum. Sermones quidam Augustino adscripti vulgati sunt Romæ an. 1644. opera Joannis Baptistæ Mari juxta exemplaria Bibliothecarum Vaticanæ, & Barberinæ. Plures ex iisdem Augustini sermonibus in Italicam linguam inveniuntur translati opera Galeacii Florimontii Episcopi Suessani viri adeo morum honestate, & civilis vitæ decore conspicui, ut ex ejus consuetudine Joannes Casa Florentinus, Archiepiscopus Beneventanus, Italorum Scriptorum disertissimus componendum duxerit librum magno pretio æstimandum, quem inscripsit, *Il Galateo*, sitque, ut communis fert opinio Galatei nomine idem Suessæ Antistes designatus. De Sermonibus autem *ad Fratres* patria lingua ab Augustino Scarpariensi elegantissime scriptis dicam, ubi ipsius Viri mentionem faciam. Nunc enim commemoranda mihi sunt reliqua S. Patris *didactica* Opera, & ad informandos mores conscripta. Sunt vero hæc Opera *Quæstiones* LXXXIII. quas alibi commemoravimus: *Quæstionum ad Simplicianum* libri duo; in quorum primo quæstiones duæ ad originale peccatum, & ad electionem justorum, & reproborum reprobationem pertinentes enodantur; ac in alio libro discutiuntur quæstiones sex; quarum prima est de spiritu Domini, qui insiluit in Saul: secunda quomodo dicatur de Deo, quod eum pœnituerit constituisse Saulem Regem Israelitici populi: tertia, qua ratione Pythonissa potuerit Samuelis animam evoca-

re:

re : quarta quo ſenſu dicatur David ſediſſe ante Dominum : quinta de filio viduæ Sareptanæ ; ac ſexta de Spiritu mendacii miſſo ad decipiendum Acab . Sunt hi duo libri , qui omnium primi recenſentur in ſecundo Retractationum, & dicuntur ſcripti circa annum 397. Extat & liber *de octo Dulcitii quæstionibus* editus anno 425. aut paulo ante , de quo 2. Retract. cap. 65. In hoc libro diſcutitur num ſempiternæ futuræ ſint in gehenna pænæ fidelium reprobatorum ; num oblationes factæ pro mortuis, iiſdem proſint; num omnes ſint morituri ; quomodo benedicatur generatio juſtorum , dum eorum filii rejiciuntur ac reprobantur : excitaverit ne de inferno pythoniſſa Spiritum Samuelis ; cur David, qui ſcelera multa patravit , dicatur vir a Deo electus juxta cor ſuum ; effugerit ne Sara cum Abimelech ſtupri crimen ; & quinam fuerit Spiritus Domini , qui initio mundi ferebatur ſuper aquas ? Sequuntur quidam Auguſtini libri *de fide*, nimirum, liber *de fide rerum quæ non videntur* , in quo demonſtratur prudenter , non temere a nobis credi quæ non videntur, ſcriptus poſt annum 399. *liber de Fide & Symbolo*, de quo in 1. Retract. cap. 17. ſtudioſe explicans ſingula ſymboli capita : liber *de fide & operibus* ſcriptus anno 413. & commemoratus in 2. Retract. cap. 38. in quo oſtenditur non ſolum baptiſmum, ſed etiam vitæ Chriſtianæ regulas tradendas eſſe initiandis , & utrumque neceſſarium eſſe ad æternæ ſalutis conſecutionem ; & liber *de Fide , Spe, & Charitate ad Laurentium*, editus poſt mortem Hieronymi, ideoque ante Calendas Octobris anno 420. de quo in 2. Retract. cap. 63. Hunc librum Auguſtinus Græco vocabulo appellavit, *Enchiridion*, quaſi manibus continuo geſtandum , quemadmodum inſcriptus eſt aureus liber Epicteti philoſophi Stoici, ab Angelo Politiano, & a Hieronymo Wolfio Latinitate donatus , & poſtremo Italice, & hiſpanice cum doctis , eruditiſque adnotationibus a Marco Antonio Citarella Neapolitano Patricio &c. editus typis Piſtorii unico Volumine An. 1727. poſt nitidiſſimam Græco-Latinam editionem Trajecti Batavorum An. 1711. Marci Meibomii cum ejuſdem notis, Salmaſii emendationibus &c. cura Hadriani Relandi adjecta Cebetis Tabula &c. liber alter Ariani in Gallicam linguam tranſlatus a quodam Monacho Fulienſi , aliique libri complures , ferendi manibus , ac mole parvi , utilitate vero maximi . In

Augustini *Enchiridio* explicatur quomodo colendus sit Deus exercitamento Theologalium virtutum. Præter hæc instituit Augustinus fideles ad pugnandum cum diabolo, ac triumphum reportandum victis cupiditatibus, & corpore in servitutem redacto, in hanc rem edito libro *de Agone Christiano* circa annum 396. Pertractavit insuper *de catechizandis rudibus*, rogatus a quodam Diacono Carthaginensi, libro circa annum 400. elucubrato. Egit libro uno *de Continentia*, ut constat ex Indiculo Possidii cap. 10. atque ex epistola 262. ipsius Augustini ad Darium Comitem. Itidem *de Bono conjugali*, & *de Sancta Virginitate*, ut prænotavimus n. 57. agentes de Hæresi Joviniani, quorum librorum rursus mentionem facimus, quum utilissimi sint iis, qui vel sese Deo consecrant, vel conjugium ineunt. Quare liber *de S. Virginitate* inter Opuscula SS. Joannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, aliorumque de hac virtute pertractantium, editus adinvenitur. Ostendit fas non esse conjugem dimittere, nisi ob fornicationem, & adulterio nuptiarum vinculum non dissolvi, scriptis circa annum 419. ad Pollentium duobus libris *de Conjugiis adulterinis*. Hi libri in lucem editi sunt Jenæ anno 1698. cum notis celeberrimi Jureconsulti, qui latere voluit, tametsi nonnulli fuisse credant Joannem Schilterum. Vide Joan. Fabricium in Hist. Bibl. p. 4. pag. 119. Acuit Augustinus, ut alibi diximus, calamum adversus *Mendacium* duobus in libris. Impulsu Aurelii Episcopi Carthaginensis scripsit librum aliis in locis laudatum, *de Opere Monachorum*, circa annum 400. Hunc librum & Gallice alicubi vidimus cum hoc titulo: *S. Augustin del Ouvrage des Moynes par du Belley, Rouen* 1633. Paulo ante annum 418. edidit S. Pater librum *de Patientia*: in quo distinguens patientiam veram a falsa, ad illam, quam divinæ gratiæ adjutorio ait esse tribuendam, vehementer hortatur, atque anno 421. rogatus a Paulino scripsit librum *de cura gerenda pro mortuis*, plura de memoriis martyrum, de sepulturæ utilitate, de mortuorum apparitionibus, & de istarum modo, erudite ac docte pertractatis. Est in hoc Opere adnotatione dignum, quod narratur cap. XI. num. 13. ipsum Augustinum, dum adhuc Mediolani consisteret, apparuisse Eulogio rethori Carthaginensi, eique explanasse obscurum quemdam locum Ciceronis.

CAPUT LXVII.

De XIII. Confessionum, & II. Retractationum libris.

CUm de Augustini libris post Episcopatum elucubratis non ordine chronologico, sed pro argumentorum diversitate agendum existimaverim, quod ad legendum utilius, ac minus tædiosum esse videtur; postremo loco recensenda sunt insignia duo Opera ad ipsum Augustinum spectantia, quorum primum *Confessionum* titulum præfert, alterum autem *Retractationum*. Confessionum Opus in libros 13. distributum, scriptum est anno Christi 400. Commemorantur ab ipsomet Augustino 2. Retract. cap. Epistola 265. & de Dono Persev. cap. 20. Atque hisce in libris S. Pater Vitam suam describit, crimina in quæ prolapsus fuit, & collata sibi a Domino beneficia humillime patefaciens, adeo, ut non tam dicendæ sint Confessiones peccatorum, quam laudis. Priori in libro narrat vitæ suæ primordia usque ad annum decimumquintum: in 2. adolescentiam paterna in domo anno 17. transactam: in 3. quæ sibi usque ad annum 19. contigerunt Carthagine: in 4. errores, studiaque sua ad annum 29. in 5. suum ex Africa discessum, & cur Romanum, ac Mediolanum advenerit: in 6. Matris ad se itinera, Alipii mores, animique sui ipsius fluctuationem: in 7. juventutem suam, & tenebras, quibus circa annum 31. obvolvebatur: in 8. anni 32. eventus, suamque cum Simpliciano consuetudinem, luctam carnis ac spiritus, & conversionem admirandam: in 9. Cathedræ abdicationem, secessum, baptismum, ac piissimæ Matris obitum, & virtutes: in 10. stupendam memoriæ suæ vim, actus, sensus, affectus, gratumque animum erga Deum: in 11. productionem mundi, temporisque naturam: in 12. materiam, ex qua corpora omnia coalescunt, & Scripturarum Sanctarum sensum multiplicem; in 13. & ultimo incommutabilem Dei bonitatem, Trinitatis arcanum, Spiritus Sancti proprietates, & allegoricam in Hexameron expositionem. Difficillimum foret enumerare editiones omnes Operis hujus præstantissimi. In lucem ab aliis Operibus separatum emissum fuit latina lingua Antuerpiæ anno 1650. Lugduni 1646. Turnoni 1588. Venetiis an. 1691. ac deinceps sæpissime: Italica

autem lingua Romæ anno 1595. Gallica per Arnaldum d'Andillis Parisiis an. 1649. & 1665. in quarum editionum prima Versioni Gallicæ adhæret quoque textus latinus; ac rursus ex traductione PP. Benedictinorum an. 1685. In lingua item Castellæ prodiit Matriti anno 1628. & rursus *Amberes*, idest, Antuerpiæ, anno 1655. demum Venetiis Anno 1722. cum piis, & eruditis notis P. Henrici Wangnereck e Societate Jesu post editionem Dilingæ 1630. & Coloniæ, Libri denique *Retractationum* seu, *Recognitionum* duo scripti fuerunt ab Augustino an. 426. & 427. In priori recensentur libri editi ante episcopatum; in posteriori autem libri suscepto episcopatu conscripti. Epistolas in Retractationibus S. Pater nequaquam recensuit, quod facere cogitaverat; quoniam ad refellendos posteriores octo libros Juliani compulsus fuit, in quibus refutandis absolvit postremam vitæ periodum. Sed hoc Retractationum Opus sæpenumero laudavimus de libris ceteris differentes. Profecto hæc duo, *Confessionum*, ac *Retractationum* opera aliis præmitti solent, quod illud Auctoris excellentissimi specimen exhibeat; istud vero sit universorum librorum, quos egregius Doctor lucubravit, synopsis quædam, vel census.

CAPUT LXVIII.

Operum Augustini recensentur Epitoma, & Collectiones nonnullæ a viris doctissimis pro variis scientiarum generibus elucubratæ.

IGitur hæc sunt Augustini *Opera* sententia fere omnium Scriptorum recepta: nam spuria, & gravi ex causa in dubium revocata, ex indice inferius producendo dignosci poterunt. Horum autem Operum epitomen ediderunt Joannes Piscator, & Matthias Hauxer Ordinis Minorum, qui & librum inscriptum, *Anatomia* Augustinianæ doctrinæ summa diligentia elaboravit. Prodiit vero *Epitome* Piscatoris Coloniæ anno 1539. *Epitome* Hauxerii anno 1646. Parisiis, & *Anatomia* Leodii anno 1648. Ex iisdem Augustini libris collegit S. Prosper *sententias* n. 390. illustriores, quæ habentur in fine tomi X. Operum Augustinensium. Earumdem sententiarum plures idem

Pro-

Prosper redegit in *epigrammata*, quæ non tantum locum habent inter Opera Prosperi seorsim edita, & tomo VIII. Bibliothecæ Patrum editionis Lugduni, verum etiam inter carmina Aurelii Prudentii in eleganti editione Aldi Romani. Abbas quoque Eugipius *Thesaurum* ex Augustinianis libris collegit, anno 1542. impressum Basileæ, & rursus Venetiis anno 1543. Bonizo Placentinus Episcopus, qui floruit circa annum 1080. conscripsit opus, cui titulus, *Excerptum sententiarum Mirifici Doctoris Augustini*, nondum editum. Guillelmus Abbas S. Theodorici, qui claruit circa annum 1160. composuit *Collectaneorum opus* ex libris Augustini, quod Oudinus tomo I. pag. 992. ait a se transcriptum ex autographo. Singularum verò scientiarum Studiosi ex solius Augustini libris possunt multum adjumenti capessere. Nam ut silentio prætercam, quæ supra diximus de artibus liberalibus Augustini diligentia illustratis, librosque aut Grammaticæ, aut Rhetorices, quorum ille extat quoque inter veteres Grammaticos Putschii, & iste inter Rhetores Pithœi, imo ut omnia Augustini scripta, sive germana sint, sive dubia rursus legentium oculis non subjiciam; non defuerunt viri doctissimi, qui ex unius Augustini Operibus omnium fere scientiarum rudimenta collegerunt. Nam Philosophicæ Institutiones in usum præsertim eorum, qui Theologicis sacrisque disciplinis dant operam, sub titulo *Philosophiæ Christianæ*, excusæ fuerunt Parisiensibus typis anno 1664. ac disputatrix illa Philosophia, quæ in Scholis obtinuit, Augustini præsertim testimoniis ac munimentis firmata, sex comprehensa parvis voluminibus studio Benedicti a S. Jacobo Augustiniani excalceati in lucem prodiit Mediolani anno 1662. Theses quoque singulas Philosophicas Augustini auctoritate adnixus est communire Fridericus Gavardi in sua *Philosophia vindicata* edita Romæ anno 1701. Verum quidquid sit de Philosophicis præceptionibus; qui navant operam Scholasticæ Theologiæ, ut in Breviario Romano die 28. testatur Ecclesia, Augustinum ducem, ac præceptorem sequuntur. Etenim libri IV. *Sententiarum* a Petro Lombardo magna diligentia conscripti, ex libris præsertim Augustini, ut legentibus constat, collecti fuerunt. S. Thomas Scholasticorum princeps, & Ægidius Romanus nunquam ab Augustino discesserunt, ejusque verbis afferta quælibet sua com-

comprobarunt: Scotus ob ingenii acumen *Subtilis* Doctor cognominatus in disputationibus suis Augustinum laudavit 815. vicibus, & omnium fere conclusionum suarum fundamenta in Augustini auctoritate constituit, ut ex Historia Ordinis scripta a Petro de Campo lib. 3. cap. 3. atque ex Concentu Euchologico P. Macedi pag. 439. potest unusquisque percipere. Eo loci demonstratur, quali studio omnes alii Scholastici Augustinum prosequantur. Cumprimis vero ejus doctrinam propugnant qui de Christi gratia disserunt, nec majorum præjudiciis abripiuntur. In hoc enim Sacræ doctrinæ genere inveniuntur diligenter collectæ ex Augustini libris contra Pelagianos sententiæ tomo 2. Operum Agobardi, ac tomo item 2. Operum Jacobi Sirmondi. Clemens VIII. Pontifex Maximus in Congregationibus *de Auxiliis* præcipua Augustini de Gratia Christi dogmata solerter collegit, jussitque ut ad ea, tanquam ad Lydium lapidem, dirimerentur singulæ controversiæ. Scriptum autem Clementis VIII. propria ipsius manu firmatum apud nos custoditur in Archivo Angelicæ Bibliothecæ, nec differt ab eo, quod in lucem emisit auctor Operis, *Tradition de l'Eglise Romaine sur la Predestination des Saints, & sur la Grace efficace*, Coloniæ anno 1687. tom. 2. pag. 107. & Hyacinthus Serry Ordinis Prædicatorum in Historiæ *de Auxiliis* Appendice. Collegit quoque consimiles Augustini sententias, vulgavitque Parisiis anno 1644. Illustrissimus Archiepiscopus Senonensis Octavius de Bellegarde, præfixo titulo, *Augustinus per seipsum docens Catholicos & vincens Pelagianos*. Quoniam vero heterodoxi ob maximam Augustini auctoritatem illius testimoniis abuti solent, edidit *Confessionem Augustinianam*, in qua verbis Augustini refelluntur placita omnium novatorum, Hieronymus Torrensis S. J. præclarum utique Opus, impressum Dilingæ anno 1569. ac Parisiis anno 1572. & 1580. Quamtum itidem Augustino deferant sacrorum Canonum periti, ne tempus teram commemorando Arausicani, aliorumque Conciliorum definitiones, Augustini verbis contextas, colligi potest ex uno Compilatore *Decreti* Gratiano. Rursus pro instituendis formandisque Christianis moribus saluberrima Augustini documenta in unum Corpus diligentissime collecta, & per singulos anni dies distributa fuerunt cura, & studio Felicis Mayr Instituti nostri pii, doctissimique scriptoris,

ptoris, qui Monachii anno 1727. edidit in lucem Opus inscriptum, *Divus Augustinus Vitæ Spiritualis Magister*, recusum Romæ anno 1732. & rursus Venetiis cum Italica interpretatione. Insuper pro religiosis viris Augustini *Regula* cum separatim, tum adjunctis expositionibus Simonis Werlini, Hugonis a S. Victore, & Venerabilis Alphonsi de Orosco, in lucem producta fuerunt nec tantum Latine, sed & Italice Florentinis typis anno 1630. Bononiensibus 1671. ac Romanis una cum institutione Monialium S. Catharinæ, anno 1638. Hispanice cum Ordinis Constitutionibus per Franciscum de Aviles, Barcinonæ anno 1619. necnon Gallice cum Chronologia Ordinum eamdem Regulam profitentium, opera Athanasii a S. Agnete, Lugduni ann. 1643. Ipsam Augustini *Regulam* Sanctum Cæsarium, Sanctum Franciscum Salesium, aliosque vel monachorum, vel sanctimonialium institutores inseruisse Præceptionibus suis, eamdemque amplexos fuisse supra triginta Religiosorum virorum Familias, omnes Augustiniani Historici litteris tradiderunt. Præterea sese in orandi consuetudine exercentibus nullus Auctor proponi potest utilior, quandoquidem quidquid suis in precibus petit S. Mater Ecclesia, vel ab ipsa Augustini verbis exprimitur, vel Augustinus eidem mirabili conformitate semper adhæsit: prout ostendit vir in Augustiniana lectione exercitatissimus Franciscus Macedo in Opere inscripto, *Concentus Euchologicus*, impresso Venetiis anno 1668. Præterea nullum fere in sacrorum librorum volumine locum adinveniri, quem S. Augustinus expositione luculentissima non complanaverit, apparet ex *Commentariis in universa Biblia*, quos ex libris Augustini collegit Joannes Gastius, editis Basileæ anno 1542. necnon ex Opere, cui titulus, *Biblia Augustina*, quod labore improbo exornavit David Lenfant sacri Ordinis Prædicatorum, & duobus prægrandibus voluminibus in lucem emisit Lutetiæ Parisiorum anno 1662. Narrat Cassiodorus Petrum Abbatem Tripolitanum ex solius Augustini scriptis commentaria in Pauli epistolas tanto artificio edidisse, ut illorum Commentariorum auctor videatur ipsemet Augustinus: idemque postea factum a Beda, atque a Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono, ait in Tractatu de studiis Monasticis pag. 2. cap. 3. doctissimus Joannes Mabillon. Quid vero dicendum de Evangelicis, sacrisque concionibus? Sane

Sane Augustinum sonant libri omnes de his pertractantes : sed ex unius Augustini scriptis amplissimam pro Concionantibus Bibliothecam aperuit Joannes Baptista Masculi Societatis Jesu , in Opere cui titulus , *Ponderationes Concionales*, quod in lucem prodiit Neapoli anno 1652. Denique nulla fere res est, de qua S. Pater non egerit, ut constat ex ipsius *Milleloquio*, librorumque suorum *Concordantiis* . Milleloquium lucubravit Bartholomæus Urbinas , auxitque Joannes Collierius, formam proinde nactum ab Augustiniano Eremita , & a Theologo presbytero locupletatum . In lucem prodiit typis Parisiensibus anno 1645. & 1649. post editionem Lugdunensem anni 1555. *Concordantias* elaboravit , edidítque in lucem Lutetiæ anno 1656. duobus tomis David Lenfant , quem paulo antea laudavimus . Jure autem , meritoque Opere hujus generis , quo sacrorum librorum thesauri nobis aperiuntur , patefiunt universis uberrima S. Patris eloquia, qui post Prophetas, & Apostolos , primus dispensandi verbi Dei gratia refulsit , ut legitur in Breviario Ordinis die 28. mensis Augusti , qua solemnis Augustini memoria celebratur, & colitur.

CAPUT LXIX.

Non tantum conscribendis libris, sed etiam virtutibus exercendis Augustinus sese totum applicuit .

POst librorum Augustini enumerationem agendum est de variis illorum editionibus: sed cum id statuere debeat finem iis , quæ de Viro sanctissimo ac sapientissimo dicenda occurrunt, opportunum videtur nonnulla præmittere de illius virtutibus , obitu , translationibus , laudibus, ac postremo de memoratis editionibus , librorumque omnium prædictorum Indice , ac partitione. Neque enim Augustinus sapientiæ tantum , non vero virtutum laude , & splendore coruscat . Nam humilitatem, quæ fundamentum est ceterarum , commendant primum quæ gessit , ut Præsbyteri , & Episcopi dignitatem sibi delatam effugeret . Ægre tulit scribi nomen suum ante Episcopos alios ; sigillo in signandis epistolis usus est exhibente in annulo faciem hominis attendentis ad latus, signo quocunque alio neglecto; Deum exoravit, ut nullam ei unquam reve-

velationem nullumque signum impertiretur; optabat potius veritatem cum omnium vituperatione, quam errorem cum omnium hominum plausu; cogitavit abscedere ab officio gerendi Episcopatus, quoniam suffragatus fuerat cuidam Episcopo, qui postmodum male Episcopatum exercebat; peccata erroresque suos præsentium oculis, & posterorum memoriæ scriptis voluminibus patefecit; detractiones improborum, hæreticorum insidias, ægritudines, injurias, aliaque vitæ hujus incommoda invicte, & absque ulla prorsus querela perpessus est; ac extremo morbo decumbens accedenti ad se ægroto, ut sibi manus imponeret, respondit, si aliquid in his posset, sibi hoc primitus præstiturum. Paupertatem adeo coluit, ut jam ab anno ætatis suæ undevicesimo, lecto Ciceronis Hortensio, divitiarum contemptum induerit, quod postea ardentius fecit exemplo Christi; vestem, byrrhum, & quodcumque aliud indumenti genus, quod fratribus non esset commune, abjecit atque contempsit; aspernatus est opum affluentiam, nec Leporium nobilem ac divitem inter suos excepit, nisi post bona omnia in pauperes erogata effectum inopem atque egenum; recusavit Januarii hæreditatem, tabulas donationum libenter reddidit, ac morti proximus testamentum nullum fecit, quia unde faceret, Christi pauper non habuit. Moderatio autem Augustini prorsus mirabilis. Ejus vestes nec nitidæ, nec abjectæ plurimum; vasa, quibus mensæ cibi inferuntur, aut lignea, aut testea, aut lapidea, & cochlearia tantum argentea; mensa frugalis, & parca, positis inter olera & legumina carnibus propter hospites: numerus præfixus poculorum; inter edendum lectiones, sive disputationes, procul autem detractiones omnes, ad quas cohibendas adscripti in triclinio versus alibi laudati: fœminæ, quantalibet sibi consanguinitate propinquæ, nunquam in domum receptæ; adhibiti, quotiescunque rogatus illas inviseret, aut admitteret salutaturas, adstantes arbitri: illarum per litteras optima institutio, quam exhibent ad Julianam, Aniciam, Probam, Italicam, Seleucianam, Sapidam, Ecdiciam, & Florentinam epistolæ. Qualis in Deum fuerit, demonstrat flagrantissima ipsius charitas, hanc vero perpetuus ignis in ejus verbis ardescens, suspiria vehementia quod Deum sero amaverit, petita ex omnium rerum contemplatione sanctæ caritatis argumenta, propositum agen-

di, & dicendi omnia *amore amoris*, cunctorum operum in summum bonum relatio, mira in omni de Deo sermone jucunditas & suavitas, divini honoris contra paganorum calumnias vindicatio, indefessus pro fide Catholica labor, meditata, ne Deum offenderet, in solitudinem fuga, secura ac certa supernæ dilectionis conscientia. Ejus præterea in omnes homines singularem benevolentiam testatur amor in suos; quibuscum ita se gessit, ut omnia ageret pia intentione simul in Christo vivendi: omnes ad beatitudinem adducere studuit, solitus asserere hoc unum sibi desiderium inesse: exultabat de bonorum profectu, pie ac sancte indisciplinatos tolerabat, ingemiscebat super malorum iniquitatibus, *Dominicis lucris*, ut utar verbis Possidii cap. 18. *semper gaudens, & damnis mærens*. Confirmat eamdem benevolentiam magna in pauperes liberalitas: consuetum quippe, & usitatum illi fuit eis erogare ex reditibus Ecclesiæ, & oblationibus fidelium; dum non erat quid indigentibus distribueret, id Christiano populo denuntiare, propter captivos, & indigentes frangere sacra vasa, & in pecunias conflare, admonere in concionibus populum de neglecto a fidelibus gazophylacio, unde altari & egentibus inferebantur necessaria; conqueri demum verbis, & epistolis pristinam charitatem refriguisse, ac fideles devestiendis alendisque pauperibus minus esse sollicitos. Superat quoque hominum fidem Augustini in adhortationibus & correctionibus adhibendis incredibilis mansuetudo, in Sanctos, inter quos coluit singulari veneratione Protomartyrem Stephanum, religio, in prædicatione verbi Dei tum Hippone regio, tum Carthagine, quotiescunque in eam urbem se conferebat, studium assiduum, in scribendo, & in docendo labor incomparabilis: quæ omnia nec satis mirari, nec digne possumus celebrare. Dum ergo in libris edendis, cum in exercendis virtutibus Augustinus supra quam dici possit, excelluit, ac bene de illo summus Pontifex Pius II. apud Torellium ad annum 430. num. 23.

Barbaricæ gentis Decus, Augustine, perenne
Horrida quem nobis Africa terra tulit.
Qui scripturarum profers arcana sacrarum,
Eloquiis referens abdita cuncta tuis,
Doctior, ingenuaque omni cultissimus arte,

Et studio præstans, ingenioque nitens;
Quem nihil obscurum latuit, sed & omnia florent
Atque humana simul dogmata, & alta patent.
Cujus & instruimur doctrinis, atque monemur
Exemplis, probitas cujus in orbe micat.
Millia librorum per te, Pater alme, leguntur
Edita, quæ promunt quidquid ubique latet.
Sis cunctis fautor pius, o Sanctissime Præsul,
Atque Dei summas offer ad alta preces.

CAPUT LXX.

De Augustini morte, & quando, & quomodo evenerit,

TAlibus exercitamentis litterarum pietatisque ad extremum usque spiritum, Augustinus deditus miserrimam hanc vitam in sempiternam beatitudinem commutavit. Barbaros in Africam erupisse anno 427. scripsimus num. 55. Ex Hispania in Africam a Bonifacio primum Tribuno, deinde Comite vocati fuerunt, cui publico nomine bellum illatum fuerat, quod ejus potentia & gloria intra Africam nimis augeretur, Ætii simultate, & invidia, quemadmodum libro primo de Bello Vandalico scribit Procopius. Idem Bonifacius amicorum officiis Imperio, & Placidiæ Augustæ restitutus, quum ex Africa Vandalos tentaret expellere, id consequi nullatenus potuit. Quare S. P. Augustinus epistola 220. ad eumdem Bonifacium, alias 70. scripta circa exitum anni 427. ita illum alloquitur num. 7. *Quid autem dicam de vastatione Africæ, quam faciunt Afri barbari resistente nullo, dum tu talibus necessitatibus occuparis, nec aliquid ordinas, unde ista calamitas avertatur*. Conqueritur deinde Augustinus, quod ab ipso Bonifacio Comite constituto cum magno exercitu ac potestate tanta barbarorum vastatio non cohibeatur: ait forte Bonifacium responsurum, hoc non sibi imputandum esse, sed illis, qui virum læserunt, ejusque officiosis virtutibus non paria, sed contraria reddiderunt; sed causam aliam magnæ illius calamitatis Augustinus ipse producit, hominum nempe peccata. Intelligimus ex eadem epistola num. 3. Bonifacio fuisse ali-

quando propositum serviendi Deo in monachatu: atque hinc erudimur, plurimum de iis timendum, qui Deum vocantem non audiunt. In gratiam tamen a Placidia receptus, & Augustini litteris commonefactus nihil reliquit intentatum, ut hostes, cum quibus societatem inierat, ad discedendum ex Africa precibus, ac promissis impelleret: quod cum negarent, ac de violato fœdere quererentur, illos ferro aggredi coactus est. At prælio lacessitus, ac victus Hipponemregium, tunc urbem Africæ munitissimam confugere ibique se defendere deliberavit. Contigit id anno Christi 430. Hipponem Vandali sub Genserico Rege eodem anno obsederunt ineunte mense Junio, aut Majo exeunte. Augustinus ut refert cap. 29. Possidius Deum enixe rogabat, ut civitatem ab hostibus circumdatam liberaret, aut si aliud ei videretur, servos suos ad tolerantiam armaret, aut certe seipsum ex hoc seculo eriperet. Hoc a Deo consecutus tertio illius obsidionis mense decubuit febribus: hujusque ægritudinis tempore Psalmos, quos Pœnitentiales vocant, in quaternionibus scriptos, & e regione ad parietem appensos, jacens in lecto intuebatur, & legebat, jugiter ac ubertim collacrymans. Ita membris omnibus incolumis, integro adspectu atque auditu, adstantibus & videntibus, ac pariter cum eo orantibus fratribus, v. Kalendas Septembris, Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss., anno Dominicæ Incarnationis 430. ætatis autem suæ 76. obdormivit in Domino. De hoc Augustini obitu ita Victor Vitensis lib. I. Persecutionis Vandalicæ cap. 3. *Qua tempestate Hipporegium obsessa est civitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus, librorum multorum confector, pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata in amaritudinem absynthii versa est, ut Davidicum præconium conveniret:* Dum consisteret peccator adversum me, obmutui & humiliatus sum, & silui a bonis: *Usque ad illud tempus ducentos jam & triginta duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii & Evangeliorum, atque Tractatibus popularibus, quos Græci homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est* Similia leguntur in *Chronico Brevi* addito prædictæ Historiæ a Cl. Ruinartio, pag. 113. Cetera, quæ narravimus, ex Pos-

sidio

ſidio cap. 29. & 31. fuerunt exſcripta. Annum vero Auguſtini emortualem ex *Chronico* Proſperi, aſſentientibus Noriſio, Pagio, Tillemontio, Maurinis Patribus, ceteriſque viris doctiſſimis, conſignavimus.

C A P U T LXXI.

Agitur de Oratione, quæ incipit, Ante oculos tuos, Domine.

FErtur obſidionis tempore, & paulo ante obitum edidiſſe Auguſtinus Orationem illam, quæ incipit, *Ante oculos tuos, Domine*, opus revera, quod S. Patris ſalivam habet, & ex anima in anguſtiis, & in tribulationibus poſita exiit, ad divinam indignationem avertendam directa. Sed quoniam *Urbani VIII.* in Breviariis, quibus additur, & ad ipſam Apoſtolorum Confeſſionem in Vaticana Baſilica, nomen præfert, arbitror quædam breviter adnotare. Eamdem ergo orationem Auguſtino adſcribunt Scriptores Ordinis, Ludovicus de Angelis libro 6. cap. 2. Joannes Rivius libro 4. cap. 11. §. 2. Bartholomæus Urbinas in Milleloquio V. *Tribulatio*, Angelus Rocca tom. 1. pag. 503. aliique omnes. Lovanienſes itidem tanquam Auguſtini fætum agnoverunt, eamque edi curarunt in fine ejus Vitæ hac admonitione præfixa, *Oratio S. Auguſtini paulo ante obitum in obſidione compoſita, ſuis operibus non contenta, a Cardinali Seripando Patribus Concilii Tridentini data*. Eamdem Auguſtino tribuunt Franciſcus Macedo in Concentu Euchologico pag. 471. atque in adnotationibu ſuis ad Poſſidium in Vita Auguſtini cap. 28. Joannes Salinas Canonicus Regularis. Quoniam vero hi omnes aſſerunt eamdem orationem primo traditam, & vulgatam a Cardinali Seripando; ſciendum eſt, a viro hoc præſtantiſſimo non ſolum in Tridentino Concilio publicatam, ſed antea quoque miſſam ad Salernitanos ſuos, ut illa in hujus vitæ adverſitatibus uterentur; quod Seripandus ipſe narrat in Concione duodecima ſupra Symbolum pag. 243. Romanæ editionis anni 1585. Laudatæ concioni Seripandus attexuit expoſitionem ipſius Orationis eloquentiſſimam & pulcherrimam, præfixo eidem hoc titulo: *Diſcorſo ſopra un' Orazione, la quale fece Santo Agoſtino, eſſendo*

aſſe-

assediato col suo popolo nella Città d'Hippona da infedeli, ibidem pag. 244. Quum hæc scripserit Seripandus longe ante Urbanum VIII., evectum ad Petri Cathedram anno 1623. VIII. idus Augusti; imo ante Pontificatum Urbani, idest, anno 1614. in lucem emiserit Vitam S. Patris Conimbricæ Ludovicus de Angelis; evidentissimum est, orationem, de qua est sermo, non fuisse ab eodem Urbano compositam. Adde illam reperiri inter Opuscula Augustini MSS. in Angelica Bibliotheca, cum aliqua etiam quarumdam vocum variatione: ea vero MSS., ut ut posteriorum temporum reputentur, certe & Urbani, & Seripandi ætatem superant alicujus sæculi intervallo. Nec vereor, quin Seripandus cum doctissimus & eruditissimus foret, alia MSS. vetustiora perlegerit, quorum ductus auctoritate, Augustino prædictam orationem adjudicaverit. Felix quoque Milensius vir instituti nostri Eremitici doctus, piusque, in Opusculo de hac oratione conscripto, ac primum in lucem edito Romæ anno 1598. deinde Neapoli anno 1635. de illa accurate agit, collatis cum unoquoque hujus orationis versiculo verbis, sententiisque Augustini aliunde depromptis: unde apparet ipsam orationem Augustino tribuendam fore, tanquam ex ejus libris collectam, tametsi non haberet ad hunc modum disposita auctorem ipsummet Augustinum. In secunda item editione memorati Opusculi Milensius Orationem hanc dicavit *Urbano VIII.* ei præmissis litteris grati animi sui significationem exprimens, quod summus Pontifex commendaret plurimum orationem illam, quam S. Pater Augustinus, animi oppressus amaritudine, composuit in Obsidione Hipponensi: quod nunquam Milensius scripsisset, si auctor Orationis fuisset Urbanus. Denique in Breviariis titulum hunc præferebat, *Oratio S. Augustini jussu Urbani VIII. edita*, non ut habetur modo *Oratio ab Urbano VIII. edita*. De hac Oratione, quam Auctori suo vindicavimus, ait præcitato in loco Franciscus Macedo, illam *rite concipi, & recitari in Perusino Cœnobio Augustiniano singulis sextis feriis per annum*. Eam quoque Fratres nostri ante Crucifixi imaginem iisdem sextis feriis devote recitant Veronæ, Bononiæ, Florentiæ, aliisque in locis compluribus, Romæ autem in Choro singulis Sabbatis. Illam ad hymnorum metrum redegit Taddæus Caputus Laurinensis, & in carmen hexametrum Scriptor a Gandulpho commemoratus pag. 381.

pag. 381. Italico etiam carmine illam expresserunt prælaudatus Milensius, Ludovicus *de Casa*, & Franciscus Maria *Battaglia*, primus octenis, alter ternis, ultimus binis pro qualibet periodo versibus. Milensii carmina hoc rithmo constant:

Questi, nati fra l' ozio, odiosi al Sole
Loschi mostri, o Signor, di vita indegni,
D' empio cuor, di ria carne, infetta prole,
E d' mare dolcezze, effetti, e pegni:
Queste colpe iterate, e queste sole,
Che t' han sospinto a i tralasciati sdegni,
Chi fia, che più ritegna, o fra quai ruote,
S' egli Inferno non è, chiuder le puote.

Alterius versio hujus est generis:

A Te, del Mondo afflitto unica speme,
Presentiamo, o Signor, mesti e dolenti
Le nostre colpe, ed i gastighi insieme.

Versio demum tertia istius est rythmi:

Ecco, o Signor, che avanti agl' occhi vostri
Mettiam le piaghe tutte, e i falli nostri.

Sunt & aliæ orationes permultæ, quæ sub Augustini nomine circumferuntur, ut de Passione Domini, quæ incipit, *Deus, qui pro redemptione mundi:* de qua, & de indulgentiis a Bonifacio VIII. concessis eam recitantibus legendi Lovanienses in fine Appendicis tom. x. Operum Augustini, & Ludovicus de Angelis lib. 6. cap. 2. pag. 160. 2. editionis Parisiensis: nam de his omnibus singillatim differere inutile, ac tædiosum opus videretur.

CAPUT LXXII.

De litteris Theodosii Augustinum ad Ephesinam Synodum invitantis.

Vix ad superos emigraverat Augustinus, quando Theodosius Imperator mortem ejus igorans ipsum ad Generale Concilium Ephesinum anno 431. contra Nestorianam hæresim celebratum, peculiari Sacra invitavit. De hac Imperatoris Di-

Divali (a) ita Liberatus Diaconus Carthaginensis in Breviario cap. 5. *Scripsit Imperator Sacram & Beato Augustino Hipponensi Episcopo per Ebagnium Magistrianum, ut ipse Concilio præstaret suam præsentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam audivit a Capreolo ipsius urbis Antistitem B. Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum: acceptisque ab eo ad Imperatorem litteris loquentibus de obitu Augustini, Constantinopolim, unde venerat rediit. Porro Capreolus Archiepiscopus propter impetus Vandalorum Africanas regiones obsidentium, universale non valens congregare Concilium, Vessulam Diaconum suum misit Ephesum ad Concilium legatum.* Animadvertit Eminentissimus Baronius ad annum 430. num. 74. in vetustis Liberati Codicibus pro *Capreolo* mendose legi *Campulum*: sed apertum satis est, *Capreolum* esse legendum, ut habet revera Breviarium Liberati Tom. V. Conciliorum Labbæi pag. 744. atque ita legerunt ex nostratibus Joannes Rivius lib. 4. cap. *9.* §. 10. Cardinalis Norisius lib. 2. Hist. Pelagianæ cap. *9.* aliique. Servantur adhuc Capreoli litteræ, non quidem ad Theodosium, sed ad omnes Episcopos, qui ad Concilium Ephesinum convenerant, atque habentur eædem litteræ tom. 3. Conciliorum prædictæ collectionis Labbeanæ pag. 52*9*. ibique hæc inter alia leguntur. *Primum enim Domini, & filii nostri religiosissimi Theodosii Imperatoris litteræ ad manus nostras perlatæ, ejusmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris & coepiscopi nostri Augustini præsentiam peculiari ratione efflagitabant. Verum cum eæ litteræ illum jam tum e vivis excessisse comperissent, ego regiam illam significationem, licet ad prædictum Augustinum præcipue destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africæ provincias congruis litteris, consuetisque sermonibus, synodum cogere volui convenientem; quo nimirum ex fratrum & Episcoporum nostrorum numero seligerentur nonnulli, qui ad venerabilem Beatitudinis vestræ synodum destinarentur. At omnis hac tempestate viæ aditus præclusus est. Etenim effusa hostium multitudo, & ingens ubique provinciarum vastatio, quæ incolis partim extinctis, partim in fugam actis, miseram desolationis speciem, quoquo versum longe late-*

(a) *V. Magrium, in V. Divalis.*

lateque porrigitur, oculis offert, promptam illam veniendi facultatem reprimit. His itaque impedimentis episcopi, quibus propositum id erat, prohibiti, ex Africæ ambitu simul convenire nequiverunt. Hisce incommodis accedebat litteras imperatoris in diebus Paschæ ad nos perlatas esse, quando jam inde usque ad universalem venerandam synodum vix duorum mensium spatium superarat. Quod sane temporis intervallum etsi nulla impræsentiarum ab hostibus difficultas fuisset objecta, vel ad Africanam synodum cogendam vix satis erant. Hinc factum est, ut licet solemnem aliquam legationem mittere nequaquam voluerimus; attamen propter reverentiam & observantiam, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ debetur, filium meum Vesulam Diaconum una cum his excusationis litteris ad vos, Venerabiles Fratres, destinaverimus. Hæc Liberati & Capreoli verba satis superque demonstrant S. Patrem Augustinum Divali epistola & peculiari legatione ad œcumenicam synodum fuisse vocatum; simulque ostendunt obitum Augustini contigisse ante hanc synodum; ad quam celebrandam in Sanctæ Pentecostes solemniis prædicto anno 431. sacra Imperatoria ad Cyrillum scripta XIII. Kalendas Decembris Consulibus Theodosio XIII. & Valentiniano III.; idest præcedenti anno 430., Episcopos hortabatur. Atque id annum Augustini emortualem, quem signavi præcedenti num. 70., manifestissime indicat, & confirmat. Theodosii ad Augustinum litteras a se adinventas in celebri Bibliotheca S. Justinæ Patavii, scribit Hieronymus Romanus lib. II. Hist. Aug. cap. 43. qui ulterius easdem litteras a Græca in Hispanicam linguam translatas Chronicis a se lucubratis inseruit. Deinde ex idiomate Hispanico Latine eas reddidit Ludovicus de Angelis, illasque produxit libro V. Vitæ S. Augustini cap. 16. Insuper latinitate donatas a Ludovico de Angelis exscripserunt ceteri Ordinis Historiographi, & Gallorum lingua vulgavit Simplicianus a S. Martino in Vita S. Patris pag. 76. Facile itaque eædem litteræ ipsas perquirentibus occurrent, Latine, Hispanice, Gallice. Verum non levis est controversia, num genuinæ sint, num apocryphæ: censentque prorsus apocryphas Joannes Rivius, & Cardinalis Norisius in locis paulo supra laudatis; atque Rivio, ac Norisio subscribunt num. 691. Bollandiani. Sunt vero suppositionis harum litterarum notæ, quæ sequuntur. Primo Sacra Imperatoria ad Augustinum scri-

pta dicitur *IV. Idus Augusti Coss. Basso & Antiocho*, idest, anno 431. quando Synodus indicta fuerat pro initio mensis Junii, seu pro festo Pentecostes ipsius anni; & Sacra ad Cyrillum conscripta fuit, ut constat ex dictis, anno superiori 430. die 19. Novembris. Deinde illarum litterarum stylus est humilis, abjectus, nec redolens Theodosianam epistolam. Insuper in his litteris S. Cœlestinus Romanus Pontifex *Sanctissimus*, & *Dominus* appellatur contra illorum temporum consuetudinem; tunc enim Imperatores *Sanctissimum Dominum nostrum* nunquam Pontificem appellabant; sed potius Pontifices appellabant *Dominos* Imperatores, ut passim legitur in epistolis Zosimi, & aliorum. Præterea legitur in iisdem litteris indictam Synodum *a Pontifice*, quando non Cœlestinus, sed Imperator sacra Divali Synodum ipsam indixit, ut constat ex epistola 23. S. Leonis ad Theodosium, ex epistola Cœlestini ad eumdem Imperatorem, atque ex epistola ejusdem Ephesinæ Synodi ad Cœlestinum: & demum ex epistolis Cyrilli ad Synodum; quas omnes epistolas libro 2. H. Pelag. cap. 9. producit Norisius ad demonstrandum Ephesinam Synodum fuisse indictam a Theodosio, ideoque Divalem ad Augustinum scriptam, in qua legitur Concilium coactum a Cœlestino, esse prorsus apocrypham. Ego tamen anceps nuto, & litterarum Theodosii traductionem imperite a Viro parum Græcæ linguæ gnaro factam puto, eas autem omnino suppositas nequaquam credo. Nam Augustino missam Theodosianam epistolam, ut præsentia sua Synodo Ephesinæ interesset, Liberatus, & Capreolus diserte affirmant: cur autem impostor aliquis ausus esset Græcas Theodosii litteras fingere, confictasque in pluteis Bibliothecarum recondere, cum nil commodi hæc impostura auctori suo posset afferre, ego quidem divinare non valeo. Hieronymum item Romanum hanc cudisse fabulam, cum ingenuus esset, & nil novum, aut incompertum in his litteris contineatur, nec suspicari fas est. Quid demum in ea Theodosii epistola continetur? Augustinus ad Synodum Ephesinam ab Imperatore invitatur: quod factum fuisse nemo ambigit. Afferitur ad Augustinum jussu Imperatoris missum, & profectum fuisse in Africam Ebagnium Magistrianum; atque id scribit Liberatus in Breviario. Commendatur Augustinus ob doctrinæ excellentiam, & ob devictos hæreticos Pelagianos:

quod cum esset toto orbi notissimum, Theodosius non poterat ignorare. Neque enim S. Augustinum speciali legatione condecorasset, & ad synodum arcessisset, nisi celeberrima ejus fama ad aures usque Augustorum pervasisset. Ob hæc itaque Theodosianam epistolam esse omnino confictam, mihi persuadere nequeo. Videamus nunc, quid habeant ponderis allatæ suppositionis notæ. In prima oportet distinguere diem ac mensem a Consulum adnotatione. Quod ad Consules spectat, dico Theodosium indixisse quidem Synodum Ephesinam Sacra ad Cyrillum data prope finem anni 430. Coss. Theodosio XIII. & Valentiniano III. sed divalem ad Augustinum scriptam fuisse initio anni 431. Coss. Basso & Antiocho, inde constat, quod Ebagnius Magistrianus Carthaginem cum ea divali pervenit duobus tantum mensibus ante Synodum, & circa Paschæ solemnitatem. Quare Sacra, qua universim episcopi invitabantur ad Synodum, data est labente anno 430. Coss. Theodosio XIII. & Valentiniano III. Sacra autem, qua peculiari ratione invitabatur S. P. Augustinus data est ineunte anno 431. Coss. Basso & Antiocho. Non ergo in divali, de qua agimus, falso apposita sunt Consulum nomina. Mensis vero & dies male, & imperite notantur; idque etiam Cornelius Curtius in Elogiis, & Aloysius Torelli ad annum 431. num. 3. prænotarunt. Verum id amanuensis inscitiæ, aut interpretis oscitantiæ tribuendum est: ac fortasse is primam Græci Alphabeti litteram A quæ nota est numeralis, tanquam mensis indicium accepit. Nec mirum amanuenses, ac interpretes aliquando halucinari, & mensem pro mense, diem pro die consignare: cum & ipse Norisius eodem in loco, in quo Divalem hanc exagitat & oppugnat, idest, lib. 2. H. P. cap. 9 tom. 1. pag. 358. scribat litteras pro Synodo cogenda ad Cyrillum datas XIII. Kal. Novembris, quum datæ fuerint XIII. Kal. Decembris, ut constat ex Tom. 3. Concil. Collect. Lab. pag. 440. Ad secundam suppositionis notam respondeo nil mirum, stylum Theodosianarum litterarum esse abjectum ac demissum, quum ex Græco in Hispanicam linguam, ex Hispanica in Latinam translatæ fuerint, atque in hujusmodi versionibus pristinum florem amiserint: unde & Norisius citato in loco de styli objectione loquens, *Vitio*, inquit, *interpretis deputetur*. Ad tertiam notam reponimus, nil mirum, S. Cælestinum dici a

Theodosio *Sanctissimum*, cum Theodosius suis in Epistolis Sanctum quoque Cyrillum, immo & hæresiarcham Nestorium, *Sanctissimum, ac piissimum* appellaverit. *Domini* autem Vocabulum ab interprete additum non inficior. Ad notam suppositionis postremam primo dicimus falsum esse, quod Ephesina Synodus non fuerit indicta a Cælestino, & Thoedosii Divales non fuisse dumtaxat executorias mandati Apostolici. Oppositum enim demonstrat Christianus Lupus Differt. de Synodo Ephesina cap. 2. & Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 13. Deinde in epistola Theodosii ad Augustinum non tantum asseritur spectasse ad Cælestinum cogere concilium, & ingruenti Ecclesiæ malo afferre remedium; sed ulterius asseritur, ad ipsum Theodosium pertinuisse omnia agere, quæ conferunt ad Catholicæ fidei defensionem: hinc pendere incolumitatem imperii: eam ob rem imperatoria Divali Augustinum ad Synodum invitari; hujusmodi convocatorias epistolas conscribendo agere Theodosium, quod Constantinus, avusque suus pro viribus præstiterunt; quæ sane conformia sunt iis, quæ habentur in litteris Theodosii ad Cyrillum. Hæc de epistola religiosissimi Imperatoris ad Augustinum; quam sive recipias, sive explodas, parum interest; cum honor Sancto Parenti a Theodosio collatus non in ea tantum epistola, sed in monumentis aliis indubiæ fidei, scilicet in Breviario Liberati, & in litteris Capreoli commemoretur, ac describatur.

CAPUT LXXIII.

De Corporis S. P. Augustini duplici Translatione.

REvertatur oportet ad Augustinum oratio nostra; enimvero illius commemorato obitu, nil ulterius de exanimi illius corpore narratum est. Ejus morte descripta Possidius cap. 31. ita paucis verbis sepulturam comemmoravit: *Nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.* Locus sepulturæ eo loci a Possidio non significatur; at in Opusculo de illius Translationibus edito a Petro Oldrado Archiepiscopo Mediolanensi legitur: *Deo animam reddens honorifice a fidelibus sepultus est in Civitate Hipponensi in episcopatu suo in Ecclesia S. Stephani,*

ni, *currente anno Incarnationis* 430. Opusculum istud Bollandistæ Tom. *6.* Augusti pag. 441. Post Pagium censent suppositititium: Secus Rivius pag. *634.* & Joannes Salinas in notis ad Possidium pag. 127. imo & Baronius ad annum Christ. 725. Justus Fontanini potiorem partem veram esse contendit, alicubi tamen a quopiam semidocto interpolatam fatetur. Vide Disquisitionem de Corp. S. Augustini Ticini reperto cap. 11. & 12. Non video, cur hic sepulturæ locus revocari possit in dubium: quum revera Cathedralis Hipponensis, quæ olim dicebatur *Basilica Pacis*, a Memoria Protomartyris appellata etiam fuerit *Ecclesia S. Stephani*. Vide Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. & libro de cura gerenda pro mortuis, cap. 4. Apud Ruinartium in Notis ad Victorem Vitensem de Persec. Vand. pag. 147. describitur epitaphium, quod vir doctissimus putat esse Augustini, & ait se non existimare quod sit Victoris: illud exscripsit quoque pag. 100. Joannes Salinas, idem de ipsomet epitaphio pronuntians; ac est hujus initium,

Hic posuit cineres genitrix castissima prolis.

At arbitror utrumque virum doctissimum decipi, & epitaphium non esse Augustini, sed Matris; ut dicam infra differens de illa, & epitaphii auctorem indigitans. Quanto tempore Augustini Corpus in Hipponensi Templo tumulatum jacuerit, investigandum est modo. Variæ primum distinguendæ sunt Vandalorum Persecutiones adversus Catholicos Africanos: Persecutio Genserici ab anno 437. usque ad annum 477. persecutio Hunnerici ab anno 481. usque ad annum 485. & persecutio Trasimundi ab anno *396.* usque ad annum 522. In hac postrema persecutione Episcopi omnes Africani in Sardiniæ insulam relegati fuerunt: ibique exules detenti sunt ad annum usque 523. quando Trasamundo defuncto Hildericus ejus successor Ecclesiæ Africanæ pacem restituit, atque ab exilio Episcopos revocavit. Causa istius exilii fuit, quia adversus edictum regium, quo vetitum erat, ne in locum demortui episcopi alius ordinaretur, circa annum 507. Antistites Catholici cæperunt Episcopos ordinare, atque anno 508. annuente Victore Primate Byzacenæ Provinciæ electus, & consecratus est

in

in Ruspensem Episcopum S. Fulgentius. Vide Norisium Hist. Pelag. lib. 2. cap. ult. & Theodericum Ruinart in Hist. Persecut. Vandal. cap. XI. Episcopi a Trasimundo in Sardiniam relegati ab auctore Synchrono Vitæ S. Fulgentii dicuntur fuisse *sexaginta & amplius*, a Victore Tunnonensi in Chronico, ab Auctore Historiæ Miscellæ, atque ab Isidoro in Brevi Historia Vandalorum, 220. sed nulla in his scriptoribus adinvenitur contradictio: nam primus loquitur de Episcopis *Byzacenæ Provinciæ*, alii vero de Episcopis in exilium deportatis *ex tota Africa*. Itaque S. Fulgentius cum ceteris Coepiscopis in exilium pulsus, una cum Phrygio, & Pastorali Baculo Sanctissimi P. Augustini, in Sardiniam transtulit venerandum ejusdem corpus: quo anno discrepant eruditi. Nam Baronius putat hanc Translationem contigisse anno 504. Tillemontius in persecutione Hunnerici anno 484. & Justus Fontanini Archiepiscopus Ancyranus an. 497. initio persecutionis Trasimundi. Verum ex præmissis Chronologicis adnotationibus, atque ex anno Ordinationis S. Fulgentii, de quo nullus eruditorum dubitat, manifestissimum est, eamdem Translationem factam fuisse post annum 508. In Breviario tamen Ordinis die 11. Octobris habetur Corpus Sancti Patris in Hipponensi S. Stephani templo tumulatum mansisse annis circiter *septuaginta quatuor*. Idem tradit laudatus Episcopus Mediolanensis, aut quisquis illius Opusculi, sive epistolæ ad Carolum Magnum *de Translatione* Augustiniani Corporis, dicatur auctor; non enim de hujus auctoritate ducam cum aliquo funem contentionis. Si ergo 74. anni addantur anno, quo S. Pater decessit, 430. resultabit annus Christi 504. quo cum Baronio Historiographi Ordinis hanc primam Translationem consignarunt. His ita adhæreo, ut si quis contenderet adscribendam alteri anno inter 504. & 508., pertinaciter non repugnarem. At de prima Translatione dictum satis. Secunda contigit opera Luithprandi Longobardorum Regis, qui Sardinia a Barbaris expugnata legatos proceresque suos cum magno auri pondere illuc misit, ut Corpus S. Doctoris pretio redimerent, atque ad civitatem Papiæ quam primum transferrent. Quod factum est, piissimo Rege cum universo Clero, & Episcopis civitatum ditionis suæ, obviam sacris exuviis procedente usque ad fines agri Derthonensis, pluribusque miraculis Deo translationem hanc illustrante. Tradide-

diderunt litteris eadem miracula prælaudatus auctor opusculi, seu epistolæ ad Carolum Magnum, Rivius libro IV. cap. 12. aliique omnes Augustinenses Historici, eaque recitantur in Breviario Ordinis pridie Nonas Martias. Eadem translatio facta est secundum rationem, quam iniit Baronius, anno XII. Gregorii II. Romani Pontificis & Christi 725. juxta Erycium Puteanum lib. 3. Hist. Insubricæ anno 721. Fontaninus in disquisitione de Corpore S. Patris Ticini reperto cap. 10. factam contendit anno 722. Hanc vero Epocham doctissimus Præsul comprobat auctoritate Chronici Germanensis, Elnonensis, Herbipolensis, Saxonici, aliorumque. Quum autem in hanc sententiam abierint Joannes quoque Mabillonius in Musæo Italico, Claudius Castellanus in Martyrologio Romano Gallice edito, necnon Continuatores Bollandi num. 744. & 745., nobis ab ea recedendum non est, maxime quod satis constet inter annum 718. & 726. fere omnium Historicorum consensu evenisse. Augustinianos autem Historicos, qui prædictam Translationem consignant anno 725. aperte falsitatis revinci nequeunt, tum quia eorumdem opinionem probat Cæsar Baronius ad citatum annum num. 1. illamque confirmat haud levi conjectura petita ex Bedæ commentario de sex mundi ætatibus producto usque ad annum 9. Leonis Isaurici, atque narratione hujus Translationis absoluto; tum quia nec Tillemontius, nec Pagius, nec Criticorum quispiam invictum aliquod argumentum invenerunt ad sententiam illam dispungendam, ac satius duxerunt rem indecisam, incertamque relinquere. Hoc unum affero, cubare mendum in Breviario Ordinis XI. Octob. & in Epistola adscripta Petro Archiepiscopo Mediolanensi, ubi affirmatur Corpus S. Patris jacuisse in Sardinia *annos circiter ducentos viginti & unum*: nam si prima translatio dicatur facta anno 514. secunda autem anno 725., debuit corpus S. Patris in Sardinia servari per annos dumtaxat 211. Chronotaxis tamen Baronii sibi constat; quoniam priorem Translationem consignavit anno, ut diximus, 504. & secundam anno 725. Hanc supputandi rationem sequutus est Aloysius Torelli: sed ea, quæ supra diximus de episcopatu S. Fulgentii cogunt nos ab utroque recedere. Corpus itaque S. Patris paulo post annum 720. Ticinum translatum in Templo S. Petri in Cœlo aureo magnificentia Luithprandi constructo reconditum

est:

est: ibique ipsius regis ossa quiescunt cum epitaphio, quod incipit:

Flavius hoc tumulo Luithprandus conditur, olim
Longobardorum rex inclytus, acer in armis.

Cetera vide apud Rivium pag. 640. Ibidem servantur cineres Severini Boethii, quem Theodoricus Arianus Ticinum relegavit, & jussit interfici. Legitur eo loci etiamnum hæc sepulcralis inscriptio:

Mæonia & Latia lingua clarissimus, & qui
Consul eram, heic perii missus in exilium.
Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras;
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

Latuit Augustini Corpus in Confessione ejusdem templi ad annum usque 1695. quo tempore, quum fabri murarii Aram maximam instaurarent, casu diruentes partem mausolei lateritii Aræ proximam, sarcophagum, quo S. Patris cineres servabantur, detexere. Ab eo anno usque ad annum 1728. controversia de Corporis hujus *identitate* inter nos & Canonicos Regulares viguit, & aliquando etiam magna contentione fuit agitata. Pugnarunt pro nobis viri doctissimi, quorum scripta ac suffragia in unum collecta prodierunt anno 1729. typis Venetis. Tandem die 16. Julii prædicti anni 1728. Franciscus Pertusati Ticinensis Episcopus pro nobis *identitatem* illam propugnantibus solemni ritu sententiam tulit, quam eodem anno, die 22. Septembris Brevi Apostolico ratam habuit, confirmavitque summus Pontifex Benedictus XIII., imposito contradicentibus perpetuo silentio. Sed hæc ex prædicta collectione Veneta poterunt plenius intelligi: nos enim quod muneris erat nostri, contracte, & summatim explevimus.

CAPUT LXXIV.

Quibus laudibus S. Patrem Augustinum Pontifices, Conciliorum Episcopi, Sancti Patres, ac Theologi prosequantur.

HÆc nobis de Augustino narranda erant: cujus laudes nemo satis poterit celebrare. Quisquis vero scire cupit, quanta existimatione Augustinum prosequuti fuerint Summi Pontifices, Concilia, Patres, universique Theologi, adire poterit Fulgentium Fosseum tom. 1. Theologiæ, Ludovicum de Angelis in Vita Augustini, Carolum Moreau, & Cardinalem Norisium in ejus Vindiciis, Bartholomæum Urbinatem initio Milleloquii, Macedum in Concentu Euchologico, atque ut alios innumeros prætermittam, Bollandistas in Commentario tom. *6.* Augusti pag. 359. & seqq. S. Innocentius I. in pluribus epistolis ad PP. Conciliorum Milevitani, & Carthaginensium aperte testatus est nil ab eis in causa Pelagiana prætermissum, illos ad plenum Scripturas omnes callere divinas, & ipsorum scripta plena esse toto Catholicæ religionis vigore: quæ omnia in Augustini laudem cedunt, quum ipse fuerit, ut verbis utar Beati Prosperi, *dux ingeniumque* Conciliorum illorum. Idem de Zosimo, ac de Bonifacio 1. dicendum est. S. Cælestinus in epistola ad Galliarum Episcopos testatur inter magistros optimos Augustinum habendum esse, nec unquam aspersum fuisse alicujus sinistræ opinionis rumore. S. Leo Magnus in epistola ad Leonem Augustum enumerat quarto loco inter Patres celebriores Augustinum, atque in epistola ad Nicetam inseruit tanquam sua duo capita ex *Enchiridio* ad Laurentium, idest, 45. & *46.* ut non immerito Franciscus Macedo pag. 398. Conc. Euch. scripserit, si *Petrus per os Leonis locutus est*, ut ajebant Patres Concilii Chalcedonensis, per os Leonis itidem locutum esse Augustinum. Gelasius I in epistola contra Pelagianos appellavit Hieronymum & Augustinum Ecclesiasticorum lumina Magistrorum. Hormisdas scribens ad Possessorem testatus est in Ecclesiasticis scriniis contineri capitula libris Augustini conformia. Felix II. approbavit Arausicanam II. Synodum, quæ ex Augustinianis verbis

Dd cano-

canones edidit. Meminerunt præterea Augustini summa cum laude Bonifacius II. in Epist. ad Cæsarium Arelatensem, Joannes II. scribens ad Avienum & Senatores, Pelagius I. differens contra Schismaticos, S. Gregorius Magnus in epistolis ad Innocentium, & ad Marianum episcopos, Martinus I. in epist. ad Ecclesiam Carthaginensem, Agatho in epist. ad Augustos. Nicolaus I. in epist. ad Carolum Regem. Gregorius VII. cap. 4. Decretorum, Urbanus II. in epist. 53. Innocentius III. in Serm. I. dedicat. Eccl. Joannes XXII. in Bulla pro Ordine nostro emanata anno 1316. Martinus V. in Serm. in Translatione S. M. Monicæ, Pius II. in Bulla retractationis pro Concilio Basileensi, Sixtus V. in Bulla adversus Genethliacos, Clemens VIII. in Exhortatione ad Congregationem de Auxiliis, Alexander VII. in diplomate misso ad Lovaniensem Academiam, Clemens XI. in Bulla adversus Launojum, Benedictus XIII. in Litteris in forma Brevis ad FF. Prædicatores. Horum autem Romanorum Pontificum nomina tantummodo recitavimus, quoniam nimis tædiosum foret recitare singulorum de Augustino testimonia, quæ prælaudati quoque Scriptores produxerunt. Quo item loco Augustinum habuerint sacrosancta Concilia, puto neminem ignorare. Nam Ephesinos Patres ipsumque Imperatorem Theodosium summopere expetiisse S. Augustini præsentiam, ostendimus num. 72. ex Breviario Liberati, & ex litteris Capreoli Episcopi Carthaginensis. Chalcedonense Concilium ex epistola Augustini ad Volusianum, ex Tract. 79. in Joannem, aliisque ex libris testimonia produxit. Synodus V. se per omnia Augustinum sequi testata est. Sexta illum omni sapientia clarum, Septima Doctorem maximum, Florentina Latinorum Doctorum præclarissimum, appellavit. Tridentina autem, etsi Patres nominatim citare non soleat, sessionem quintam de Originali peccato, ac de Baptismo, ac præcipuam partem canonum sessionis sextæ verbis sententiisque Augustini composuit. Quid vero Patres? Hieronymus Augustinum vocat conditorem antiquæ rursum fidei; Paulinus sal terræ, Ecclesiæ candelabrum, fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni; Victor Vitensis flumen eloquentiæ, Sacerdotum gloriam, lucem mundi, doctorum gemmam; Fulgentius indutum virtute ex alto, & qui omnibus Græcis scilicet Latinisque Scriptoribus, plus laboravit; Cassiodorus fontem purissi-

mum nulla fæce pollutum, debellatorem hæreticorum, defensorem fidelium, & famosorum palmam certaminum; Ven. Beda strenuissimum Gratiæ propugnatorem; Paulus Aquilejensis fulgentissimum totius Ecclesiæ magistrum; Lugdunensis Ecclesia sincerissimæ, lucidissimæ, & in omni Ecclesia receptissimæ doctrinæ auctorem; Prudentius Tricassinus talem doctorem, ut nemo eo melius Scripturarum abstrusa diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, effusius disseminaverit; Bernardus Ecclesiæ columnam, a qua difficile se avelli testatur; S. Antoninus Patrem Theologorum, lumenque suavi eloquio materias omnes dilucidans; Carolus Borromæus doctorem magnum, qui omnia venena a Diabolo contra Sanctæ religionis puritatem subministrata sustulit; Thomas de Villanova similem soli, a quo omnes, qui post ipsum fuerunt doctores, sapientiæ lumen accipiunt. Quid de Augustino senserint Scholasticorum Theologorum Duces, Magister, S. Thomas, Scotus, Ægidius, Gregorius Ariminensis, Bacconius, Bellarminus, & qui istorum vestigia calcarunt, vide apud Macedum in Concentu Euchologico a pag. 434. usque ad paginam 452. Sed hæc tenuisse sufficiat; nam ubi studio doctissimorum virorum inveniantur collecta, paulo antea monuimus.

CAPUT LXXVI.

Qua ratione ii, qui in Augustinum acuere stylum, compressi fuerint, & refutati.

FUerunt quidem nonnulli, qui adversus Augustinum maledico ore, & impudenti stylo insurrexerunt, sed statim coerciti fuerunt ac refutati. Mitto Manichæos, ac Pelagianos, quos ipsemet Augustinus in se irritatos fregit & oppugnavit. Donatistæ, qui, ut inquit Possidius cap. 9., causa diffidentiæ, nihil unquam rescribere voluerunt, sed irati furiose loquebantur, atque seductorem, deceptoremque animarum Augustinum esse, & privatim, & publice inclamabant, & tanquam lupum occidendum; Donatistæ, inquam, ipsius Augustini calamo, Synodorum auctoritate, legibusque Augustorum, devicti sunt, ac prostrati. Defuncto autem Augustino, adversus Massilien-

 ses,

ses, qui ejus de Gratia, & prædestinatione doctrinam carpebant, pugnavit acerrime tum Carmine, tum soluta oratione S. Prosper, occurritque obtrectatoribus beatissimus Pontifex Cœlestinus. Ubi sexto sæculo Motianus Scholasticus Augustini doctrinam atro dente momordit, stetit pro Augustino Facundus Episcopus Hermianensis. Nonnullis Augustinianam doctrinam nono sæculo tanquam Prædestinatianam diffamantibus, obstruerunt os putidum S. Tricassinus Antistes, & Lugdunensis Ecclesia. Quibusdam Scholasticis nova quædam placita circa gratiam inducentibus obstiterunt Lovaniensis & Duacensis Academia, plures Hispaniarum Antistites, coactique ad Congregationes de Auxiliis Theologi; & quanquam in difficilioribus quæstionibus etiamnum Scholæ inter se digladientur, in eo tamen puncto, quod aliqui Augustino obloquebantur, eo causa processit, ut ad ipsius mentem subortæ controversiæ jussu Apostolicæ Sedis discuti, atque expendi deberent, ita, ut ii etiam, qui aliam ab Augustino viam se iniisse gloriabantur, postmodum se vestigia ejusdem Augustini premere jactitent. Ubi vero proscriptis Baji, Jansenii, & *Quesnellii* propositionibus, nonnulli clanculum spargere cæperunt, *naufragium* rursus pati inconcussa Augustini dogmata, hæc firmissima persistere declararunt Innocentius X. Benedictus XIII. Clementes duo, XI. & XII. Adnitente Joanne Launojo demonstrare Augustinianam doctrinam traditioni veterum adversari, compressit hominis temeritatem laudatus Clemens XI. lucubravitque Augustini vindicias Theologus dominicanæ Familiæ percelebris. Quæcumque ex ore quorumdam Scholasticorum incaute exciderunt, collegit, dispunxit, & dissipavit in Augustinianis Vindiciis illustris Norisius. Adversus denique Animadversiones Joannis Clerici, qui sub nomine Phereponi, in Augustini Opera insiluit, edidere doctissimas lucubrationes Ludovicus Muratorius, sub nomine Lamindi Pritanni in libro de ingeniorum moderatione. Robertus Senckinus Anglus in Opere inscripto, defensio S. Augustini contra censuras Joannis Phereponi, necnon Sylvester Merani Episcopus Porphyriensis, & Sacrarii Apostolici præfectus, atque Anonymus Augustinensis excalceatus: quorum duorum Scripta nondum publicam in lucem prodierunt, sed illius jam matura prelo anno 1733. ut scribit secunda parte Italicorum Carminum pag. 14.

Edit.

Edit. Fulginei Joannes Baptiſta Cotta; alterius autem in lucem propediem exitura ſunt in nova editione Neapolitana Operum Auguſtini. Ita S. Patris oblocutores calamo ac ſtudio eorum, qui ſuam illi auctoritatem vindicarunt, compreſſi ſunt; ac de ipſorum oblocutorum quolibet intelligi poſſunt, quæ adverſus Collatorem Auguſtiniana ſcripta ſuggillantem cecinit S. Proſper:

Quidam doctiloqui libros ſenis Auguſtini.
Carpere, & adverſum condere fertur opus.
Uſque adeo ne bonum ingenium, & facundia dives
Oſtentare artem non aliter potuit?
In nova proſtratas acies niſi bella cieret,
Impiaque extinctis hoſtibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors eſt tua, te ſtylus iſte
Conficit, & verbis perderis ipſe tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monſtrans
Velle tuum tibimet ſufficere, ut pereas;
Verte gradum, fuge perniciem, ſtratoſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas,
Si Paſtorem ovium lædere vis, lupus es.

Hæc licet in omnes Auguſtini obtrectatores quadrent, ac potiſſimum adverſus Semipelagianorum oblocutiones ſcripta ſint; æque tamen feriunt Phereponi temeritatem, ut pote qui Auguſtino, ceteriſque Patribus infenſus fuit, quod hi Arianiſmum & Pelagianiſmum oppugnaverint, ideoque Phereponum ipſum prædamnaverint Socinianis addictum, & Pelagianorum hæreſi infectum. Id vidit quoque, oſtenditque Guilielmus Caveus in epiſtola Apologetica Londini anno 1700. adverſus Joannis Clerici criminationes impreſſa.

CAPUT LXXVI.

Recensentur variæ Operum S. P. Augustini editiones, & agitur de pretio quo illarum præcipuæ habendæ sunt.

IIs, quæ nobis de Augustino dicenda videbantur, præmissis, reliquum est, ut de variis Operum ejus editionibus pertractemus. Eas enumerat Dupinius in nova Bibliotheca tom. 3. pag. 496. edit. Paris. Casimirus Oudinus Tom. I. de Scrip. Eccl. pag. 934. & Guilielmus Caveus in Seculo Ariano pag. 191. Primam Operum S. Patris editionem ex variis Codicibus undique diligenter collectis aggressus est anno 1495. Joannes Amerbachius typis Basileensibus : quam sequutus est editio altera in novem tomos divisa an. 1506. & Parisiensis 1515. & longa linea 1526. & 1528. Alteram editionem curavit Desiderius Erasmus Basileæ anno 1529. divisam in tomos decem, recusam Parisiis an. 1515. & 1555. Basileæ item 1547. 1566. 1569. Venetiis in 4. anno 1570. & 1571. Prodiit editio alia opera & studio Theologorum Lovaniensium Antuerpiæ typis Plantinianis anno 1577. juxta hanc vero elegantissima Parisiensis an. 1586. ac rursus Parisienses aliæ an. 1609. 1614. 1626. 1635. & 1652. Coloniensis an. 1616. Veneta an. 1584. Lugdunensis an. 1664. Postremam editionem procurarunt Monachi Benedictini S. Mauri, non clarissimus Mabillonius, ut inquit Guilielmus Cave cit. pag. 191. Sed Thomas Blancpain & Petrus Constant : hujusque editionis tom. 1. & 2. excusi sunt an. 1679. tertius 1680. quartus 1681. quintus 1683. sextus & septimus 1685. octavus & nonus 1688. decimus 1690. Advertendum est hanc editionem ob parvum exemplarium numerum fuisse iisdem typis an. 1689. iteratam; castigatissimam vero esse illam, quæ prima pagina tom. 1. epistolæ ad Ludovicum Magnum, quinque duntaxat habet lineas, cum in posteriori novem connumerentur. Addiderunt anno 1700. Benedictini tomum XI. comprehendentem Vitam S. Patris, librorum ejus distributionem, ac indicem generalem: auctor autem Vitæ Augustini dicitur D. Thomas Blancpain paulo supra laudatus. Eodem anno juxta hanc postremam editionem Opera

S. Au-

S. Augustini recudenda curarunt Amstelodami fratres Huguetani, ementita inscriptione *Editionis Parisiensis an.* 1689. ad decipiendos incautos, & tertio, quarto, quinto, & decimo Voluminibus divisis in duos tomos ad molem augendam, & tomos ipsos multiplicandos. Quare non x. Volumina sunt in hac editione, sed xiv. Tomus tamen undecimus, quo comprehenditur Vita S. Patris cum indice, in utraque editione, Parisiensi, & Amstelodamensi, similis omnino est. Postremæ editioni Joannes Clericus sub Phereponi larva addidit volumen, seu tomum xii. cum inscriptione, *Appendix Augustiniana:* in quo continentur Carmen S. Prosperi de Ingratis cum commentario cujusdam Doctoris Lovaniensis, Joannis Garnerii dissertationes spectantes ad hæresim Pelagiani, Præfationes quædam Erasmi, & Joannis Ulimmerii, Adventoria Cardinalis Norisii, & ipsius Phereponi in Augustinum animadversiones. Hæc Amstelodamensis editio Antuerpiæ nomine vulgata est. Sinceriori animo & absque fuco Parisiensem editionem imitati sunt typographi Veneti, in postrema quam aggressi sunt an. 1729. absolverunt autem an. 1735. Enumeratis modo Augustinianorum Operum editionibus, de illarum pretio addendum est aliquid. Caveus citato in loco affirmat inter varias Operum Augustini editiones præstare Basileenses 1529. 1543. 1566. 1569. Venetas 1571. 1584. Antuerpiensem 1577. Coloniensem 1616. Parisiensem 1515. 1586. 1635. ceteris tamen omnibus antecellere Parisiensem Monachorum S. Mauri. Fabricius num. 44. Historiæ Bibliot. Fabricianæ plurimum commendat Erasmianam Parisiensem an. 1555. de qua profert quoque Maresii, & Calixti Judicia: at Benedictinorum editioni nil detrahit, immo de illa hæc tom. 1. pag. 203. pronuntiat: *Omnes autem priores editiones antecellit Parisiensis Monachorum Benedictinorum an.* 1681. *recusa Antuerpiæ an.* 1700. *cum Appendice, eaque recensetur in Actis eruditorum an.* 1683. *p.* 3. Non tantum eo in loco Acta eruditorum Lipsiæ editionem illam commendant, verum etiam ad annum 1688. aliisque in locis. Dupinius itidem de hac novissima editione inquit, *Precedentes omnes immensum superat*. Oudinus cap. 5. tom. 1. pag. 954. illam dicit *Operis sui, & hujus sæculi ornamentum*, ac talem esse dicit, ut auctores tam laborioso diuturnoque Opere immortalem gloriam sibi, suisque sodalibus compararint.

Ca-

Caveus citato in loco asserit eamdem editionem *omnes, quæ hactenus prodierunt, chartæ puritate, summoque typorum nitore, atque elegantia longissime superare*. Eadem est de ipsa editione omnium non invidorum sententia. Nitori autem, quo oculos oblectat & allicit, præferendam ducimus maximam diligentiam in conferendis vetustioribus, ac melioris notæ codicibus, in admonitionibus ac præfationibus præmittendis, in revocandis dispersis libris in suum ordinem, in tempore quo editi sunt investigando, in spuriis dubiisque secernendis, in expendendis notis suppositionis, in mendis expurgandis, atque in rebus aliis hujusmodi, quæ non oculos illiciunt, sed mentem. In eam tamen (tanta est malignantium audacia) stylum morosi critici acuerunt, libellis pluribus, & epistolis in eam vulgatis, de quibus prolixe Petrus Bayle tomo I. edit. an. 1720. pag. 393. Doctissimi autem Patres Benedictini Censuras omnes refutarunt; ac missis aliis Responsionibus, sat erit pro editionis suæ Apologia perlegere Opus inscriptum, *Defense de l'Edition des Oevres de Saint Augustin par les PP. Benedictin*, aut latinum, cui titulus, *Vindiciæ editionis S. Augustini a PP. BB. adornatæ*, cujus Operis auctor est V. Cl. Bernardus *de Montfaucon*. Prædictus Bayle Benedictinorum editionem, quamquam de Joanne Pherepono non absque laude loquatur, ita commendat: *Se dirai donc seulement qui la meilleure Edition des Ouvrages de ce Pere est cellequi a paru a Paris par les soins des Benedictins de Saint Maur*. Itaque dubitare non possumus, quin præstantissima hæc editio sit ceteris omnibus præferenda. Quid vero de Amstelodamensi, Antuerpiæ nomine divulgata, & adaucta Phereponi animadversionibus? Si quid in ea pretii est, totum a Parisiensi derivat. Amstelodami recusam, & lucri tantum causa in plures divisam tomos, ac minori quoque forma characterum impressam, fatetur ipsemet Petrus Bayle his verbis: *On va contrefaire a Amsterdam cette Edition* (nempe Monachorum S. Mauri) *on la donnera en plus petits caracteres, & on la vendra a beaucoup meilleur marche que celle de Paris*. Hæc Petrus Bayle scribebat an. 1699. cum Editio Phereponiana propediem in lucem esset exitura. *Appendix Augustiniana* sub titulo tomi XII. prodiit in lucem anno 1703. Falso & hæc *Appendix* præfert nomen Antuerpiæ, cum edita fuerit Amstelodami apud Fratres Huguetanos, &

Pe-

Petrum Mortier. Oudinus pag. 990. de hac Appendice ita ſcribit: *In hoc tomo a pagina* 1. *ad* 470. *nihil omnino eſt, quod ad laborem Joannis Clerici ſpectet, excepta Præfatione, quæ ſuperbiam ejus orbi litterario detegit. A pag.* 471. *ad* 622. *qua Tomus concluditur, vix columnæ viginti ex labore Clericali procedunt, aliis omnibus, vel ad Deſiderium Eraſmum, Henricum de Noris, vel ad alios pertinentibus. Unde mirum eſt tanto faſtu nomen ſuum Tomo huic præfixiſſe, in quo tam modica laboris pars ad ipſum ſpectat.* De ipſa Phereponi Appendice agunt Acta eruditorum Lipſiæ anni 1703. Kalendis Juliis pag. 289. & ſeqq. Advertunt in commentario ad Poema S. Proſperi deletum nomen Martini Steyarti, quod extabat in prima editione Lovanienſi, Phereponum ſtudere ut talem de ſe mentem lectoribus ingerat, quod rectæ rationi, non fallaci lumini attenderit, magiſtros omnes quaſi adjutores, non quaſi dominos judiciorum ſuorum habuerit, Grammaticam, artem criticam, Græcas Hebraicaſque litteras dialecticæ pro ſua virili adjecerit: quæ omnia ſunt hominis ſuperbe de ſemetipſo ſentientis indicia. Inter alia obſervant, Phereponum ſcripſiſſe adverſus ea, quæ Auguſtinus libro 18. de de Civitate Dei cap 43. ait de divino LXX. Interpretum afflatu; curaſſe etiam, ut pag. 492. recuderetur *analyſis* libri de Corrept. & Gratia anno 1644. concinnata ab Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico, quam Patres Benedictini inſeruerant tom. X. editionis Pariſienſis, & Franciſcus Harlæus Pariſienſis Archiepiſcopus juſſerat demi. De judicio Guilelmi Cave circa hanc Phereponi *Appendicem*, & de viris doctis, qui eam oppugnarunt, dixi præcedenti num. 75. De Veneta, quam poſtremo loco commemoravi, plura non dicam. Nil huic editioni acceſſit, præter duas epiſtolas *de Origine animæ, & de pœnis parvulorum, qui ſine baptiſmo decedunt*, cum epiſtola & præfatione Abbatis Gottvvicenſis. Sane hæc editio non eſt Pariſienſi comparanda; tametſi Albrizius typographus dederit operam, ne de illa verificaretur prænuntiatum tom. 1. col. 987. a Caſimiro Oudino, & exſcriptum a Bollandiſtis tom. 6. Auguſti pag. 214. num. 9. *Nec opinor Editio Veneta correctior erit Amſtelodamenſi.* Verum Oudinus taliter ſe geſſit, ut ſimul editionem Phereponi deprimeret, & ſibi apud hæreticos, ad quos defecit, benevolentiam conciliaret, quemadmodum eo loci iidem Bollandiſtæ adnotarunt.

runt. De editionibus autem Operum Augustini, illarumque præstantia, dictum est hactenus.

CAPUT LXXVII.

Librorum S. P. Augustini juxta postremam Parisiensem editionem recensio.

QUoniam Parisiensis Operum S. P. Augustini editio ceteris omnibus præferenda est, ut diximus numero præcedenti; congruum videtur, ut seriem eorumdem Operum tradituri, hanc ex eadem editione exscribamus, maxime quod in ea legitimi a spuriis dubiisque libris acuratissime secernuntur, & cur in *Appendicem* rejecti fuerint, ratione multiplici demonstratur. In Catalogo igitur, quem subjicio, omnes ii libri, qui ad Appendicem cujusque Tomi amandantur, aut Augustino suppositi olim fuerunt, aut saltim sunt dubiæ, & penitus incertæ auctoritatis. Suppositionis vero hujusmodi rationes brevitatis causa prætermittam; quum in eadem editione, quam sequar, cuilibet libro præmittantur; easque inseruerint Commentariis suis de Scriptoribus Ecclesiasticis prælaudati auctores Dupinius, Casimirus Oudinus, Fabricius, Caveus. De hoc item argumento egit separato Opusculo Bernardus noster Vindingus, atque in Historia Eccles. sæc. v. cap. 4. artic. 3. Alexander Natalis. Verum quæ alibi inveniuntur dispersa, in Editione PP. S. Mauri invenies collecta, rerumque accessionibus lucupletata. Ipsam itaque editionem consulito: in qua omnes Augustini libri, qui extant, ad hunc modum inveniuntur dispositi.

TOMUS I.

Opera, quæ Augustinus nondum presbyter edidit.

REtractationum libri duo *an.* 427.
Confessionum libri XIII. *an.* 400.
Contra Academicos libri tres. *an.* 386. *exeunte.*
De beata vita liber unus *an.* 386. *exeunte.*
De Ordine libri II. *eodem tempore.*
Soliloquiorum libri II. *an.* 387.

De

De Immortalitate animæ liber unus *an.* 387.
De quantitate animæ liber unus *an.* 388.
De Musica libri VI. *an.* 387. & 389.
De Magistro liber unus *an.* 389.
De libero arbitrio, liber III. *an.* 388. & 389.
De moribus Eccl. Cath. & de moribus Manichæor. libri II. *an.* 388.
De vera Religione libri I. *an.* 390.
Regula ad Servos Dei.

IN APPENDICE.

De Grammatica liber.
Principia Dialecticæ.
Categoriæ decem.
Principia Rhetorices.
Regulæ Clericis datæ fragmentum.
Regula secunda.
De Vita Eremitica ad Sororem.

TOMUS II.

Seu Volumen epistolarum, cui præmittuntur nomina eorum, ad quos fuerunt conscriptæ: unde hæc omittimus, infra tamen commemorabimus ex cap. 7. Indiculi Possidii, quæ etiamnum videntur latere.

Epistolæ CCLXX. dispositæ secundum temporum ordinem, & in quatuor classes digestæ.

IN APPENDICE.

Augustini nomine ad Bonifacium, & contra, epistolæ breviores sexdecim.
Pelagii ad Demetriadem epistola.
Augustini nomine ad Cyrillum, & contra, de laudibus Hieronymi.
Altercatio Augustini cum Pascentio.

TOMUS III.

In I. parte.

Complectens exegetica in vetus ac novum Testamentum, sive in sacras litteras lucubrationes.

De Doctrina Christiana libri IV. *an.* 426.
De Genesi ad litteram imperfectus. I. *an.* 393.

De Genesi ad litteram libri XII. *an.* 401. 415.
Locutionum libri VII. *an.* 419.
Quæstionum in Heptateuchum lib. VII. *an.* 419.
Annotationum in Job lib. I. *an.* 400.
Speculum. 427.

In II. Parte.

DE consensu Evangelistarum lib. IV. *an.* 400.
De sermone Domini in monte libri II. *an.* 393.
Quæstionum Evangelicarum lib. II.
Quæstionum XVII. in Evangelium secundum Matthæum lib. I. *an.* 393.
In Evangelium Joannis Tractatus 224. *an.* 416.
In epistolam Jo: ad Parthos Tract. X. *an.* 416.
Expositio quarumdam Propositionum ex Epistola ad Romanos liber unus. *an.* 394.
Epistolæ ad Romanos inchoata expositio. *an.* 394.
Expositio epistolæ ad Galatas. *an.* 394.

IN APPENDICE.

DE mirabilibus Sacræ Scripturæ libri III.
De Benedictionibus Jacob Patriarchæ.
Quæstiones veteris, & novi Testamenti.
Quæstiones veteris, & novi Testamenti post vulgatæ.
In B. Joannis Apocalypsim Expositio.

TOMUS IV.

In quo continentur expositiones Psalmorum juxta versionem LXX.

ENarrationes in Psalmos.

TOMUS V.

Seu Volumen Sermonum.

SErmones de Scripturis veteris & novi Testamenti.
Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones de diversis.
Sermones dubii.

Ser-

Sermonum quorumdam fragmenta.
Sermo Eraclii.

IN APPENDICE.

SErmones *ſuppoſititii* CCCXVII.

TOMUS VI.

Moralia continens.

DE diverſis quæſtionibus 83. lib. I. *an.* 388.
Quæſtionum ad Simplicianum libri II. *an.* 397.
De octo Dulcitii quæſtionibus lib. I. *an.* 422.
De fide rerum quæ non videntur. *an.* 399.
De fide & Symbolo lib. I. *an.* 393.
De fide, & operibus lib. I. *an.* 413.
Enchiridion ad Laurentium. *an.* 421.
De Agone Chriſtiano lib. unus, *an.* 396.
De catechizandis rudibus lib. I. *an.* 400.
De Continentia lib. I. *an.* 395.
De Bono conjugali lib. I. *an.* 401.
De Sancta Virginitate liber I. *an.* 401.
De Bono viduitatis. *an.* 414.
De Conjugiis adulterinis libri II. *an.* 419.
De mendacio lib. I. *an.* 395.
Contra mendacium ad Conſentium lib. I. *an.* 420.
De Opere Monachorum lib. I. *an.* 400.
De Divinatione Dæmonum. *an.* 409. *ciciter.*
De cura gerenda pro mortuis lib. I. *an.* 421.
De Patientia lib. I. *an.* 418.
De Symbolo ad Catechumenos Tractatus IV.
De diſciplina Chriſtiana Tractatus I.
De Cantico novo Tract. I.
De quarta feria Tract. I.
De Cataclyſmo Tractatus I.
De Tempore barbarico Tract. I.
De urbis excidio Tract. I.

IN APPENDICE.

LIber XXI. *Sententiarum*, inepti compilatoris.
Dialogus 65. *Quæſtionum*, quæ ex Auguſtino defloratæ ſunt.

Liber

Liber de Fide ad Petrum, *S. Fulgentii*.
De Spiritu, *& Anima*, Alcherii Monachi.
De Amicitia, Ælredi Abbatis Angli.
De ſubſtantia dilectionis, Hugonis Victorini.
De diligendo Deo, ex Hugone, Bernardo, & Anſelmo.
Soliloquia, incerti, & recentioris auctoris.
Meditationes, ex Anſelmo, aliiſque conſarcinatæ.
De contritione cordis, ſimilis conſarcinatio.
Manuale, liber ex Auguſtino, & Anſelmo excerptus.
Speculum, ex Alcuino deſumptum.
Speculum peccatoris, ex Odone Cluniacenſi, aliiſque.
De Triplici habitaculo, incerti, ſed eruditi.
De Scala Paradiſi, Guigonis Carthuſienſis.
De cognitione veræ Vitæ, Honorii Auguſtod.
De Vita Chriſtiana, Faſtidii Britanni.
De ſalutaribus Documentis, Paulini Florojuli.
De duodecim abuſionum gradibus, Ebrardi.
De ſeptem vitiis, *& ſeptem donis Sp. S.* Hug. Vict.
De conflictu vitiorum, *& virtutum*, Amb. Autp.
De ſobrietate & caſtitate, incerti auctoris.
De vera, *& falſa pœnitentia*, incerti.
De Antichriſto, liber adtributus Alcuino.
Pſalterium, *quod Auguſtinus Matri ſuæ compoſuiſſe fertur*.
Expoſitio Cantici Magnificat, ex Hugone.
De Aſſumptione B. M. V.
De Viſitatione infirmorum libri II.
Sermones II. de Conſolatione Mortuorum.
De rectitudine catholicæ converſationis.
De Symbolo, ex Rufino, Ivone, aliique.
De eſu Agni, ex ſuppoſititiis S. Hieronymi.
Sermones ad Neophytos, incerti, ac junioris.
De creatione primi hominis.
De vanitate ſæculi.
De contemptu mundi.
De bono diſciplinæ.
De obedientia, *& humilitate.*
Sermones alii ad populum, *ſeu Tractatus V.*
Sermones ad fratres in eremo. LXXVI.

TO-

TOMUS VII.

Sive præstantissimum Opus de Civitate Dei.

DE Civitate Dei Libri XXII. 413. 426.

IN APPENDICE.

AViti ad Palchonium epistola.
Luciani epistola de revelatione Corporis Stephani Protomartyris.
Anastasii ad Landuletum epistola de sequente Scriptura.
Scriptura de alia detectione, ac translatione S. Stephani in Urbem Byzantium.
Severi epistola ad omnem Ecclesiam de miraculis factis per reliquias S. Stephani in Minoricensi Insula.
Evodii Uzalensis de miraculis S. Stephani libri II.

TOMUS VIII.

Continens scripta Augustini contra Manichæos, Priscillianistas, & Arianos, & quædam alia Polemica.

LIber de hæresibus ad QuodvultDeum an. 428.
Tractatus contra Judæos.
De utilitate credendi ad Honoratum lib. I. an. 391.
De duabus animabus. lib. I. circa idem tempus.
Acta contra Fortunatum Manichæum an. 392.
Contra Adimantum liber I. an. 394.
Contra epistolam Fundamenti lib. I.
Contra Faustum Manichæum libri XXXIII. an. 400.
De Actis cum Felice Manichæo libri II. an. 404.
De natura Boni lib. I. post annum 404.
Contra epistolam Secundini lib. I. 405.
Contra Adversarium legis & Prophetarum libri II. an. 420.
Contra Priscillianistas, & Origenistas liber I. an. 415.
Sermo Arianorum.
Contra Sermonem Arianorum lib. I. an. 418.
Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo.
Contra eumdem Maximinum lib. 2. an. 428.
De Trinitate libri XV. an. 400. 416.

IN APPENDICE.

Tractatus adversus quinque hæreses.
Sermo de Symbolo contra Judæos, Paganos, & Arianos.
Dialogus de altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ.
De Fide contra Manichæos lib. I.
Commonitorium de modo admittendi Manichæos.
Contra Felicianum Arianum de Fide Trinitatis lib. I.
Quæstiones de Trinitate, & Genesi.
De Incarnatione Verbi ad Januarium, desumpti ex Origene, libri II.
Liber de Trinitate, & Unitate Dei.
De essentia divinitatis.
Dialogus de unitate S. Trinitatis ad Optatum.
Liber de Ecclesiasticis dogmatibus. Opus Gennadii Massiliensis.

TOMUS IX.

Complectens Polemica scripta adversus Donatistas.

PSalmus contra partem Donati, circa an. 393.
Libri III. contra Epistolam Parmeniani, anno circiter 400.
De Baptismo contra Donatistas libri VII.
Contra litteras Petiliani libri III. an. 402. circa idem tempus.
Epistola ad Catholicos adversus Donatistas, seu liber de Unitate Ecclesiæ.
Contra Cresconium libri IV. an. 406.
De unico Baptismo contra Petilianum liber I. circa annum 411.
Breviculus Collationis. libri III. an. 412.
Ad Donatistas post collationem lib. I. an. 413.
Sermo ad Cæsareenses Emerito præsente habitus.
De Gestis cum Emerito Donatista lib. I. an. 418.
Contra Gaudentium libri II. anno 420.
Sermo de Rusticiano subdiacono a Donatistis rebaptizato, ad spurios tamen relegandus.

IN APPENDICE.

Contra Fulgentium Donatistam liber I. incerti auctoris.
Excerpta, & scripta ad historiam Donatistarum pertinentia.

TO-

TOMUS X.

In quo continentur scripta Augustini adversus hæreticos Pelagianos.

DE peccatorum meritis & remissione, & de baptismo parvulorum, ad Marcellinum libri III. an. 412.
De Spiritu & littera ad eumdem lib. I. an. 413.
De natura & gratia liber I. an. 410.
De perfectione justitiæ. an. 415.
De gestis Pelagii anno 416. aut 417.
De gratia Christi & de peccato originali lib. II. an. 418.
De nuptiis & concupiscentia libri II. an. 418.
De anima, & ejus origine libri IV. an. 419.
Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium libri IV. citca annum 424.
Contra Julianum libri VI. an. 421.
De gratia & libero arbitrio liber I. an. 427.
De correptione, & Gratia lib. I. an. 427.
De prædestinatione Sanctorum lib. I. an. 429.
De dono perseverantiæ liber I. eodem anno.
Contra secundam responsionem Juliani opus imperfectum. libri VI. sub vitæ finem.

IN APPENDICE.

H*Ypomnesticon*, *seu* Hypognosticon *libri IV*.
Liber de prædestinatione, & gratia, auctoris suspecti.
De prædestinatione Dei, auctoris ignoti.
Sequuntur in alia parte Appendicis varia scripta, & monumenta ad historiam Pelagianam spectantia; ac in tertia parte opuscula Apologetica S. Prosperi adversus Augustinianæ doctrinæ obtrectatores.

CAPUT LXXVIII.

Augustini Opera, quæ adhuc desiderantur.

LIbri, & opuscula alia, quæ desiderantur, & certum est fuisse ab Augustino conscripta.

Ex libris Confess. & contra Petilianum.

LIbri de Pulcrho & Apto ad Hierium Oratorem Romanum lib. 4. Conf. cap. 14.

Oratio de argumento ſibi propoſito habita coram Symmacho Præfecto Urbis. lib. 5. Conf. cap. 13.

Alia de laudibus Imperatoris Valentiniani Junioris. lib. 6. Conf. cap. 9.

Panegyris Bautoni Conſuli dicta. lib. 3. contra Petilianum cap. 254.

Ex libris Retractationum.

DE Grammatica *lib.* 1. *Retr. cap.* 6.
De Dialectica. *ibid.*
De Rhetorica. *ibid.*
De Geometria. *ibid.*
De Arithmetica. *ibid.*
De Philoſophia. *ibid.*
Liber contra epiſtolam Donati. *cap.* 21.
Contra partem Donati libri II. *lib.* 2. *Retr. cap.* 2.
Adverſus Gilarum liber I. *cap.* 11.
Contra quod attulit Centurius a Donatiſtis lib. 1. *cap.* 19.
Probationum, & teſtimoniorum contra Donatiſtas liber I. *cap.* 27.
Contra neſcio quem Donatiſtam. lib. 1. *cap.* 28.
Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis. *cap.* 29.
Expoſitio epiſtolæ Jacobi. *cap.* 32.
De Maximianiſtis contra Donatiſtas. *cap.* 35.
Ad Emeritum Donatiſtam. *cap.* 46.

Ex Indiculo Poſſidii.

Ex Cap. 1.

Quæ ſupra adnotata ſunt ex libris Retract. omittuntur, ne repetantur. In indice Poſſidii cap. 1. recenſentur libri contra Paganos, Mathematicos, & Judæos. Cap. 2. contra Manichæos. Cap. 3. contra Donatiſtas. Cap. 4. adverſus Pelagianos; cap. 5. contra Arianos; cap. 6. libri ſcripti ad omnium ſtudioſorum utilitatem; cap. 7. Epiſtolæ; cap. 8. Tractatus diverſi; & cap. 9. ac 10. Sermones.

EPiſtola ad Fratres Carthaginenſes
Exhortatio ad fidem Tractatus.
De Parentalibus.

De defectu solis.
Adversus Judæos Tractatus duo.

Ex Cap. II.

De Sacrificiis spiritualibus.

Ex Cap. III.

Commonitorium Primiano.
Ad Proculejanum epistolæ tres.
Ad Emeritum epistola I.
Ad Crispinum epistolæ duæ.
Thiavensibus duæ.
Cresconio Grammatico epistola.
Tractatus tres de Traditione in persecutionibus, & falso baptismate.
De Bono unitatis Ecclesiæ.
De testimoniis Scripturarum contra Donatistas, & idola.
Contra Suprascriptos per natalem S. Salvii M.
Tractatus, quia non homines baptizant, sed Christus.
De Baptismo Tractatus brevissimus.

Ex Cap. V.

Omnia, quæ a Possidio cap. 4. recensentur, edita sunt; immo Possidius prætermittit librum *de præd. SS. & de dono perseverantiæ*.
Epistola ad Terentianum, seu Terentium.

Ex Cap. VI.

Quaternio, quem propria manu S. Episcopus Augustinus initiavit.
Liber contra Hilarium de Canticis ad altare. Fortassis, *contra Hilarum*, supra ex lib. 2. Retract. cap. II.

Ex Cap. VII.

Ad Nebridium epistola I. ex decem.
Ad Firminum, seu Firmianum.
Thalasio, & Valentino.
Eumatio, aut Rumaclio, vel Hermatio.

Cratoni, & aliis Carthaginensibus.
Maximino episcopo,
Victori presbytero de Campo Bullensi.
Ad Romanianum altera.
Ad Probam altera.
Flactiano.
Ad Nectarium duæ aliæ.
Paulo episcopo ex duabus una.
Ex quinque ad Severum episcopum duæ.
Ad Novatum episcopum altera.
Adeodato.
Catulino, sive Catulliano.
Ad Eusebium alia.
Fausto & Pelagiæ.
Ad Severum alium, ab episcopo Milevitano.
Ad Æmilium.
Theodoro, & Felicissimo.
Aproniano, & Avitæ, seu Avitatæ.
Imperatoribus.
Stiliconi.
Præfectis Italiæ.
Crescenti episcopo.
Ad Restitutum episcopum.
Macario.
Domnioni.
Viventio Presbytero.
Delphino.
Ad Agrippinum.
Ad plebem Cataquensem.
Gerontio.
Burnio, seu Burnioni.
Presbyteris propriis.
Macario.
Theodolo.
Concordio.
Cratoni.
Severo episcopo alia.
Novato.
Mercurio Diacono.

Ro-

Romano.
Æmilio presbytero.
Theodoro, & Felicissimo duæ.
Ad Oratorem.
Firmo.
Muneri.
Repentino duæ.
Lauritio.
Pelagasio, & Vagulo.
Ampelio episcopo.
Ad Samsucium.
Protogeni tres.
Protogeni & Thalasio simul una.
Thalasio sejunctim.
Clericis Carthaginis.
Ad Cristinum alia.
Anisio.
Geminiano.
Ad Firmum altera.
Acatio.
Fratribus a Carthagine duæ.
Redempto.

Ex Cap. VIII.

Tractatus de versu Psalmi, *Deus canticum novum cantabo tibi.*
De Psalmo XVII. & Joannis Apostoli epistola.
De Psalmo XXI. ex epistola Beati Petri Apostoli.
De Responsorio Psalmi, *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis.*
Sermo, in quo multæ propositæ sunt quæstiones, & una soluta est.
De Psalmo quadragesimo quarto non toto.
De depositione Cyri episcopi Carthaginensis.
De Psalmo septuagesimo primo non toto.
De verbis Apostoli, *Finis enim legis Christus*, & de versu Psalmi XC.
De Evangelio, *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*
De Venatoribus Dei, & sæculi.
De versu Psalmi CIII.
De eo, quod ait in Ecclesiastico, *Omne animal diligit simile sibi &c.*
De Apostolo, ubi ait, *Credenti in eum, qui justificat impium, &,*

&, *Lex ſpiritualis eſt*, *ego autem carnalis ſum*, *&c.*
De verſu Pſalmi LII. in Natali Martyrum.
Tractatus de obedientia.
De eo, quod ſcriptum eſt in Geneſi feciſſe Deum tertio die.
De die quarto.
De die quinto.
Alius de die ſexto.
Alius de die ſeptimo.
De ebrietate Noe, & nudatione femorum ejus.
Ex Evangelio, *Agite pœnitentiam*.
De Regnorum libro, ex quo David intravit ad Berſabee, & maritum ejus occidendum curavit.
De verſu Pſalmi XXXIII. *Venite filii*, *audite me*, *timorem Domini docebo vos*, *&* *de* muliere in adulterio deprehenſa, quæ Domino oblata eſt.
Sermo habitus, cum pagani ingrederentur.
De Apoſtolo, *O altitudo divitiarum ſapientiæ*, *&* *ſcientiæ Dei!* & de verſu Pſalmi LIX. *Deus repuliſti nos*, & de verſu Pſalmi CXVIII. *Bonum mihi*, *quia humiliaſti me*, *ut diſcam juſtificationes tuas*.
De verſu Pſalmi XXX. *In te Domine ſperavi*.
De operibus miſericordiæ.
Ex Evangelio Joannis, ubi Regulum increpavit.
De charitate inquieta.
De reſponſorio Pſalmi CIII. *Benedic anima mea Domino*.
De reſponſorio Pſalmi LI. *Speravi in miſericordia Dei*.
De theſauro in agro, & pretioſa margarita, & de reti miſſo in mare.
De reſponſorio Pſalmi LVI. *Miſerere mei Deus*, *miſerere mei*, *quoniam in te confidit anima mea*.
De die Pentecoſtes, ex eo quod ſcriptum eſt in Tobia, *A die Pentecoſtes*, *qui eſt ſancta ſeptimanarum*.
Ex Apoſtolo, de homine vetere exuendo, & novo induendo, & de verſu Pſalmi XXV.
In verba Evangelii, *Videbo vos iterum*, *&* *gaudebit cor veſtrum*.

Ex Cap. IX.

Per jejunium Quadrageſimæ de verſu Pſalmi CXV. *Ego dixi in pavore meo*, *omnis homo mendax*.
Ex epiſtola ad Galatas, ubi Paulus Petrum reprehendit.

Ex Evangelio, ubi Pharisæi Dominum interrogant. *Si licet uxorem quacumque ex causa dimittere.*
Per natalem Catullini.
Per natalem SS. MM. Scyllitanorum Tractatus duo.
Ex Evangelio, ubi ait Jesus, *Impleta sunt tempora, & appropinquabit regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio.*
De muliere, quæ decem & octo annos curvata est, & de his, supra quos turris ceciderat.
In natali Martyris Quadrati.
Ex Evangelio, *Ego sum panis, qui de Cælo descendi, & operamini escam, non quæ perit, sed quæ permanet in æternum.*
De versu Psalmi XVII. *Disciplina tua me direxit in finem.*
De versu Psalmi XIX. *Mittat tibi auxilium de Sancto.*
De versu Psalmi XLIII. *Quoniam propter te morte afficimur.*
Per natalem S. Agilæi, seu Achillæi.
Per natalem Carthæriensium.
De ordinatione diei, & depositione episcopi Florentii.
De episcopo eligendo, & ordinando in locum memorati.
De versu Psalmi VII. *Justum adjutorium meum a Domino.*
De versu Psalmi LXXIII. *Exurge Domine, judica causam meam.*
De versu Psalmi C. *Misericordiam, & judium cantabo tibi, Domine.*
De versu Psalmi LXX. *Libera me, Domine.*
De versu Psalmi LXXIV. *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi.*
De versu Psalmi CXVII. *Confitemini Domino, quoniam bonus est.*
De retenta unitate ad senem Maximum, seu, Maximinum.

Ex Cap. X.

Per vigilias Paschæ Tractatus, seu Sermones viginti tres, ex quibus tantum quinque sunt editi.
De natali S. Salvii Tractatus unus.
De versu Psalmi CXXXVIII. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.*
De eleemosynis rerum spiritualium.
De ministerio rerum carnalium, quod fit in Sanctos.
De eleemosynis, quæ fiunt in omnes.
De natali S. Victoris, & de versu Psalmi CXV. *Pretiosa in conspectu Domini, &c.*
De versu Psalmi CXXXI. *Sacerdotes tui induantur justitiam.*

Cæ-

Cætera, quæ ſunt in *Indiculo* Poſſidii, videntur edita, ſed variato interdum titulo. In hoc tamen Indice non ſunt omnes libri, de quibus in Collectionibus Operum S. Patris; ſed deſiderantur ſermones permulti, epiſtolæ plures, immo & libri *de Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Dono perſeverantiæ*; ideoque non eſt invictum argumentum ad librum, aut opuſculum aliquod Auguſtino abjudicandum quod in *Indiculo* Poſſidii non comprehendatur.

A P.

APPENDIX
DE BEATISSIMA S. P.
AUGUSTINI PARENTE,

Aliisque nonnullis amicitia aut necessitudine illi conjunctis.

DE MONICA AUGUSTINI PARENTE

CAPUT I.

Cur de Monica hoc in Opere dicere instituerimus.

MIrabitur fortasse aliquis, me de iis verba facientem, qui Augustinianam Familiam sapientia, scriptisque illustrarunt, de Beatissima Monica S. P. Augustini matre instituere sermonem. Verum mirari desinet quisquis animadverterit me ad hoc pluribus caussis impelli: quarum prima est, ab illa quidquid in Familia nostra virtutis ac doctrinæ splendet, post Deum Optimum Maximum, fluxisse, quum non pepererit solum, verum etiam monitis, studio, ceterisque adjumentis omnem contulerit operam, ut filius litteris ac disciplinis imbueretur: altera huic affinis, quod lacrymis gemitibusque promeruit, ut ipse filius inter Dei servos adscriptus nos charitatis spiritu gigneret, & doctrinæ pabulo enutriret: tertia, quod propositam spem habeamus, ut nos, idest, nepotes suos, studiaque, ac lucubrationes nostras altissimo patrocinio foveat, servet, adaugeat; postrema tandem, ac præsenti argumento accommodatissima, quod ipsamet Monica prædita fuit acerrimo ingenio, pluraque ejus circumferuntur eloquia sapientissimorum virorum lectione & admiratione dignissima.

CAPUT II.

Vitæ S. Matris Synopsis Chronologica.

ITaque Monica, cujus Vitam Augustinus libro 9. Confessionum scriptam reliquit, in Africa nata est, patria, opinor, oppido Tagastensi, ubi viro nupsit: id enim conjectura dumtaxat asseritur. Natalis sui annum ex tempore mor-

tis possumus adinvenire. Ad superos evolasse anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, & Augustini tricesimo tertio, legitur citato Confessionum libro cap. 11. illum autem annum concurrere cum anno Christi supra trecentesimum octogesimo septimo evincunt quæ diximus in *Augustino*, hujusque vitæ Chronotaxi. Si ergo ab anno 387. demas annos 56., residua erit summa annorum 331. quæ commonstrat annum Monicæ natalitium. Nupsit Patritio, si fides habenda sit epistolæ Augustini ad sororem, quam arbitramur esse suppositam, *cum esset annorum tredecim*; Augustinum vero peperit viginti tres annos nata. Mortuo ejus viro Patritio, cujus obitus contigit anno ætatis Augustini decimo septimo, ac reparatæ salutis trecentesimo septuagesimo primo, cum Monica annum ageret quadragesimum, dedit operam ne præclarum filii ingenium torpesceret; & licet re familiari multum angusta, reditibusque mariti morte cessantibus destituta, Carthagine tamen natum alere studuit, sumptuum partem suppeditante Romaniano. Quare Augustinus eloquentiam suam emptam *maternis mercedibus* ait lib. 3. Confessionum cap. 4. num. 7. Filii lapsum inconsolabilibus deflevit lacrymis, eumque in Italiam profectum, virili animo terra marique secuta est. Pervenit itaque Mediolanum, ubi Augustinus publice tradebat artis Oratoriæ præcepta, anno, ut opinor, 384. quo Symmachus præfecturam urbis gerebat, aut certe sub initia sequentis anni. Illic commorata est toto eo tempore, quo Augustinus ibidem permansit, nempe usque ad susceptum ab ipso baptismum, quem accepisse anno 387. in Paschæ vigilia alibi diximus. Discessit autem post Paschalia solemnia Mediolano in Africam cum filio reversura: sed cum esset apud Ostia Tiberina, animadvertens post Augustini sui conversionem, initumque propositum serviendi Deo, nihil ultra sibi in hac mortali vita sperandum esse, decubuit febribus; ac nono ægritudinis suæ die, ætatis anno quinquagesimo sexto, dum Augustinus natus esset annorum XXXIII. quievit in Domino. Nequit consignari Monicæ obitus die 4. Maji ejusdem anni, ut demonstravimus in Vita S. P. Augustini: sed si ad hanc diem, quo ab Ecclesia memoria S. Matris recolitur, sit referendus, contigisse dicendus est anno 388. quo revera Monicam demortuam scribunt cum Aloysio Torellio ad prædictum annum nonnulli Ordinis Historiographi. Immo

Baro-

Baronius putat Sanctissimam Augustini matrem corpore solutam anno 389. & quod inquit S. Pater lib. 9. Confess. cap. 11. mortuam *anno trigesimo tertio* ætatis suæ, emendandum censet, *anno trigesimo quinto*. Vide Baronium ad cit. an. 389. num. 4. Extant inter carmina Venantii Fortunati sequentes versus, cum hac inscriptione:

Epitaphium B. Monicæ Matris S. Augustini, quæ apud Ostia Tiberina decessit, Timasio atque Promoto Coss. sub annum Christi CCCLXXXIX.

Hic posuit cineres Genitrix castissima Prolis,
Augustine, tuis altera lux meritis.
Qui servans pacis cœlestia jura Sacerdos,
Commissos populos moribus instituis.
Gloria te major gestarum laude coronat
Virtutum Mater fertilis hac sobole.

Vide Venantii Opera edit. Moguntinæ anni 1617. pag. 265. Dixi autem in Vita Augustini hoc epitaphium produci a Theodorico Ruinartio not. 13. in Victoris Vitensis Opus de Persecutione Vandalica, atque a Joanne Salinas ad caput 28. Vitæ S. Patris conscriptæ a Possidio, atque ab utroque censeri *Epitaphium S. Augustini*, & abjudicari memorato Victori. Habes unde ego illud exscripserim, & cum titulo ei præfixo, qui nec a Ruinartio, nec a Salinas profertur, ex quo titulo apparet epitaphium non Augustini esse, sed Monicæ. Idem demonstrant verba, quæ etsi utrumque, Augustinum, Matremque commemorant, sunt tamen hominis Augustinum quasi adhuc viveret alloquentis, & Monicæ obitum, tumulum, & gloriam celebrantis. Ut ut sit, præfigitur annus 389. Nostratium quidam cum Aloysio Torelli ad an. 388. num. 72. ajunt idem epitaphium fuisse repertum apud Ostia Tiberina in arca, in qua Corpus S. M. jacebat, cum nomine *Bassi Consulis*, & Baronii sententia quodammodo communitur. Verum ut ab hac discedamus nos cogit perpetua constansque lectio in libris Confessionum, quarum locum Baronius emendandum putat nullius exemplaris subsidio; necnon annorum Augustini series & supputatio, quæ jam videtur a viris doctissimis optimo in lumine collocata.

CA-

CAPUT III.

S. Matris Monicæ virtutes, ac merita commemorantur.

DE Monicæ virtutibus pauca dicturus, illud tantum affirmo Christianis omnibus feminis, quocumque in statu reperiantur, Monicam tanquam singulare exemplum proponendam esse, puellis, nuptis, ac viduis. Cum enim virgo esset, vixit pudice ac sobrie, ac subdita parentibus plenissimam illis obedientiam exhibuit. Eruditam a Domino virga timoris, scribit ipsemet Augustinus. Decrepitæ famulæ, cujus curæ commissa fuerat, tanquam matri obtemperabat, sanctam ejus severitatem sobriamque prudentiam reverita. Moderatissime ad mensam parentum alebatur; extra mensam ad prædictæ ancillæ monita nec frigidam aquam bibere audebat. Tam humiliter increpationes excepit, ut quum aliquando a famula cum amarissima insimulatione vocaretur meribibula, eo quod jussa a parentibus de cuppa vinum depromere, primo labris exiguum sorbere, deinde plenos mero caliculos haurire cæperat; tanquam aliquo percussa stimulo, consuetudinem, quam superessluentibus ætatis excessibus sensim induebat, confestim damnavit, atque exuit. Habent ergo adolescentulæ in Monica, quomodo oporteat puellas in timore Domini virga Christi erudiri, subditas esse parentibus, obtemperare ancillis ætate majoribus, & si qui ludicri motus ebulliant, & vitiosum aliquem actum exerant, statim illos reprimere & cohibere, atque ex aliorum quantumvis amarulentis increpationibus proficere atque sanari. Nuptæ quoque ex Monica qualiter in virum, in socrum, in domesticos, & in filios sese gerant, facile possunt addiscere. Erga virum ita se Monica exercuit: studuit, ut ei moribus redderetur reverenter amabilis ac mirabilis: cubilis injurias ita toleravit, ut nullam de hac re cum marito habuerit unquam simultatem: novit ei, qui sicut benevolentia præcipuus, ita fervidus ira erat, nunquam irato resistere, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Si forte ille inconsideratius fuisset commotus, refracto jam & quieto, cum opportunum videret, facti sui reddebat rationem. Mirabantur aliæ matronæ scientes quam ferocem virum Monica sustineret, nunquam fuisse auditum,

tum, aut indicio aliquo innotuiſſe, quod Patricius uxorem cæciderit, aut quod a ſe invicem vel unum diem domeſtica lite diſſenſerint. Illas quoque arguentes inter amica colloquia maritorum vitam, veluti per jocum graviter admonebat, dicere ſolita matrimoniales tabulas tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, ab eis deputandas, eaſque ſuperbire adverſus dominos nón oportere. Ipſum denique virum in extrema ejus temporali vita Deo precibus lacrymiſque lucrata eſt: Ita Monica viri ſui amorem promeruit, dilexit honorem, æternam ſalutem obtinuit. Socrum ſuam ſuſurris malarum ancillarum adverſus ſe irritatam ita devicit obſequiis, ut ipſamet ſocrus filio proderet famularum loquacitatem, expeteretque vindictam. Hac ratione ſocrus nuruſque nulla ancillarum obloqui audente, memorabili inter ſe benevolentiæ ſuavitate vixerunt. Erga alios ita Monica fuit comparata, ut inter diſſidentes atque diſcordes ſemper ſe præberet pacificam; & nihil alteri de altera unquam ſignificaret, niſi quod ad illas reconciliandas valeret. Qualis fuerit in filios, brevi attingam. Enutrivit illos, toties eos parturiens, quoties a lege Dei deviare cernebat. Auguſtinum vero, quem acriori ingenio præditum cernebat, atque ad ſublimiora Deus præelegerat, peculiari ſolicitudine rexit, A primis annis illum in numero Catechumenorum conſtituit, eique puero, dum in mortis periculo verſaretur, curabat feſtinabunda, ut adminiſtraretur ſacramentum baptiſmatis, etſi id periculo admoto, atque ita domino diſponente, dilatum fuerit. Tam aſſiduis precibus pro illo orabat, ut in prologo libri de Beata vita ita de Matre Auguſtini ſcripſerit, *cujus meriti credo eſſe omne, quod vivo:* atque libro 2. de Ordine cap. 20. *Cujus precibus indubitanter credo, atque confirmo, mihi iſtam mentem Deum dediſſe, ut inveniendæ veritati nihil omnino præponam, nihil aliud velim, nihil cogitem, nihil amem.* Quid vero egit viro ſuo viduata? Principio repetens animo ſibi uni filiorum curam committi; ſumptus, ut dixi, quibus ſtudia proſequeretur, Auguſtino adoleſcentulo procuravit. Hunc in Manichæorum hæreſim prolapſum uberrimis lacrymis flevit, ejus convictum generoſe averſata. Conſcenſa navi, & nautis de fauſto & felici itinere præmonitis, fugientem natum per maris diſcrimina proſequuta eſt: ejuſque converſione tandem obtenta, gaviſa eſt ſummopere,

pere,

pere, exultavit, triumphavit, Deo benedixit. Hæc vero erant viduæ hujus religionis opera, & exercitamenta pietatis. Eleemosynas frequentabat, obsequens erat Sanctis, nullum diem prætermittebat ad altare oblationem; bis in die, mane & vespere ad Ecclesiam sine ulla intermissione veniebat, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, sed ad orandum, & audiendum verbum Dei. Hæc quotidiana Monicæ consuetudo, quum adhuc in Africa moraretur. Mediolanum cum pervenisset, se, filiumque humillime commendavit Ambrosio, quem tanquam Angelum diligebat. Memorias Martyrum religiosissime adiit, patriamque consuetudinem deferendi ad illas canistrum cum solemnibus epulis prægustandis & largiendis, admonita ab ostiario statim correxit, potius accusatrix consuetudinis suæ, quem disceptatrix illius prohibitionis effecta. Dum persequente Justina matre Valentiniani adhuc pueri Ambrosium, & Arianis patrocinante, plebs in Ecclesia excubaret parata mori cum episcopo suo, Monica solicitudinis & vigiliarum primas tenens orationibus vivebat. In agrum Cassiciacum cum Augustino secessit, colloquiorum omnium, ac disputationum particeps, scientiarum quoque, ac præsertim divinarum Scripturarum studiosissima. Servorum Dei, quibuscum Augustinus contubernium inierat, ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ita omnibus servivit, quasi ab omnibus genita fuisset. Die tandem impendente, qua migratura erat ex hac vita, una cum filio rapta est in contemplationem æternæ vitæ Sanctorum, & quantum fieri potest in hac mortali peregrinatione, attigit æternam sapientiam super omnia manentem; atque paucos post dies, illud tantum rogans, ut ad Domini altare ipsius qui aderant meminissent, sanctissimo fine quievit, Virginum, Nuptarum Viduarumque exemplar præclarissimum, feminеique sexus gloria, decusque immortale. Verum cum beatissimi Ambrosii, qui Augustinum videns semper in laudes Sanctissimæ Matris effundebatur, ejusdemque Augustini præconiis Monica celebretur, necessum non est de illius virtutibus plura dicere.

GA-

CAPUT IV.

De Corporis S. M. Monicæ Translatione.

Corpus S. Matris apud Oſtia Tiberina in Templo S. Aureæ conditum uſque ad annum 1430. delituit. Eo autem anno die nona Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum, Romam delatum eſt, atque in ſacram S. Tryphonis ædem translatum opera Petri Aſſalbitii Electenſis epiſcopi, & Apoſtolico Sacrario Præfecti, Antonii Oratoris a Rege Aragonenſi ad Apoſtolicam Sedem miſſi, Auguſtini Romani tunc Generalis, ac paulo poſt Nazianzeni, deinde Cæſenatenſis epiſcopi aliorumque Auguſtinianæ familiæ antiſtitum & ſodalium, facultate ſibi facta a Martino V. qui eodem anno 1430. quinto Kal. Maji eamdem Translationem Brevi Apoſtolico confirmavit. Plura in ea Translatione miracula contigerunt; nam plebejus, qui ingenti concurſu viſo, marcido laborans corpore, imploravit B. Monicæ opem, a lepra mundatus eſt; Romano civi, cujus oculi penitus caligaverant, oranti dies illuxit; puerulus altero oculo captus utrumque lumen recepit; alter gravi & implicito morbo correptus, in arcam, ubi venerandum corpus Oſtiis ſervatum fuerat, impoſitus ſtatim convaluit; mulier Silvia nomine ex intolerabili ac diuturno dolore capitis liberata; altera extrema febri ac tumore laborans, ut loculum tetigit, valetudinem recuperavit; puer, qui ſumpto toxico moriebatur, non prius commendatus Monicæ, quam ſanatus: nobili feminæ paralyſi, & morbo comitiali vexatæ ſanitas mox ad integrum reſtituta: puella lethali peſtilentiæ morbo gravata, continuo ex præſentiſſimo periculo erepta; uxor fabri, qui ſepulcri ferramenta confecerat, ex ſterili donata fecunditate; idem faber pœne cæcus ſplendidum lumen obtinuit. Hæc, aliaque in oculis omnium geſta, ipſe Martinus V. in Sermone *ad Fratres Auguſtinianos de Translatione Corporis S. Monicæ Oſtia Romam*, ibidem typis edito an. 1586. recenſuit. Ita S. M. Monicæ corpus in Eccleſia S. Tryphonis prædicto anno in marmoreo ſepulcro, & mira arte elaborato collocatum eſt, dante operam Maphæo Vegio Laudenſi Martini Papæ V. Datario, qui & de eadem Translatione, & de laudibus S. Matris librum

scripsit impressum Romæ anno 1479. Idem Maphæus Vegius anno 1440. curavit, ut propriis sumptibus extrueretur atque ornaretur Sacellum Ecclesiæ S. Tryphonis proximum, ubi decentiori cultu servatum est sacrum illud depositum ad annum usque 1480. quo tempore transvectum fuit in novam Ecclesiam S. P. Augustini a fundamentis excitatam a Guilelmo S. R. E. Cardinali Estoteville Archiepiscopo Rotomagensi nostræque Familiæ munificentissimo Protectore. In hanc vero novam Ecclesiam sacrum Corpus illatum est una cum prædicta marmorea arca sumptibus Maphæi Vegii constructa, cui & versus incisi sunt ab eodem Vegio compositi:

Hic Augustini sanctam venerare parentem,
Votaque fer tumulo, quo jacet illa, sacro.
Quæ quondam gnato, toti nunc Monica mundo
Succurrit precibus, præstat opemque sibi.

CAPUT V.

Translatio Corporis S. Monicæ ad Monasterium Aroasiæ a Vualtero Canonico Regulari descripta narratur, unde adversus dicta num. præcedenti oritur oppositio.

AD hanc *Translationem* in dubium revocandam urgeri solet Translatio alia vetustior, facta, ut prætenditur, anno 1162. a Waltero Canonico Regulari Aroasiensi, qui cum ad Alexandrum III. a Fulberto Abbate S. Nicolai de Aridagamantia in Belgio, ubi conditum est Aroasiæ monasterium, missus fuisset, reversurus in patriam dicitur Ostiis corpus S. Matris subripuisse, & clam Aroasiam adsportasse. Ad veritatem hujus Translationis comprobandam adducitur primum scriptum ejusdem Walteri ab Henschenio & Papebrochio in lucem editum Tom. 1. SS. Maji pag. 481. Doctissimi hi viri narrationi Walteri fidem habendam esse arbitrantur, quod sine fuco videatur conscripta; ac fruatur plusquam quinque sæculorum prærogativa: quibus accedit quoque Reliquiarum præsentia apud Belgas a prædicto tempore indubitata. Narrationis Walterianæ summa est: Abbatem Phaleræ, qui cum Waltero Ostiis tempus navigationis expectabat, quadam die in porticu

epi-

episcopalis Ecclesiæ S. Aureæ Virginis inter colloquendum Ostiensibus Canonicis dixisse, num illic Mater S. Augustini sepulta esset? Eorum unum respondisse non ibi, sed *in antiqua Ostia*, quæ olim mari propinquior erat, sed eo temporis jam penitus destructa, Augustini parentem fuisse sepulcro conditam. Eam appellari ab illis *Primam*, quoniam etsi in libris Confessionum S. Augustinus nominaverit eam *Monicam* Græca lingua, ab ipsis tamen Ostiensibus Latine *Prima* appellabatur; quod Latinum vocabulum idem sonat, ac Græcum, *Monica*: tanquam sanctissimam illam haberi, ac sæpe itinerantibus in religioso habitu apparuisse, illos familiariter allocutam: visam in habitu Monachæ cuidam juveni pertranseunti, eique dixisse se Monicam esse, nuntiaretque Clericis S. Aureæ ut in locum honestiorem illam transferrent: contigisse hanc apparitionem *præterito anno*; aliis visionem hanc repetitam cum eadem jussione: de hujusmodi apparitionibus serio animo cogitasse Andream quemdam presbyterum, in tibia, Monicæ intercessione, sanitatem consecutum, atque ita factum de illarum apparitionum veritate certiorem: eumdem Andream cum instrumentis ad terram effodiendam necessariis cum ipsis Canonicis Ostiensibus, qui hæc narrabant, ad locum, ubi Monica sepulcro latebat, perrexisse: effodientes terram primo marmoream pilam, deinde guttam aquæ stillantem, postremo sepulcrum lateribus bituminatis paratum, quemadmodum Monica ipsa prædixerat, fuisse reperta: effracto hoc sepulcro singulos mira odoris suavitate, ac si omnia aromatum & pigmentorum genera ibi servarentur, fuisse respersos: Tum ossa reverenter collecta, atque a parte capitis simul posita, iisdemque lateribus cooperta: significatam inventionem hanc Episcopo Ostiensi, ut quam citius posset illuc adiret, eoque præsente Reliquiæ solemniter translatæ in Ecclesia honorifice conderentur: mortuo interim Adriano Papa, & statim schismatis tempestate suborta, non licuisse episcopo illuc accedere, atque ita ossa S. Monicæ remansisse, sicuti fuerant inventa, simulque composita: Abbatem Phaleræ ac Walterum desiderio videndi locum arsisse; ad illum non procul, sed quasi duobus stadiis distantem ab oppido, Canonico illo comitante profectos, oculis quæ narrata erant intuitos, atque Ostiam nil fraudis molientes fuisse reversos: post aliquot dies Walterum, suadente Clerico quodam nomine Ulrico,

rico, attenta competenti hora, accessisse ad sepulcrum, & caute abstulisse caput, illudque minimis ossiculis implevisse: visum ei capite sublato unum adhuc os tollere, & rursus aliud, atque hoc modo ossa omnia singulatim collegisse: post varia discrimina Walterum cum sacro Monicæ corpore pannis involuto pervenisse Aroasiam, honorifice illic exceptum, & miraculis visibusque cælestibus comprobatum. Hæc narrationis Walteri summa est. Fidem ei amplius conciliare Bollandistæ opinantur, quod revera priscorum Christianorum cæmeteria fuerint extra urbem. Addunt satis credibile esse, Augustinum funera matris curantem lateritio conditorio fuisse contentum, quod res peregre ageretur inter ignotos hospites, nec matrem exquisitioris monumenti cura tetigerit. Concludunt nil mirum, si post tria secula creditum sit, corpus S. Monicæ inveniri apud Ostia Tiberina, furtum iis occultantibus, quorum incuria contigerat. His adde, hujus Translationis meminisse Joannem Molanum in Natalibus SS. Belgii ad diem IV. Maji.

CAPUT VI.

Asseritur Translatio corporis S. Monicæ Romam, ejusdemque corporis identitas *ex Historia Maphæi Vegii Laudensis.*

NOn abs re factum puto, si hanc Translationum Aroasianam breviter oppugnavero, quum ea Canonici quidam Regulares usi fuerint tanquam re certa, ut de corpore quoque Augustini Papiæ adinvento dubitationem ingererent, uti quodam Scripto Italice edito, cui titulus, *Motivi di dubitare, ec.* molitus est eorum unus, idest D. Marius Callini §. 3. num. 24. & §. 4. num. 7. cui tamen præivit Pennottus libro I. Historiæ Tripartitæ cap. 50. Id vero facile consecuturi sumus, si momenta, quibus demonstratur veritas Translationis Romanæ, proponamus, eaque, quibus innnixa est Aroasiana, ad trutinam revocemus. Itaque adducimus priori in loco historicam narrationem Maphæi Vegii ex editione superius memorata; ex qua percipitur, quam levi conjectura Bollandistæ asseruerint (nam & id pronuntiant) ignorantiam Translationis factæ in Aroasiam fuisse in causa, ut aliud corpus,

for-

fortaſſis S. Primæ, abſque accurato rerum examine, loco corporis S. Monicæ fuiſſe ſuppoſitum, illudque in Urbem translatum. Narrat itaque Vegius Martino V. ſedente Deum miſiſſe in mentem *cujuſdam Johannæ religioſiſſimæ feminæ, quæ nulli unquam nupta caſte & ſanĉte per omnem ætatem ſuam ad longos jam annos perducta ex propoſito ſemper ita vixerat*, ut perſuaderet Fratribus Auguſtinenſibus, qui Romæ habitabant, ut receptum translatumque in Urbem irent corpus beatiſſimæ Monicæ: *quod certo apud Oſtia Tiberina ſub altari ſanctæ Aureæ conditum eſſe a multis grandioribus natu, majoribuſque ſæpe audierat*. Unde liquet perpetuam de corpore S. Matris apud Oſtia permanente ad tempora uſque Martini v. traditionem perſeveraſſe. Proſequitur deinde Vegius narrare, quomodo prædicti Auguſtinenſes Pontificem adierint, is vero illos ſuſcipiens plene honeſtiſſimis illorum votis annuerit. Tum Vegius ita pergit: *Unde læti ocius illi eo proficiſcentes, templumque S. Aureæ introeuntes, quæ magna ibi cum incolarum & navigantium devotione colitur, primum altare, quod memoriæ ejus dedicatum, in interiori fornice ſecretius latum aperire uſque ad extrema fundamenta magna vi diu aggreſſi ſunt; nihilque prorſus invenientes fruſtrati omni ſpe, infectoque negotio omnes abierunt. Unus tantum remanſit, qui rem animo altius fixam habebat, perſeveranter cæpto operi inſtans, cupienſque, ſi Deus annueret, quod tamtopere attentaverant, perficere*. Huic ſenior incola, qui primum veritus ne corpus Sanctæ cogitaret auferre, id ægerrime patiebatur, audiens non S. Aureæ, ſed Monicæ matris Auguſtini exuvias quæri, nec niſi ſummi Pontificis juſſu id agi, *Age ergo, inquit, ſi tantum B. Monicæ corpus optas, fac quod libet, ſed ſcito hic fruſtra tempus conterere, niſi me fallit, quod a majoribus noſtris indubitata fide ſemper accepi: hic ſubtus alium formicem extructum eſſe, ubi multorum Sanctorum ſuis quæque tumulis poſita corpora requieſcunt, atque inter cætera ſanctæ etiam Monicæ, cujus cauſa nunc tu tantum inſudas*. Oſtendit quoque ſenex qua parte paries eſſet perfodiendus ad ſacrum conditorium inveniendum, certis hujus indiciis patefactis. Hæc cum ille audiſſet, magna affectus lætitia, ſtatim ſocios advocari juſſit, qui ad tria jam millia paſſuum abſcedentes iter confecerant. Oſtia reverſis omnia, quæ ſenex narraverat, nuntiata, omneſque ad opus rurſus ſeſe applicuerunt. *Accenſis autem*

tem subito cereis (verba sunt Vegii) *fornicem ipsum subterraneum ingredientes quinque ibi tumulos marmoreos ordine dispositos intuentur, quorum quilibet, apposita plumbea lamina, quid contineret, indicabat. Primus quidem corpus S. Lini Papæ, secundus S. Austerii Martyris, tertius S. Constantiæ, quartus S. Auræ Virginis, quintus vero S. Monicæ matris Augustini. Porro qui continebant corpora Austerii & Constantiæ tumuli, ambo aqua limpidissima pleni erant: ubi vero corpus Sanctæ Aureæ jacebat tumulus instar auri renitentem aquam servabat; reliqui nihil liquoris omnino habebant. Nec mora exultantes illi, meritasque Deo laudes decantantes, dimissis reliquis corporibus, eduxerunt tumulum, in quo jacebat corpus beatæ Monicæ, ac per Tiberim usque ad Basilicam Sancti Pauli summa cum veneratione detulerunt.* Cetera brevitatis gratia prætermitto. Hinc vero satis constat translationem corporis S. Matris factam sedente Martino V., peractam fuisse jussu & auctoritate Apostolicæ Sedis: corpus S. Matris eo loci adinventum, ubi conditum esse ferebat perpetua patrum traditio: huic traditioni eventum respondisse; singulos Sanctorum tumulos habuisse laminas, quibus distinguerentur; nec ignotum aliquod corpus, sed recognitum probatumque Romam fuisse translatum. Atque hi omnes characteres & notæ quemadmodum commonstrant neminem de hac translatione, & de veritate corporis Sanctæ Matris posse prudenti aliqua ratione dubitare, ita evincunt fictitiam esse translationem illam Walteri, & corpus nullo charactere, nulla nota distinctum imprudenter existimari corpus Beatæ Monicæ. Nec est cur dubitemus de Maphæi Vegii auctoritate: quum ille fuerit tunc temporis Datarius Summi Pontificis, vir maximæ pietatis, probatæ fidei, ac doctrinæ, & qui ab ipsis Bollandistis magnopere laudatur, non tantum in Vita S. Matris Monicæ tom. 1. Maji pag. 491. verum etiam Tom. 4. pag. 420. in Commentario prævio ad Vitam S. Petri Cœlestini, & tom. 5. pag. 256. ad Vitam S. Bernardini Senensis. Adde Vegium hujus translationis, & patratorum in ea signorum occasione, tali erga Monicæ venerandas Reliquias devotione fuisse inflammatum, ut illis sepulcrum extruxerit, sacellum ornaverit, carmen postea producendum conscripserit, epitaphium superius laudatum ediderit, ac post mortem, quæ contigit anno 1458. in eodem sacello mandari terræ voluerit.

Augu-

Auguſtiniana Religio in commemoratione S. M. Monicæ, quam celebrat ſingulis menſibus, legit in Martio tanti viri Homiliam cum hoc titulo: *Homilia Venerabilis Maphæi Vegii Laudenſis*. Verum de hiſtoria, ac pietate hujus Scriptoris hæc tantum.

CAPUT VII.

Superius dicta Martini V. Pontificis Maximi comprobantur auctoritate.

TRanslationem namque, de qua differitur, & corporis S. Monicæ *identitatem* confirmat Martinus V. Pontifex Maximus in Bulla emanata Romæ apud SS. Apoſtolos præcitato anno 1430. quinto Kalendas Majas, atque in ſermone, quem eodem anno habuit recurrente Sanctæ Matris feſtivo die. Illius enim Bullæ hæc ſunt verba. Nuper ſiquidem Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Electenſi Apoſtolicæ Cappellæ Sacriſtæ, & Confeſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Auguſtini de Roma Prioris Generalis, & univerſorum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cujus ipſe Epiſcopus etiam profeſſor exiſtit, Nobis ſupplicante, corpus B. Monicæ S. Auguſtini Matris ex certis piis reſpectibus & cauſis, præſertim quia corpus dicti Sancti ipſius Ordinis Fundatoris, in quadam Eccleſia Papienſi dicti Ordinis, venerabiliter (prout decet) reconditum exiſtit, a loco Civitatis noſtræ Oſtienſis, ubi ſepultum & reconditum fuerat, ad Eccleſiam domus Fratrum dicti Ordinis de Urbe transferendi, & in dicta Eccleſia recondendi, & ſepeliendi, licentiam conceſſimus. Cujus conceſſionis auctoritate prædictum corpus in dicta Eccleſia debitis cæremoniis, & condigna reverentia die nona Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum, translatum, & reconditum extitit. Nos itaque Epiſcopi, Prioris, & Fratrum prædictorum devotionem hujuſmodi religioſis perſonis convenientem approbantes, atque conſiderantes quod ob tranſlationem prædictam major apud Chriſti fideles notitia haberi poteſt, quam ſi in quovis loco reconditum fuiſſet, translationem, & repoſitionem hujuſmodi ratas habentes, & gratas, eas ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate tenore præſen-

tium

tium confirmamus, ut erga dictam S. Monicam magis inflammetur fidelium ipsorum devotio, quasi patulo præconio ad omnium notitiam deduci volumus per *presentes &c.* Me non latet Joannem Baptistam Melegarium Canonicum Regularem Lateranensem, quem citat, refutatque lib. 3. Vindiciarum §. 14. Joseph Sabbatinus Ravennas, aliosque illius Instituti viros reposuisse Pontificis Bullam fœtum fuisse Maphæi Vegii, non autem Martini V. atque in ea falsa quædam contineri, cujusmodi sunt S. Augustinum fuisse nostri Ordinis Fundatorem, ejusque venerandum corpus in nostro Ticinensis civitatis templo asservari. At sinamus Religiosos viros, qui nobis hanc institutionis gloriam invident, suam vero aut ab Apostolis, aut a Marco Evangelista, aut ab ipso Augustino originem nulla alia ratione suadent, nisi quod olim Canonici communem duxerint vitam, quæ ratio omnibus Religiosorum virorum institutis quadrat; quique tam infelici exitu adversus sacras Augustini exuvias pertinacissima contentione pugnarunt; sinamus illos, inquam, tam inepta ac futilia verba effutire. Nam si ob productam rationem, quod *Bullæ* Pontificum ab aliis conscriptæ sint, suam amitterent, aut minuerent auctoritatem; nil profecto esset, quantumvis Apostolicis decretis suffultum, quod eo titulo rejici non posset & exsuflari: qua re nil certe fingi potest audacius & impudentius. Verum a quocumque Martini Bulla existimetur conscripta, quando Pontificio sigillo munita, & consueta Curiæ Apostolicæ praxi, non dolose, aut furtim prodiit in lucem; eadem potitur, quam aliæ quæcumque Bullæ habent, auctoritate. Quibus illud addendum est, Maphæum Vegium, de quo diximus paulo supra, virum fuisse tali doctrina, ac tali probitate exornatum; ut, etiamsi fuisset Bullæ illius fabricator, non tamen id Pontifice non jubente attentasset, nec sensus alios, quam ejusdem Pontificis expressisset.

CA-

CAPUT VIII.

De Sermone ejusdem Martini V. ad Fratres Augustinenses.

NEc in ea tantum Bulla, sed etiam in præcitato Sermone Martinus V. S. M. Monicæ Translationem splendidissimis laudibus celebravit. Sermonem vero ipsum Romanis typis procusum anno 1586. cum etiam ab Aloysio Torelli ad annum 1430. & a Bollandistis ad diem IV. Maji proferatur, necessum non est hoc in loco producere. Dicam tantum in eo S. Matris translationem, & quæ in ea contigerunt miracula, fuse narrare, Monicæ laudes complecti, ac de nobis Pontificem Maximum honorificentissime loqui. Inter cetera hæc habet: *Sicut enim audivimus, Tiaram Augustini, lituumque illius Pastoralem non ante multos dies reperta, magnoque pretio redempta in Sardinia, Valentiam translata esse: ita omnibus locis & rebus bene successit, definiente Deo, ut qui rite præter ceteros Augustinum colitis, soli omnem illius suppellectilem possideatis. Quid enim magis congruit, quam eosdem rerum & corporum custodes esse, qui nominis sint hæredes? Igitur jam omnem Augustinum habetis: jam universam illius rem & familiam possidetis.* Hæc leguntur pag. 22. memoratæ editionis. Fieri non potuit, ut hæc, tanto erga nos amore prolata, tranquillo animo ab adversariis nostris exciperentur. Scripsere propterea cum Gabriele Pennoto sermonem illum cujusdam Augustiniani Eremitæ censendum esse figmentum; neque enim ex ore Pontificis mendacia hæc excidissent. Mendacia autem dicunt, quod nos soli Augustinum colamus, quod hæredes simus illius corporis, quod Monicam tanquam matrem habeamus, & quod Augustinus (nam & id pag. 15. legitur) Romam Mediolano redux adierit commorantes in Thuscia Eremitas. Arrisere nugæ istæ etiam Bollandianis, qui sæpe laudato Volumine I. Maji pag. 491. inquiunt elucere in eo sermone *affectum erga Eremitas, non qualemcunque, sed usque ad invidiam Canonicorum Regularium exaggeratum, quando horum nulla fit mentio, eamdem regulam profitentium, & pari jure, aut potiori obtinentium Ecclesiam Papiensem, uti constat ex Pennotto lib. I. cap. 63. n. 6. proferente conventiones anno* 1331.

legitime signatas inter Abbatem suosque Canonicos, & Priorem Generalem suosque Eremitas, &c. Merito *nugas* objecta hæc appellavi. Nam quod ait Pontifex, nos *præter ceteros* cultum Augustino exhibere, non demonstrat nullos esse alios, qui ipsum venerentur ut patrem: atque est *abominanda insolentia* (inquit pag. 26. in eodem sermone Summus Pontifex) *religiosis religionem invidere*. Neque asserit nos solos possidere Augustini corpus, id, quod adeo Bollandistæ mirantur; sed commemorata translatione Mitræ, & Pastoralis ad Valentinum Ordinis nostri monasterium, ait solos nos possidere Augustini *supellectilem*; illam scilicet tiaram, & illum baculum pastoralem Valentiam translata. De Ecclesia itaque Papiensi, & de Augustini corpore in illa asservato, inepte Martini V. verba viri, alioquin doctissimi, interpretantur; circa quæ nec aliena invasimus jura, nec nostra negleximus vindicare. De Thusciæ vero Eremitis, ad quos S. P. Augustinus accessit, quoniam alio in loco prolixe egimus, eadem repetendo tempus terere non debemus. Nos potius illam Augustini profectionem comprobari verbis hujus sermonis arbitramur. Eumdem vero sermonem, *rejectis* adversantium cavillulis, satis vindicatum esse censemus. Enimvero constare illum verbis Martini Quinti, & huic esse adscribendum, asseruit quoque in notis ad Martyrologium Romanum Cæsar Cardinalis Baronius. Et revera fraudem in producendo eodem sermone suspicari non potest, quisquis non ignorat quomodo in lucem prodierit. Ut typis ederetur, dedit operam F. Augustinus Molarius Fivizzanensis Præfectus Apostolici Sacrarii, vir doctrina & integritate conspicuus, & qui non sine sanctitatis opinione decessit. Nec id egit levi causa permotus, sed Thaddæi Perusini nostri Ordinis Generalis Vicarii, aliorumque piorum & eruditorum virorum consilio, & hortatu, ut ipse testatur in epistola ad Cardinalem Sabellum Episcopum Portuensem. At de Augustino Fivizzanensi dicam alibi. Nunc satis constat Martini V. celeberrimo testimonio, ejusque Pontificis Bulla, Sanctissimæ Matris Monicæ corpus apud nos asservari. Verum utique est in iis, quæ ad historias & ad facta pertinent, non esse Romanorum Pontificum definitiones ac verba illius invictissimi roboris, cujus sunt in rebus ad fidem moresque spectantibus:

sed

ſed tamen in factis quoque, maxime quæ ab illorum judicio pendent, & quæ illorum juſſu, & auctoritate, omni humana diligentia adhibita, peraguntur, cujuſmodi ſunt ſolemnes ſacrarum Reliquiarum translationes, omnem illam moralem certitudinem habent, quam habere poſſunt quæcumque illuſtriora hiſtorica monumenta.

C A P O IX.

Confirmant prædictam Translationem Martyrologium, ac Breviarium Romanum.

Adeo celebris, & miraculis comprobata fuit corporis S. Matris Monicæ translatio, ut etiam in Martyrologio Romano fuerit enarranda. Quare in eodem Martyrologio V. Idus Aprilis hæc leguntur: *Romæ translatio corporis S. Monicæ Matris B. Auguſtini Epiſcopi, quod ex Oſtiis Tiberinis Martino V. Summo Pontifice in urbem delatum, in Eccleſia ejusdem beati Auguſtini honorifice reconditum fuit.* Addidit huic loco ſequentem adnotationem Cl. Eccleſiaſticorum Annalium Parens Cardinalis Baronius: *Translatio S. Monicæ. Facta eſt ſub Martino Papa Quinto, extatque diploma in regiſtro anno* XIII. *ſui Pontificatus. Legimus & ſermonem ejusdem Pontificis ad fratres Auguſtinianos, quo etiam hiſtoria texitur de eadem tum facta translatione, inſuper & de miraculis, quæ tunc etiam contigerunt. Eſt ejus exordium: Gaudeo mihi quoque, fratres religioſiſſimi, &c. Facta eſt hæc translatio anno Domini* 1430. Nec eſt quod reponat aliquis, Baronium dum hæc ſcriberet, ignoraſſe quæ de translatione Aroaſiam facta leguntur in Codice Walteri; nam etſi Baronius Codicem illum non viderit, qui anno tantum 1680. in actis SS. publicam lucem adſpexit; non tamen vir erudiciſſimus ac præſtantiſſimus ignorabat quæ paucis annis ante recuſum cum adnotationibus ſuis Martyrologium ſcripſerat Joannes Molanus in natalibus Sanctorum Belgii. Illud enim Molani Opus, in quo pag. 86. translatio Araoſienſis & Codex Walteri commemorantur, Lovanii anno 1595. opera Henrici Cuyckii, cum paulo ante Molanus naturæ conceſſiſſet, excuſum fuit; Martyrologium vero Romanum cum Baronii ad-

notationibus prodiit rursus in lucem emendatum anno 1598. Vaticanis typis procusum. Quanta autem existimatione Baronius prosequeretur Joannem Molanum, & quanta solicitudine egerit cum Henrico Gravio Theologo Lovaniensi, ut posthuma Molani opera procuderentur, dignosci facile potest ex iis, quæ habentur cap. 9. Præfationis Romano Martyrologio præmissis, ubi Baronius de Molano ita loquitur: *Equidem tanti Viri de Ecclesia Dei, & veritate Catholica optime meriti, nec brevem schedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenue) isthæc omnia hac ex parte accepta refero, quod in densissimam sylvam primus ipse ingressus, mihi aliisque aditum patefecit: quo etiam nomine cum ego, tum eruditi omnes plurimum ei debere libenter agnoscimus, & profitemur.* Itaque Baronius hoc loco Molanum habens, hujus scripta avidissime perlegens, illorum editionem procurans, atque ad exornandas Martyrologii Romani adnotationes assiduo studio, & infinita lectione se comparans, non legisse memoratum Molani Opus, nulla ratione credendus est. Quare Araosianæ translationis non meminit, non quia illam ignoravit, sed quia fabulosam Walteri narrationem Bullæ & Sermonis a se laudati auctoritate satis explodi cognosceret, nec illam dignam existimaret, quæ selectis brevibusque illis adnotationibus insereretur. Ad Martyrologium vero accedit Breviarium Romanum, in quo de S. Monica die 4. Maji hæc leguntur: *Ejus corpus ibi* (scilicet apud Ostia Tiberina) *in Ecclesia S. Aureæ sepultum est: quod postea Martino V. Summo Pontifice in Ecclesia Sancti Augustini honorifice conditum est.* Hæc, quæ in Breviario Romano continentur, inserta illi fuerunt, posteaquam sedente Clemente VIII. lectiones ejusdem Breviarii, quæ comprehendunt historias Sanctorum, a viris doctissimis, ac præsertim ab eodem Baronio, & a Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinalibus castigatæ fuerunt, rejectis iis omnibus, *quæ jure merito revocari poterant in dubium*, ut narrat Bartholomæus Gavanti Comment. in Rubricas Breviar. Rom. sect. v. cap. 12. num. 16. & dum quæ ad historiam pertinent, majori quam antea factum sit, diligentia a viris sapientissimis ad trutinam revocarentur: nec ii, qui postmodum de Breviario rursus emendando jussu Romanorum Pontificum scripserunt lucubrationes, quarum permultas diligenter pervolutavi, de iisdem

era-

tradendis excogitarunt: quod ſacrilegum duxerint ſolemni translationi orbi univerſo notiſſimæ, & Apoſtolicis litteris confirmatæ furtum præferre a privato ſcriptore confictum.

CAPUT X.

Enarratur eadem Translatio in Martyrologio, & in Breviario Auguſtiniani Ordinis.

SUperfluum fortaſſe videbitur, commemoratis Breviario & Martyrologio Romano, alia ejusdem generis proferre momenta. At nonnulla producere rurſus fas eſt e domeſtica penu, quæ non ſunt penitus contemnenda. Legitur in Martyrologio ordinis quinto Idus Aprilis: *Romæ Translatio corporis S. Monicæ Matris beati Patris noſtri Auguſtini, quod ex Oſtiis Tiberinis, Martino V. Summo Pontifice, in Urbem delatum, primo in Eccleſia S. Tryphonis, deinde in templo ejuſdem beati P. Auguſtini honorifice reconditum fuit, ubi pie colitur.* In Breviario autem habetur eodem die Officium hujus translationis, quæ iisdem verbis Maphæi Vegii, & Martini V. deſcribitur. Extat & ibidem haud vulgaris Poetæ hymnus, in quo eleganter exprimitur, cur congrum fuerit Sanctæ Matris exuvias in urbe Roma tandem recondi. Strophas ejusdem hymni duas tantummodo exſcribam:

Perge Mater quo vocaris:
Ad triumphos quæreris.
Serta nectit, & coronas
Roma plaudens præparat.
Æmulata flendo Petrum,
Urbe Petri conſide.
Perge ad arcem ſanctitatis,
Gloriæque regiam:
Vade, ibidem glorioſis
Sepienda collibus,
Ipſa ſedes caritatis,
Ipſa amoris regia.

Illud autem translationis Officium, in quo hæc habentur, regen-

regentibus Augustinianam Familiam viris religiosissimis ac sapientissimis, Nicolao Oliva Senensi, & Hieronymo Valvasorio Mediolanensi, una cum Ordinis nostri Officiis aliis, sedulo expensum, libratum, & a viris sacrarum historiarum peritissimis emendatum diligentissime fuit, & auctoritate Clementis X. Pontificis Maximi approbatum; prout constat ex Apostolicis ejusdem Pontificis litteris datis die 28. Aprilis anno 1673. & Augustiniano Breviario præfixis. Sunt ergo quæ de translatione S. M. Monicæ superius diximus, a Romanis Pontificibus sæpenumero confirmata.

CAPUT XI.

Discutiuntur quæ num. 5. præmissa sunt de Translatione altera, a Waltero descripta.

JAm vero exsufflanda sunt quæ supra num. 5. narrata fuerunt de translatione Araosiana. Ipse Walterus, cujus furtum suum enarrantis unicum testimonium producitur, inquit num. 8. interroganti Abbati Phaleræ Canonicos Ostienses, num apud eos Mater S. Augustini sepulta fuerit, respondisse Canonicorum unum, non illic, sed in antiqua Ostia, quæ mari proximior erat, tumulo fuisse reconditam. At falsum est, aut saltem incertum, Ostiam urbem antiquitus ab Anco Marcio in ore Tiberis ædificatam, & quam mare Tyrrhenum abluit, & in littore sita erat, fuisse diversam ab illa Ostia, cujus etiamnum videntur rudera, & ubi habitum fertur præcitatum colloquium. Antiquitus enim urbs Ostia cum suburbiis & navalibus, aliisque ædificiis occupabat totum illud spatium, quod a sinistro ore Tiberis, ad locum, ubi nunc Ostiæ visuntur reliquiæ, extenditur: si enim civitas tota constitisset in ea parte littoris, quo flumen in mare se exonerat, falsum esset quod permulti veterum tradiderunt, Ostiam ab Anco Marcio fuisse conditam tertiodecimo ab Urbe Roma milliario. Igitur in loco ubi Tibris dividitur in duo alveos, quorum uterque defluit in mare, Ostia olim fuit, ab exitu utriusque sortita nomen, ut non obscure innuit Ovidius Fastorum lib. 4.

Ostia

Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Atque paulo post:

Fluminis ad flexum veniunt, Tiberina priores
Atria dixerunt: unde sinister abit.

Qua itaque præcise Ostiensis urbis parte corpus S. Monicæ mandatum sit terræ, imo & quo loco præcise obierit Parens Sanctissima, ex situ antiquæ Ostiæ difficillimum est divinare. Verum hæc obiter dicta sint, quum parum ad caussam, quam actitamus, conducant. Asseruit Ostiensis Canonicus, posteaquam antiquam Ostiam illinc distantem descripserat, Matrem Augustini lingua illius Gentis dici *Primam*. Quis vero audivit unquam, Monicam a Latinis *Primam* fuisse appellatam? At inquiunt, Monica Græcum nomen est, quod *Primam* interpretantur Latini; idque teste Canonico illo Ostiensi. Iidem Bollandistæ pag. 489. animadverterunt hanc nominis significationem esse a veri etymi ratione alienissimam; quoniam a μόνος, unde Monica, *Unica*, vel *Solitaria* sanctissima Augustini Genitrix dicenda erat, non *Prima*. Sed licet nominis interpretatio, quam Canonicus ille attulit, congrua fuisset; non tamen Latinorum quispiam pro Monica *Primam* pronuntiasset; quemadmodum nemo Basilium, Eusebium, Stephanum, Agatham, dixerit proprio vocabulo *Regium*, *Pium*, *Coronam*, *Bonam*: tametsi hæc nomina idem exprimant, ac præcedentia. Oportet ergo, ut quam Ostienses *Primam* vocitabant, alia ab Augustini parente mulier esset: idque verisimile putant etiam Bollandistæ, ajentes quod sublato per Walterum corpore S. Matris, translatæ fortasse fuerunt in templum S. Aureæ cineres & ossa *Primæ*, quæ ab ignorantibus translationem Walterianam credita fuerint cineres, & ossa Monicæ. Verum, præterquam quod nullo hæc momento afferuntur; si absque fraude descripta credantur, manifestissime evincunt corpus S. *Primæ*, non corpus S. Monicæ, translatum a Waltero Aroasiam. Enimvero *Prima*, Waltero ipso authore, ab Ostiensibus Mater Augustini appellabatur: *Prima* igitur peregrinantibus apparebat: *Prima* loculum suum prodidit: *Prima* in lateritio tumulo fuit adinventa; & quemadmodum decepti sunt cives Ostienses dum exi-

stima-

ſtimabant *Primam* eſſe Monicam ; ita deceptus eſt Walterus , dum putans ſe Aroaſiam transferre corpus S. Monicæ , illuc adſportavit corpus *S. Primæ* . Quare ſi concedamus quoque narrationem Walteri nullo dolo fuiſſe confictam ; non tamen corpus Monicæ , ſed aliud omnino diverſum obtinuiſſent Araoſienſes . Ceterum narratió illa aliis etiam indiciis commentitia deprehenditur. Numero enim 21. narratur illius Sanctæ, quæcunque tandem fuerit , corpus perveniſſe Aroaſiam anno 1162. & ibi in ſacrario honorifice fuiſſe reconditum eodem anno , die 20. Aprilis . At Canonicus Oſtienſis num. 9. narrans S. Primæ, aut Monicæ apparitiones ajebat contigiſſe illas *præterito anno* , ideſt , anno 1161. Deſcriptis deinde iisdem apparitionibus , pergit narrare quomodo venerandum corpus fuerit inventum in lateritio ſepulcro , ac coopertum iisdem lateribus , re poſtmodum nuntiata Epiſcopo , ut ad ſolemnem translationem celebrandam , quamcitius poſſet , veniret . *Sed non multo poſt* (inquit Canonicus Oſtienſis apud Walterum) *Dominus Papa Adrianus obiit*, *& ſtatim tempeſtas iſtius ſchiſmatis*, *ſicut videtis*, *emerſit*. Adrianus ergo, ſi fides huic ſcriptori habenda ſit , e vivis deceſſit anno 1161. quum tamen conſentientibus Hiſtoricis omnibus vita functus ſit Anagniæ Kalendis Septembris anno 1159. eodemque anno die ſeptima Septembris in Summum Pontificem ſit electus Alexander III. Canonicus Piſanus, ac patria Senenſis. Quamobrem inſulſa ac fabuloſa deprehenditur narratio illa Walteriana , tam inepte ludens circa nomen Monicæ, ejusdemque nominis ſignificationem, & ſcatens manifeſtiſſimo anachroniſmo. Hæc vero quum ita ſint , haud ſatis mirari poſſumus confidentiam Walteri , qui numero 21. Hiſtoriolæ ſuæ ait, certiſſime ſe ſcire ſublatum a ſe corpus eſſe corpus S. Monicæ : quando, etſi credatur bonæ fidei auctor, nil aliud ex ejus narratione niſi hoc unum concluditur, perveniſſe ad ſe notitiam ejusdem corporis ex colloquio aliquorum Monicam confundentium cum Prima, ac ſe perductum ad ſacrarum Reliquiarum conditorium ab uno, cujus & nomen, & ingenium ignorat. Ex hactenus autem dictis ſatis conſtat vel fuiſſe inſigniter ſtolidum & Sanctorum nomina permiſcuiſſe , vel eximie verſutum & callidum , ac voluiſſe Belgis, boniſque viris, qualis profecto fuit Walterus iſte, fucum facere.

CAPUT XII.

Responsio ad conjecturas Bollandistarum, & ad testimonium Molani.

AT enim, inquis, navantes operam colligendis illustrandisque Sanctorum Actis censuerunt Walterianum scriptum habere *notas omnes fidelis*, *& coævi Scriptoris*. Ita quidem est, sed quemadmodum est in proverbio, aliquando etiam bonus dormitat Homerus. Atque notas, quibus discerni potest Walteri Codex, satis expendimus: modo superadditas conjecturas eventilabimus. Inquiunt primo in more olim positum, ut cadavera mortuorum extra urbes reconderentur. Verum Ostiensis ille Canonicus, cujus narrationi tota Walteriana fabula innixa est, S. Monicæ corpus in Ostia antiqua, non extra mænia fuisse reconditum affirmavit. Deinde sicuti SS. Lini, Aureæ, aliorumque corpora in Ostiensi templo latebant, ita eo loci asservari potuit corpus S. Monicæ, aut ex cæmeterio, ubi reconditum fuerat, translato; aut Ecclesia, ubi olim cœmeterium erat, ædificata. Præterea in more utique apud veteres positum fuit extra urbes sepelire cadavera, idque per aliquod tempus, ac sævientibus præsertim persecutionibus, & Christianorum rebus necdum firmatis obtinuit apud fideles: sed ab ætate Constantini, & proximo sæculo, quo Sanctissima Mater migravit in cœlum, defunctorum corpora in templis quoque sepeliebantur. Ut enim prætercam Gregorium Nazianzenum, qui Oratione 2. in Julianum Imperatorem describit solemnem pompam, cum qua demortui Constantii corpus in templum Apostolorum ad sepeliendum perductum fuit, & Hieronymum, qui in Epitaphio Paulæ narrat, quomodo translata episcoporum manibus, iisque cervicem feretro subjicientibus, posita fuit in media Ecsia speluncæ Salvatoris, & in eadem Ecclesia sepulcro recondita: ut, inquam, hos prætercam, S. P. Augustinus libro de Cura gerenda pro mortuis cap. 4. num. 6. ait, provisum ætate sua locum sepeliendis corporibus *apud Memorias Sanctorum*. Jam vero quod ajunt Augustinum curantem funus maternum contentum fuisse lateritio sepulcro, tanti filii pietate, ac tantæ

matris merito indignum est, quamquam undulatum illud conditorium cum S. Monicæ ossibus repertum in Ecclesia S. Aureæ, licet marmoreum, non est tanta arte elaboratum, nec tanto æstimandum pretio, ut eidem Augustino, sociisque ejus videri posset nimis magnificum & sumptuosum, & honestius ac nobilius quam hospitibus conveniret. Potest unusquisque conditorium ipsum oculis propriis inspicere Romæ ad dextrum latus sacelli S. Matris, ubi parieti adhæret cum hac inscriptione

IC. XC.

Sepulcbrum ubi B. Monicæ corpus apud Ostia Tiberina annis MXL. jacuit ob in eo edita in ejus translatione miracula ex obscuro loco in illustriorem transponendum filii pientiss. curarunt. anno salutis.

M. DC. LXVI.

Illud quoque, quod Bollandistæ addunt translationem Walteri occultam fuisse tacentibus iis, quorum incuria contigerat, incredibile prorsus est. Nam primo, si fides habenda est codici Valteriano, inventio venerandi corporis nota erat Canonicis & Clericis omnibus S. Aureæ, atque, ut verisimilius est, universis civibus Ostiensibus. Impossibile est autem in re tam celebri, & eventu vulgatissimo tenere silentium. Secundo, adinvento eo corpore, & miræ illius suavitatis narrato miraculo, quisnam devotam plebem continere potuisset, ne ad sacrum monumentum conflueret, atque in tali frequentia quomodo celari potuisset illius thesauri rapina? Tertio Walterus scribit a Canonicis Ostiensibus certiorem factum episcopum, ut quamcito proficisceretur Ostiam, ut adinventum corpus ad Ecclesiam solemniter transferretur: ideoque, etsi Canonici furtum occultare voluissent, episcopus tamen eos de re quam illi nuntiaverant, interrogasset. Quarto non apparet, cur exorto schismate, saltim initio, quando nondum episcopi Itali vexabantur, non potuerit episcopus Ostiensis ad translationem illam celebrandam faciendamque brevissimum iter peragere. Quinto etsi detur non potuisse episcopum eo temporis adire Ostiam; non tamen permisisset venerandum corpus effossum, lateribusque coopertum deserto in loco manere, sed

man-

mandasset Canonicis, ut ipsi in Ecclesiam illud adsportarent. Postremo tunc episcopus Ostiensis erat Humbaldus Allucingulus Lucensis Presbyter Cardinalis Sanctæ Praxedis, qui post Alexandrum III. creatus est summus Pontifex anno 1181. Kalendis Septembris, & Lucius III. appellatus: qui cum dissidentibus ab se Romanis diu, priusquam Veronam se conferret, Velitris, & in diœcesi Ostiensi moram duxerit, proculdubio sacri corporis, cujus inventionem noverat, ablationem furtumque deprehendisset. Non uno itaque ex capite falsum & commentitium esse convincitur, quod ad elevandam translationem corporis S. M. Monicæ factam sub Martino V. scripserunt Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, præcessisse translationem aliam, sed quæ ad Romanorum notitiam nunquam pervenerit: acciditque Papebrochio, quod ei etiam evenit circa translationem Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, quorum corpora ex documentis Walteriano simillimis Brisacum transvecta credidit; tam valide a Viro Cl. Joseph Antonio Saxio Ambrosianæ Bibliothecæ Præfecto refutatus, ut cecinerit Palinodiam. Unus nunc restat Joannes Molanus. Hunc ad diem Maji quartam commemorasse translationem Araosiensem, & in summam quoque redegisse quod continetur in MS. Walteri, verissimum est. Sed primo ait hanc esse Araosiensium opinionem; deinde inquit se non reluctari translationi factæ sub Martino V. confirmatæ Bulla ejusdem Pontificis, relinquere tamen Araosienses in sua opinione. *Putant vero Araosienses* (ait Molanus pag. 86.) *thesaurum hunc ad se delatum, quod testem habeant ejus rei in manuscriptis codicibus* Walterum *sui loci Priorem, qui sacras Reliquias se eo attulisse memorat*. Et fabula Walteri in compendium redacta, hæc subjicit proxima pagina: *Objicient fortassis* contra hæc Romani: Maphæum Vegium Laudensem, Martini V. Datarium suis impensis ex Ostia Monicam eo transtulisse, quodque apud Augustinenses in sacello Divæ Monicæ, cujus Officium scripsit, sepulturam acceperit. Extare insuper Apostolicam Martini Bullam. Quibus ego, quod nota & recepta sint, non reluctor: per me tamen licet Araosiensibus, salvo vinculo pacis, in suo *sensu abundare*. Hæc, licet a Belga Scriptore dicta, nobis nullatenus adversari, cum idem Molanus affirmet ea, quæ de translatione ad templum nostrum Roma-

num præmissa sunt, nota esse ac recepta, nec se iis reluctari, perspicuum est atque in propatulo positum. Atque hæc dicta sint de translatione corporis S. Monicæ: de qua translatione non abs re fuit plura dicere, quum nullus hactenus fabulas in scripto Walteri enarratas refutaverit alio argumento, quam petito ex monumentis adductis num. 7. 8. & 10. prædicto scripto nullatenus ad trutinam revocato, uti fecerunt ad annum 1430. num. 8. & sequentibus Aloysius Torelli, & in quadam Dissertatione MS. Italica lingua elegantissime conscripta Guilelmus Artegiani: de quo dicam, si Deus dederit, alio in loco.

CAPUT XIII.

De perspicaci S. Matris Monicæ ingenio, ejusque sapientia.

UT ad Monicam tandem revertatur oratio, illius sapientiam, ingeniumque præstantissimum dignosci potest ex libris Augustini de Beata Vita, ac de Ordine, necnon ex verbis, quæ morti proxima protulit. Primo enim in Opere numer. 10. Augustinus matris sententias admiratus, ait tenuisse illam sublimiorem cognitionem, atque ad *arcem philosophiæ* pervenisse: & lib. 1. de Ordine num. 31. Monicæ petenti, num disputationibus, quæ tunc agebantur, ipsa interesse deberet, respondit filius, non esse illam inde arcendam, quod & feminæ apud veteres philosophatæ dicantur, eidemque Augustino philosophia Matris plurimum placeret. Tum proximo num. 32. ita S. Pater matrem alloquitur: *Contemnerem te igitur in his litteris meis, si sapientiam non amares; non autem contemnerem, si eam mediocriter amares: multo minus, si tantum, quantum ego, amares sapientiam. Nunc vero cum eam multo plus quam meipsum diligas, & noverim quantum me diligas, cumque in ea tantum profeceris, ut jam nec cujusvis incommodi fortuiti, nec ipsius mortis, quod viris doctissimis difficillimum est, horrore terrearis, quam summam philosophiæ arcem omnes esse confitentur, ego ne me non libenter tibi etiam discipulum dabo?* Initio quoque libri 2. hæc Augustinus de Sanctissimæ Parentis ingenio: *Nobiscum erat etiam Mater nostra,*

cujus

cujus ingenium, atque in res divinas inflammatum animum, cum antea convictu diuturno, & diligenti consideratione perspexeram, tum vero in quadam disputatione, quam die natali meo cum convivis habui, atque in libellum contuli, tanta mihi mens ejus apparuerat, ut nihil aptius veræ philosophiæ videretur. Disputatio, quam Augustinus commemorat, est quæ in libro de Beata Vita continetur: ubi beatissima Mater, dum quæreretur quisnam beatus dicendus sit: *Si bona*, inquit, *velit & habeat, beatus est: si autem mala velit, quamvis habeat, miser est*. Addidit Monica de amantibus ac possidentibus bona commutabilia præclaram hanc sententiam: *Etiamsi securus sit ea se omnia non esse amissurum, tamen talibus satiari non potest. Ergo & eo miser, quo semper est indigus*. Tum interrogata quid dicendum sit, si his omnibus abundans cupiendi modum sibi statuat, respondit sententia alia sublimiori: *Non ergo illis rebus, sed animi sui moderatione beatus est*. In eadem disputatione uno verbo sapienter expressit quales censendi sint Academici, dicens: *Isti homines Caducarii sunt*, iis nempe simillimi, quos comitialis morbus subvertit. In disputatione secundæ diei protulit sententias has alias: *Nemo potest pervenire ad Deum, nisi Deum quæsierit: Qui bene vivit, Deum habet propitium; qui male, infestum: Aliud est Deum habere, aliud non esse sine Deo: Qui bene vivit, habet Deum, sed propitium: qui male, habet Deum, sed adversum, qui autem adhuc quærit, nondumque invenit, neque propitium, neque adversum, sed non est sine Deo*. Tertia die, dum disceptaretur, An omnis, qui miser est, egeat? auditis Monica variis Licentii, & Augustini verbis: *Nescio*, inquit, *& nondum plene intelligo, quomodo ab egestate possit miseria, aut egestas a miseria separari. Nam & iste, qui dives, & locuples erat, & nihil, ut dicitis, amplius desiderabat, tamen quia metuebat ne amitteret, egebat sapientia. Ergo ne hunc egentem diceremus, si egeret argento & pecunia, cum egeret sapientia, non diceremus?* Quæ Monicæ verba omnes cum admiratione exceperunt, & Augustinus maxime, qui similia ex Philosophorum libris proferre animo cogitaverat. Eadem tertia die, recitato Ambrosii hymno, Monica ea sententia disputationem absolvit: *Hæc est nullo ambigente beata Vita, quæ vita perfecta est, ad quam nos festinantes posse perduci solida*

fide,

fide, alacri ſpe, flagrante caritate præſumendum eſt. Ne ſingula perſequar, duo addam quæ ex ore Sanctiſſimæ Matris paulo ante obitum proceſſerunt, ex quorum uno docentur matres quid amare debeant in filiis, ex altero vero commonefiunt univerſi quam ſolicitudinem gerere debeant de corpore ab anima ſegregato. Primum expreſſit Monica ita Auguſtinum alloquens, poſt exſtaſim illam mirabilem, qua toto ictu cordis attigerunt ambo æternam ſapientiam, & ad interiora gaudia rapti experti ſunt quale ſit gaudium Domini: *Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim neſcio, jam conſumpta ſpe hujus ſæculi. Unum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem priuſquam morer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te etiam contempta felicitate terrena, ſervum ejus videam. Quid hic facio?* Quibus piiſſimæ Matris verbis docentur parentes, quomodo in filiis pietatem chriſtianam præſertim amare debeant; quam ſi precibus exempliſque obtinuerint, nil eis aliud ſupereſt, quam ad ſempiternam felicitatem adſpirare. Alterum S. M. Monicæ monitum ad omnes pertinet, ut ajebam, & continetur verbis illis, quibus decumbens ait: *Ponetis hic matrem veſtram*; & adſtantium cuidam nonnihil ſubmurmuranti, quaſi Monica non peregre, ſed in patria defungi tamquam felicius optaret; illa vultu anxio eum reverberans oculis, quod talia ſaperet, Auguſtinum intuita dixit: *Vide quid dicit*; tum utrique: *Ponite hoc corpus ubicumque, nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubi ubi fueritis*. Ac paulo poſt: *Nihil longe eſt Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, unde me reſuſcitet*. His vero admonuit nos prudentiſſima Parens, non oportere ut de loco ſepulturæ anxii, & ſolliciti ſimus, poſteriſque hoc maxime inculcandum, ut ſacrificio pretii noſtri animabus defunctorum opitulentur. At legito Confeſſionum Auguſtini librum IX. cap. 10. & 11. Nos modo, poſteaquam nonnulla produximus, ex quibus erui poteſt quo ingenii acumine S. Mater polleret, & qua ſapientia prædita eſſet, id, quod fuit in cauſa ut de illa quoque in hiſce lucubrationibus ageremus; iis, quæ de ipſa dicere inſtituimus, finem imponere volumus Carmine in illius laudem edito ab erudito pioque Scriptore Maphæo

phæo Vegio Laudensi, cujus non semel mentionem fecimus.

CAPUT XIV.

Carmen Vegii, quod extat in fine illius Opusculi de Translatione S. Matris de quo supra num. 6. edito Romæ anno 1479. & rursus ab Augustino Fivizanensi anno 1586. post Sermonem Martini V.

S*Alve* lux matrum, Mater sanctissima salve:
Salve Augustini Monica digna Parens.
O, salve tanti Nati dignissima Mater,
O, salve sexus gloria feminei:
Quæ genuisti illud cunctis mirabile seclis
Ecclesiæ robur præsidiumque sacræ.
Eloquii flumen tantum, quo tota rigatur
Lex sacra, & ubertim Lingua Latina fluit.
Ingenti, flumen tantum, quo tota coruscat
Sacra fides, omnis impietasque tremit.
Quæ longe errantem, longe Christoque rebellem
Vertisti ad veræ Religionis iter.
Vertisti sanctis precibus, quibus anxia semper
Pulsabas magnum flensque gemensque Deum.
Vertisti longo lacrymarum flumine; quo te
Spargebas largo semper & imbre madens.
Felices o! quæ tantum lacrymæ, gemitusque,
Felices tantum quæ potuere preces.
Quæ trahere ad se se summum potuere tonantem,
Ferreque, qua certe mundus egebat, opem.
Ecclesiam tanto quæ firmavere labantem
Robore, felices o! lacrymæ atque preces.
O dulces lacrymæ, vincant quæ mella favosque;
Quæ vincant dulces nectar & omne, preces!
O fervens amor, o pietas incensa parentis,
O qui flagrabat sancta per ossa calor!
O flamma, o nulli facile enarrabilis ardor,
Maternæ o fervor mentis, & ignis edax!
O qui te vehemens æstus pia mater agebat,
Et quo scandebas impetus astra super!

Arden-

Ardentes tanquam longe volucresque sagittæ,
Sic ibant lacrymæ, vota, precesque tuæ;
Æthereique alte penetrabant pectora regis,
Cogebant illum nulla negare tibi.
Quid majora etiam, quam quod sperare vel unquam
Auderes, ultro plura simulque dare.
O quantum tibi nos omnes debere fatemur,
Cujus ope est mundo reddita tanta salus.
Quippe nisi è tenebris ad lumina sacra redisset
Conversus meritis filius ipse tuis;
Altiloquas totum nisi diffudisset in orbem
Doctrinas, tantis totque voluminibus;
Errorum nisi tot pestes stravisset iniquas,
Ingenio nisi tot dogmata prava suo:
Quid mirum si nostra fides, cultusque perisset,
Si totus nostræ Religionis honos?
Nunc vero superi quando ad fastigia cœli
Evectam te nunc purior orbis habet;
Quando hac terrena de fece, & carcere tanto
Eruta tu loca liberiora colis;
Nunc nostris melius rogitans tu consule rebus,
Pro nostra melius funde salute preces.
Affer opem miseris, mundo succurre labenti,
Succurre afflictis rebus, & affer opem.
Te cunctæ exorant gentes, tibi vota profundunt,
Succurre, & cunctis gentibus affer opem.
Omnis te sexus, omnisque te invocat ætas,
Te quicunque vocent, omnibus affer opem.
Præcipue matres, quarum tu experta labores,
Et natis, & tu matribus affer opem.
Te docti ante omnes, ne tu ne despice doctos,
Nemo tuo Nato doctior, affer opem.
Salve lux matrum, mater sanctissima salve.
O Salve æterna laude canenda *Parens*.

DE

DE ADEODATO

CAPUT I.

Concubitus, ex quo Adeodatus procreatus est, excusatur.

AUgustino in urbe Carthagine studiorum causa commorante, atque ex ejus concubitu natus est præstantissimi ingenii, atque optimæ spei adolescentulus Adeodatus. Idem S. Pater in tertio Confessionum suarum libro narrat quomodo eum circumstrepebat undique sartago flagitiosorum amorum, & quomodo ruerit in eumdem noxium amorem, quo capi desiderabat. Eam quoque, cujus amore irretitus est, ad cubilis societatem adlegit. Id contigit circa exitum anni trecentesimi septuagesimi, agente Augustino decimum septimum ætatis annum; nam anno proximo illi, ut mox dicam, natus est puer. Me non fugit esse, qui Augustini damnent intemperantiam, & cum primis ipsemet, qui adolescentiæ flagitia amantissimo fletu expiavit. Sed tamen est, cur adolescentis lapsus excusemus. Nam cum nondum Christo esset regnaturus, unam adamavit, & habuit cum illa consuetudinem: quod civilibus legibus nequaquam prohibebatur. Illam quoque nunquam a se divelli passus est, nisi cum Mediolani de uxore ducenda cogitaret, ei servans fidem haud imparem conjugali; quod in homine Christianæ religioni nondum addicto non turpe atque indecorum, sed quodammodo honestum videri poterat. Hinc Vincentius Rogatistarum episcopus epistola 93. ad Augustinum cap. 13. testatur illum adhuc a fide Christiana alienum quietis & honestatis fuisse cultorem. Ipse tamen Augustinus in publica concione, quam episcopus habuit Carthagine, & quæ est tertia in Psalmum trigesimum sextum, ait se eadem in urbe scelerosam duxisse vitam, & fuisse unum ex iis, quos Apostolus appellat *stultos & incredulos, & ad omne opus bonum reprobos*. Mulier item parem Augustino servavit fidem; atque, ut narrat ipse in sexto Confessionum cap. 15. avvulsa ab ejus latere, tanquam impedimento conjugii, rediit in Africam, vovens Deo alium se virum nescituram. Hæc vero dicta sint, ut appareat non

fuisse Augustini vitam adeo incestuosam ac turpem, ut illam suis animadversionibus, ac præsertim in libros de Civitate Dei, nititur delineare Joannes Phereponus.

CAPUT II.

Brevissimæ Adeodati vitæ dilucidatio.

Itaque, ut ajebam, ex illo concubitu natus est Augustino filius naturalis, Adeodatus nomine. Carthagine anno salutis trecentesimo septuagesimo secundo, Augustini autem decimo octavo, contigit ea nativitas. Nam quando Mediolano simul cum patre, & Alipio Adeodatus baptismum suscepit, puer ille *annorum erat ferme quindecim*, ut legimus Confessionum IX. capite sexto: quindecim vero annis ab anno 387. detractis, ad annum 372. descenditur. Venisse Adeodatum in Italiam, cum Mediolani, ut nuper dixi, fuerit sacro baptismate regeneratus, certissimum est: num vero ductum ab Augustino, quando matre decepta decessit ex Africa, an ab ipsa sanctissima Avia filium profugum insequente, divinare non ausim: sed credo cum matre sua nunquam ab Augustino divulsa Adeodatum iter Italicum peregisse. Ab ipso namque Augustino puerum illum fuisse enutritum scribit citato in loco Sanctus Pater his verbis: *Quod enim enutriebatur a nobis in disciplina tua, tu inspiraveras nobis, nullus alius: munera tua tibi confiteor*. Una cum Augustino, Monica, aliisque sanctæ illius societatis sodalibus Adeodatus in villam Cassiciacum secessit: eruditisque parentis sui, aliorumque colloquiis interfuit. Hujus rei argumentum est, quod in disputationibus de Beata Vita & ipse puer Adeodatus sententiam expressit suam, idque anno 386. quo liber *de Beata Vita*, ut alibi diximus, conscriptus fuit. Sequenti anno, octavo Kalendas Maji, sacro baptismatis, lavacro regeneratus nomen dedit Christo, cum Pascha anno illo celebratum sit septimo Kalendas, ut constat ex epistola Sancti Ambrosii ad Æmilium, atque nos in vita Augustini fuse explicavimus. Baptismi gratia percepta cum patre reversurus in Africam, una simul Thusciæ, & Tyrrheni litoris anachoretas invisit, idem Parentis, servorumque Dei institutum amplexus; ut non immerito dicatur a nostratibus primum Eremi nostræ,

& Au-

& Augustinianæ familiæ germen. Interfuit apud Ostia Tiberina Sanctissimæ Matris nostræ morti atque funeri: & ubi illa efflavit animam, exclamavit in planctum, sed ab aliis coercitus tacuit; arreptoque Psalterio ab Evodio cœpit & ipse Psalmos ex Christiana institutione cantare. Legatur Augustinus Confess. IX. cap. 12. Ubi Adeodatus pervenit in Africam, majus ingenii sui specimem præbuit, litterisque, ac disciplinis capessendis strenuam navavit operam. Cum Patre colloquium illud habuit, unde coaluit liber *de Magistro*, scriptus circa annum 389. Hoc proinde anno Adeodati memoriam consignavimus: nam paulo post raptus fuit, ne intellectum ejus mutaret malitia. Enim vero Pater sanctissimus præcitato capite sexto libri IX. Confessionum Adeodati baptismate, & libro qui inscribitur *de Magistro*, commemoratis, hæc de filio suo Adeodato subjecit: *Cito de terra abstulisti vitam ejus, & securior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi*. Verba hæc Augustini, qui omnes librum Confessionum suarum legentes orabat, ut meminissent ad altare parentum suorum Monicæ & Patricii, uti constat ex fine libri IX. sæpe laudati, de filio autem Adeodato tanta loquitur securitate; hæc verba, inquam, aperte commonstrant maximam adolescentuli innocentiam atque integritatem, cujus merito illum cœlestis gloriæ beatitudine frui cum Gloriosissimo Parente Augustino, Aviaque sanctissima firmissime speramus, & credimus.

CAPUT III.

De acumine ingenii, ac præstanti doctrina, ad quam Adeodatus magnis gressibus properabat.

QUali ingenio puer Adeodatus esset præditus, & quo animi conatu, naturæ vi & paterno incitamento impellentibus ad sapientiæ fastigium tenderet, colligitur ex Augustino in eo capite sexto, quod paulo supra laudavimus de filio suo hæc scribente: *Est liber noster, qui inscribitur de Magistro: ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia quæ inseruntur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sexdecim. Multa ejus alia mirabiliora expertus sum. Horrori mihi errat illud ingenium:*

& quis præter te talium miraculorum opifex? Aliquot puerilis perſpicacitatis ejus commemorabo argumenta. Agens quartumdecimum annum, ac præſens diſputationi ſæpius laudatæ de Vita Beata, dum prima die quæreretur quis Deum habeat, ac Licentius diceret Deum habere, qui bene vivit, Trygetius vero & Laſtidianus Deum habere, qui facit quæ Deus vult fieri, *Puer ille minimus omnium* (verba ſunt Auguſtini de Beata Vita num. 12.) *is habet Deum, ait, qui ſpiritum immundum non habet.* Quæ verba ſanctiſſima mater Monica probavit maxime. Quum vero Auguſtinus poſtera die recogitans quam ſereno purgatoque ſpiritu puer Adeodatus protuliſſet ſententiam illam, petiit quid ſibi videretur immundum ſpiritum non habere, ille ne, qui non habet dæmonem, quo homines evadunt aliquando veſani, an ille, qui animam ſuam a vitiis, & peccatis omnibus purgavit; reſpondit puer abſque ulla hæſitatione: *Is mihi videtur immundum ſpiritum non habere, qui caſte vivit.* Tum interrogatus Adeodatus, quem caſtum putaret, eum ne qui nihil peccat, an eum qui ab illicito concubitu tantum temperet; confeſtim inquit perſpicaciſſimi ingenii puer: *Quomodo caſtus poteſt eſſe, qui ab illicito tantum concubitu abſtinens ſeſe ceteris peccatis non deſinit inquinari? Ille eſt vere caſtus, qui Deum adtendit, & ad ipſum ſolum ſe tenet.* Quæ verba ſicut a puero dicta ſunt, ita Auguſtino placuit ut litteris traderentur: ideoque eodem in libro leguntur num. 18. Jure autem, meritoque conſcripta fuere; nam ſi memoriæ mandanda forent ab aliquo Chriſtiano ſene prolata; majori admiratione ſunt recolenda, quum prodierint ex ore pueri, nondum initiati Religionis noſtræ myſteriis. Eos enim cenſendos eſſe immundos, qui abſtinentes a venere, ſe flagitiis aliis commaculant, doctrina eſt omnium Patrum: unde ipſemet Auguſtinus de Mendacio cap. 20. num. 41. ita caſtitatem definit: *Eſt enim animi caſtitas amor inordinatus non ſubdens majora minoribus.* Quare ubicumque inordinatio amoris reperitur, quæ utique eſt in quolibet ſcelere, ibi caſtitas animorum eſſe nequit. Verum ut majori perſpicuitate dignoſceretur Adeodati ingenium, opus foret ejus ſenſa, quæ in libro de Magiſtro, ut Auguſtinus ait, continentur, diligenter colligere: quod cum neceſſarium non ſit, ac poſſit unuſquiſque ipſum librum pervolutare, ad

ejus

ejus lectionem quemcunque tangat id ſciendi cupido, remittimus. Illud tantum monemus, quæ ibidem Adeodato tribuuntur, dicta fuiſſe adoleſcentuli qui nondum exceſſerat decimum ſextum ætatis annum. Hinc colligere fas eſt, ſtupenda propemodum a puero illo proditura fuiſſe, ſi ad ſenectutem, aut virilem ſaltim ætatem perveniſſet, quem adhuc teneræ ætatis adeo verbis, & eloquio gravem comperimus; & in quo ſapientiæ decus, ut phraſi utar Claudiani 1. in laudem Stiliconis,

A puero, teneriſque etiam fulgebat in annis.

DE LICENTIO

CAPUT I.

De Licentii genere, & rebus ab eo gestis.

POst Adeodatum naturalem Augustini filium, agendum mihi est de Licentio ejusdem Augustini discipulo præstantissimo; cujus ætatem nescio certis finibus circumscribere: sed cum puero Adeodato Licentius fuerit aliquantulum provectior, ut didicimus ex eruditis ejus colloquiis habitis in agro Cassiciaco, ac vixerit Sancto parente Augustino jam ad Episcopatum promoto, quod constat ex epistola Sancti Paulini ad Romanianum scripta anno *396.*, ejusdem Licentii elogium *Cassi* vulgari lingua, parum distans a Mediolano huic anno alligare decrevi. Licentius itaque filius fuit Romaniani Augustino familiariter amicissimi, & Alipio cognati; qua de causa S. Pater de illo honorifice scribit ad Paulinum Nolensem episcopum epistola 27. olim 32. De ipso Romaniano S. Augustinus plura in secundo libro contra Academicos; ubi cap. 2. num. 3. ita eumdem alloquitur: *Ergone tibi gratiam non repensabo? Tu me adolescentulum pauperem ad peregrina studia pergentem & domo, & sumptu, & quod plus est, animo excepisti. Tu patre orbatum amicitia consolatus es, hortatione animasti, ope adjuvisti. Tu in nostro ipso municipio, favore, familiaritate, communicatione domus tuæ pene tecum clarum, primatemque me fecisti. Tu Carthaginem illustrioris professionis gratia remeantem, cum tibi & meorum nulli consilium meum spemque aperuissem, quamvis aliquantum illo tibi insito, quia ibi jam docebam, amore patriæ cunctatus es, tamen ubi evincere adolescentis cupiditatem ad ea, quæ videbantur meliora, tendentis nequivisti, ex debortatore in adjutorem mira benevolentiæ moderatione conversus es. Tu necessariis omnibus iter adminiculasti meum. Tu ibidem rursus, qui cunabula, & quasi nidum studiorum meorum foveras, jam volare audentis sustentasti rudimenta. Tu etiam cum te absente & ignorante navigassem,*

nihil

nihil succensens quod non tecum communicassem ut solerem, atque aliud quidvis quam contumaciam suspicans, mansisti inconcussus in amicitia; nec plus ante oculos tuos liberi deserti a magistro, quam nostræ mentis penetralia puritasque versata est. Placuit hæc exscribere, siquidem inde cognoscitur, quanta liberalitate divites debeant pauperum adolescentium studia fovere, quomodo ab hujusmodi Reipublicæ utilissimo opere non sit eis ob eorumdem adolescentium imprudentiam desistendum, & quantum illinc laudis decorisque consequi valeant. Licentius itaque tali patre natus Augustinum habuit institutorem, quod prædicta verba declarant, & apertius quæ leguntur in epistola 26. olim 39. & in epistola sequenti ad Paulinum: de quibus infra. In præceptorem suum Licentius obsequentissimus fuit, illum secutus Mediolanum usque. In disputationibus enim ibidem habitis *contra Academicos* Licentius inducitur tanquam interlocutorum unus: idemque evenit in triduana disputatione *de Beata Vita*, in duabus *de Ordine*, atque in prioribus dialogis *de Musica*; cujus operis complementum Licentius summopere desiderabat, ut diximus in vita Augustini, idemque Licentius significavit in suo carmine. Studiosa hæc exercitamenta contigere annis 386. & 387. Hoc postremo Licentius Augustino remeanti in Africam comitem se adjunxit: ut in laudato ad Augustinum Carmine perspicue narratur. Licentius tamen in Italia remansit, atque, ut apparet ex Licentii Carmine, atque ex præcitata Paulini epistola, Romæ, ubi forte Romanianus Licentii pater inter Aulicos cooptatus honesto aliquo munere fungebatur. Quum interim Licentius ad vitia declinasset, atque a priori proposito serviendi Deo descisceret, aut id saltim Augustinus suspicaretur, incredibile est, quanta animi anxietate & sollicitudine illum S. Pater ad frugem revocare studuerit. Arrepta enim occasione Carminis a Licentio ad præceptorem suum Augustinum conscripti amantissimus Institutor litteris suis illum ad mundi contemptum vehementer hortatus est, anno, ut opinor, 394. paulo ante suam ad Episcopatum Hipponensem promotione. Commendavit quoque Augustinum eumdem juvenem Paulino litteris officiosissimis, quæ nunc num. 27. olim 32. tenent locum in Augustiniana epistolarum collectione. Evecto demum Augustino

ad

ad Cathedram Hipponensem, Paulinus Romaniano scripsit gratulans Hipponensi Ecclesiæ, quod talem Antistitem promeruerit; atque ea occasione filium ejus Licentium Prosa, & Carmine hortatus est, ut se Christo addiceret, epistola inter Augustinianas 32. anteam 36., inter Opera autem Paulini editionis Rosvveydi 46. Diximus supra scriptam Paulini epistolam circa annum 396. Post hæc tempora quid de Licentio factum sit, ignoramus: sed quum fuerit optimæ indolis adolescens, tantisque exhortationibus ad terrenarum rerum contemptum invitatus, credendum est, ad monasticum institutum, cujus rudimenta perceperat, accessisse.

CAPUT II.

Sanctorum Augustini, ac Paulini erga Licentium singularis benevolentia.

ANxietatem, & sollicitudinem Augustini pro Licentii sempiterna salute satis commonstrat laudata epistola vigesima sexta. In ea S. Pater significat pectoris sui æstus de spe Licentii non transitoria, timoremque, ne formidans compedes sapientiæ rebus mortalibus perniciosissime præpediatur. Vincula hujus mundi asperrima, & timidæ quieti, labori duro, & incertæ voluptati conjuncta describit, suamque explicat admirationem, quod Licentius honores transitorios affectans, inserat iisdem vinculis & collum & manus & pedes. Recitato illius carmine, quo memorat libera otia, iter Italicum, & jura legesque servorum Dei, *Me miserum*, inquit Augustinus, *si ego non jubeo, si non cogo atque impero, si non rogo ac supplico. Sed si aures tuæ adversus meas voces clausæ sunt, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi teipsum durissime, immanissime, surdissime. Quo mihi linguam auream, & cor ferreum!* Tum allicit illum blandis & dulcissimis verbis, ac ostendit quam suave sit jugum Domini. Sancti Paulini exemplum illi proponit: ac demum ut facilius discipuli flectat animum se talia scribere profitetur *pectore misero, ac miserando*. In altera ad Paulinum epistola ita de Licentio loquitur Magister charitate flagrantissimus: *Filium ejus* (scilicet Romaniani) *Filium nostrum, cujus etiam*

nomen

nomen in aliquibus nostris libris invenies, etsi ad tuæ caritatis præsentiam ipse non pergeret, statueram litteris in manum tuam tradere, consolandum, exhortandum, instruendum, non tam oris sono, quam exemplo roboris tui. Ardeo quippe, ut dum adhuc ætas ejus in viridi fœno est, zizania convertat in lutem, & credat expertis quod experiri periculose desiderat. Nunc ergo ex ejus carmine & ex epistola, quam ad eum misi, intelligit benevolentissima, & mansuetissima prudentia tua, quid de illo doleam, quid timeam, quid cupiam. Nec despero adfuturum Dominum, ut per te ministrum ejus tantis curarum æstibus liberer. Puto neminem ex his non intellecturum, quanto Licentii sui Augustinus desiderio angeretur. Paulinus quoque in epistola ad Romanianum verba amoris plenissima ad Licentium convertit. Hortatur illum, ut Augustini consilia non spernat. Ei in benevolentiæ argumentum *eulogias*, idest, panes aliquot benedictos dono mittit. In laudes Augustini, quo facilius ad ejus redeat sinum, totus diffunditur; & quia noverat adolescentem Poetices studiosissimum, ipsum elegiaco carmine ita demulcet:

Quare age rumpe moras, & vincla tenacia secli,
Nec metuas placidi mite jugum Domini.
Pulcra quidem, sed mira vagis præsentia rerum
Mentibus, at sapiens non stupet ista animus.
Nunc te sollicitat variis malesuada figuris,
Heu validos etiam vertere Roma potens.
Sed tibi Nate precor, semper pater Augustinus
Occurset cunctas Urbis ad illecebras.
Illum tanta inter fragilis discrimina vitæ
Adspiciens, & habens pectore, tutus eris.
Hoc tamen & repetens iterumque iterumque monebo,
Ut fugias duræ lubrica militiæ.
Blandum nomen honos, mala servitus, exitus æger,
Quem nunc velle juvat, mox voluisse piget.

Cætera vide in laudata S. Paulini epistola: nam hæc Augustini verba in Licentium benevolentiam, solicitudinem, eumque ad frugem reducendi studium maximum & ardentissimum, necnon operam a Paulino in eumdem finem collatam, satis superque demonstrant.

CAPUT III.

Quem in finem descripta solicitudo pretenderet.

ARbitror Augustinum tantam de Licentio curam gessisse, non tantum ut retraheret illum a proposito sectandæ militiæ, cui addictum fuisse versus sancti Paulini haud obscure significant; verum etiam ut ad institutum inflammaret vitæ monasticæ, cujus Mediolani, & in digressionibus ad *Servos Dei* per Italiam constitutos, vota conceperat, & quasi posuerat tyrocinia. Indubitatum quippe est, Licentium, quando S. Pater initio conversionis suæ meliora meditabatur, & flagrans desiderio imitandi Antonium civitate relicta in agro Mediolanensi solitariam vitam agebat, illi tanquam socium individuum adhæsisse; quemadmodum animadvertit Christianus Lupus cap. 1. de Origine Eremit. ubi ait: „ Ex illo tempore vita monastica ac eremitica est inchoata, ac quasi institutum primum Eremiticum monasterium, in rure Grammatici Verecundi, in quo degebant, ac philosophabantur Augustinus, Alipius, Evodius, Navigius, Trygetius, Licentius, Lastidianus, Rusticus, Adeodatus, necnon Sanctissima Mater, de cujus hac cohabitatione ita dicit ejus filius lib. *9*. Confess. cap. *9*. *erat serva servorum suorum*. „ Et quidem congressum illum habuisse quamdam monasticorum conventuum formam, colligitur ex eodem Augustino, qui præcedenti cap. 8. suum illud contubernium describens, *simul*, inquit, *eramus*, *simul habitaturi* (sive ut alii habent Codices, *habitabamus*) *placito sancto: quærebamus quisnam locus nos haberet servientes tibi*; quibus verbis Deum alloquitur, qui, ut Psalmista ajebat, unanimes habitare facit in domo. Præter hæc Licentium S. Patris in Africam remeantis vestigia calcasse, innuunt illi ejusdem Licentii versus,

O mihi transactos revocet si pristina soles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Otia tentantes, & candida jura bonorum
Duximus Italiæ medio, montesque per altos.

Num vero illud iter peragentes ad Eremitas diverterint, quo-

niam

niam differens de Augustino a num. 18. usque ad 22. revocavi ad examen, hoc in loco repetendum esse non censeo. Itaque probabilitate non caret, S. P. Augustinum eo fine epistolam illam vigesimam sextam scripsisse, ut lectissimum juvenem urbanæ vitæ jucunditate, & sæcularis militiæ honoribus captum reduceret ad pristinam, susceptam, aut saltim deliberatione animi propositam eremiticæ vitæ rationem. Quamobrem litteris illis Augustinus significat se Licentii præsentiam *esurire ac sitire*, eumque verbis istis percellit num. 4. *Revoca animum quo ista scripsisti, nunc mihi dic, Hoc opus ut jubeas tantum. Ecce jussum meum, da mihi te, si hoc opus est tantum: da Domino meo te, qui omnium nostrum dominus est, qui tibi illud donavit ingenium. Nam ego quid sum, nisi servus tuus per ipsum, & conservus sub ipso?* Huc spectat propositum Licentio exemplum Paulini, non Christianam vitam dumtaxat, sed & humillimam & religiosam profitentis: unde ita Augustinus num. 5. prosequitur. *Vade in Campaniam, disce Paulinum egregium & sanctum Dei servum, quam grandem fastum sæculi hujus, tanto generosiore, quanto humiliore cervice incunctanter excusserit, ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit, & nunc illo moderatore itineris sui quietus & modestus exultat.* Paulinus quoque tum carmine, tum soluta oratione significat, Licentium ad religiosam vitam, quam cum Augustino, & Alipio inchoaverat, fuisse invitatum, Prosa enim ita Licentium alloquitur: *Audi ergo fili legem patris tui, idest fidem Augustini, & noli repellere consilia matris tuæ, quod æque nomen in te Augustini pietas jure sibi vindicat, qui te tantillum gestavit sinu suo, & a parvulis primo lacte sapientiæ sæcularis imbutum, nunc etiam spiritalibus lactare & enutrire gestit uberibus.* Plura addit, quibus Licentium hortatur, ut Augustini *vestigiis propheticis & apostolicis disciplinis* adhæreat, quemadmodum Eliseus Eliæ, & Apostolo Paulo Timotheus adolescens: id, quod non est respicere tantum, sed etiam perfectionis viam arripere, & alienæ disciplinæ se totum committere. Luculentius id ostendunt sequentia ex elegiaco Paulini carmine:

Hæc tibi, care puer, fido compulsus amore
Scripsi; si recipis, suscipiere Deo.

 Cre-

Crede Augustinum tibi nunc in me geminatum,
Sume duos una cum pietate patres.
Spernimur, abstraheris majore dolore duobus:
Audimur? pignus dulce duobus eris.
In te læta patrum sudavit cura duorum,
Et tibi magnus honos lætificasse duos.
Sed me Augustino cum copulo, non meritorum
Jacto parem, solo comparo amore tui.
Nam quid ego effundam, rorans tibi paupere rivo?
Me præter, gemino flumine prolueris.
Frater Alipius est, Augustinusque magister,
Sanguinis hic consors, hic sator ingenii.
Tanto fratre vales, & præceptore, Licenti,
Et dubitas pennis talibus astra sequi?
Quidquid agas (nam te nec speret mundus amicum)
Non daberis terræ, debita Christo anima.
Tu thalamos licet, & celsos mediteris honores,
Nunc olim Domino restituere tuo.
Credo unum vincent justi duo peccatorem,
Et tua fraternæ vota preces abigent.
Ergo redi qua voce parens, qua sanguine frater,
Ambo sacerdotes te remeare jubent.

Ad pristinam igitur serviendi Deo consuetudinem, atque ad se Augustini præceptionibus restituendum, sociandumque Alipio, hujusmodi incitamentis Licentium impelli nemo non videt. Nec vereor, quin tam vehementibus impulsibus acquieverit. Nam primum juvenis erat, ut diximus, monastico instituto addictissimus, ejusque rudimentis imbutus. Deinde tam efficacibus litteris, vix pervicacissimus, haud ignorans qua manu, quo spiritu, & quo affectu conscriptæ essent, fuisset obluctatus. Præterea idem Licentius obtemperandi Augustino, ac se illius magisterio rursus subjiciendi ardebat cupiditate; quum ita misso ad illum carmine significavit:

Non me dura gelu probiberent frigora cano,
Nec fera tempestas zephyrum, fremitusque Borini,
Quin tua solicito premerem vestigia passu:
Hoc opus ut jubeas tantum.

Qui-

Quibus verbis, ut vidimus, usus est in rem suam Augustinus commode atque opportune. Retineri tantummodo Licentius se ait spe, & cogitatione conjugii; quod tunc minime initum commonstrant posteriores epistolæ, quas laudavi. Hinc in eam adducor sententiam, quam Christianus Lupus citato cap. 1. ac etiam sexto induisse videtur, nec falsam putant Elsius in Encomiast. pag. 433. Crusenius in Monast. p. 1. cap. 11. Torellius ad annum 306. a num. 15. ad num. 21. aliique Nostratium, Licentium nempe talibus exhortationibus attractum ad aliquod Augustini monasterium convolasse. Verum non hoc tantum demonstrandi causa de Licentio plura dixi, quam necessitas postulabat, sed ulterius intentione lectorum animo quædam insinuandi, quæ horum narratio suadet. Sunt hæc erga præceptores obsequium & amor, quæ duo adolescentes addiscere possunt ex Licentii carmine ad Augustinum; solicitudo studiumque ad religionem pertrahendi adolescentulos, honestis connubiis progenitos, ingenioque præstantes, quod epistola Augustini ad ipsum Licentium commonstrat iis, qui in Ordine regendo illius vice funguntur; industria in seligendis viris optimis, quibus juniores aut emendandi, aut erudiendi traduntur, quod potest dignosci ex epistola S. Patris ad Paulinum: cooperatio demum, sanctumque artificium, quibus ad jugum Domini ineundum adolescentes invitandi sunt ac trahendi, quarum rerum specimen exhibent S. Paulini ad Romanianum officiosissimæ & gravissimæ litteræ. Vides qualem prudentiam doceant nos scripta veterum. At reliquum est, ut de Licentii ingenio, studiisque nonnulla attingam: quod proximo numero paucis exequar.

CAPUT IV.

Sublime Licentii ingenium, & in scientiis profectus.

Licentii ingenium S. P. Augustinus *aureum* appellat, scribens prope finem epistolæ: *Accepisti a Deo ingenium spiritaliter aureum*, selectum scilicet, purgatum, ac rarum. Linguam itidem ob eloquentiam, nitoremque verborum, Licentium habuisse *auream*, Augustinus verbis, quæ paulo supra producta sunt, affirmavit. Paulinus quoque Licentium

vocat,

vocat, *Jam a pueris ad studia veritatis & sapientiæ, quod utrumque vere est Christus, & omnis boni summum bonum, venerabilis Augustini spiritu & ore flammatum*. Fuit Lucentius Poesi deditus, in eaque multum profecit: nam jam ab anno 386. scripsit de eodem Augustinus ad Romanianum Licentii patrem: *Licentius tibi carmine suavius indicabit; poeta est enim pene perfectus*; ac rursus: *Licentius in Poeticæ studium sic inflammatus est, ut aliquantum mihi etiam reprimendus videretur*: itemque *Licentius fingendis versibus vacavit, quorum amore ita perculsus est, ut propter eum maxime mihi istum sermonem inferendum putarem, quo in ejus animo Philosophia (nunc enim tempus est) majorem partem, non modo quam Poetica, sed quævis alia disciplina, sibi usurpet ac vindicet*. Quandoque etiam excogitandis versibus inhians, clam Licentius de medio prandio surgebat, nil bibens. Legite Augustinum lib. 1. contra Academ. cap. 3. num. 7., lib. 2. cap. 1. num. 10. & lib. 3. c. 1. num. 1. & 7. Ad Philosophiam, ut sanctissimus Præceptor peroptabat, appulit animum. In ea quantum profecerit, ipsa philosophici studii initia aperte demonstrant. Expendantur ipsius Licentii cum Trygetio disputatio quæ continetur in citato libro 1. *contra Academicos*; item altera cum ipso Trygetio, aliisque, in libro *de Beata Vita*: alia itidem cum ipso interlocutore disceptatio in 1. libro *de Ordine*, necnon Dialogi *de Musica*: qui licet inscripti sint *Magistri ac discipuli* nomine, ex vetustioribus tamen MS. eruitur habitos fuisse inter Augustinum, eumdemque Licentium. Observarunt id eruditissimi Patres S. Mauri in *Admonitione* ad libros ipsos de Musica. Licentii verba, quibus desiderium suum significat Augustino, ut operi anno 387. secum inchoato adderet complementum, quæ quidem eo loci Patres Maurini producunt, etiam habentur supra in Vita Augustini cap. 46. Aurei itaque illius ingenii, quo pollebat Licentius etiam num hæc monumenta servantur, sententiæ scilicet laudatis Augustini libris insertæ, atque sæpe commemoratum ad Augustinum carmen, quod incipit,

Arcanum Varronis iter scrutando profundi
Mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.

DE

DE TRYGETIO

CAPUT I.

Quo tempore Trygetius vixerit, cujas fuerit, & quibus ſcientiis atque exercitiis addictus.

INter illuſtriores Auguſtini diſcipulos, ſuique inſtituti ſectatores connumerandus eſt Trygetius, de quo pauca ob injuriam temporum ad nos pervenere. Quæ ſequuntur, ex Auguſtini libris deprompſimus. Habuit Trygetius eamdem cum Sanctiſſimo Protoparente patriam, municipium ſcilicet Tagaſtenſe: ac ſub ejusdem diſciplina a puero litteris impendit operam in ſuamet, ut opinor, civitate, ac etiam Carthagine, æmulatus Licentii nobilis, & ingenioſiſſimi pueri conatus ac diligentiam. Sanctus enim Pater in libro de B. Vita, utrumque, Trygetium ac Licentium num. 6. *cives*, *& diſcipulos* ſuos appellavit, Trygetio primum laudato, eique in diſſerendo priore loco conceſſo, quod forte alterum ſuperaret ætate. Diſcedente tamen Auguſtino ex Africa, Trygetius Philoſophiæ, ceteriſque ſtudiis nuncium miſit, ſola contentus Hiſtoria: cui ſumma cum jucunditate, & cum magno profectu ſeſe applicuit, ſcribente eodem Auguſtino lib. 1. de Ordine num. 5. *Trygetium item nobis militia reddiderat, qui tanquam veteranus adamavit Hiſtoriam: & jam in libris nonnihil habebamus*. Ex his Auguſtini verbis, atque ex aliis mox producendis, intelligimus Trygetium militiæ pertæſum ad ſanctiſſimi ac benevolentiſſimi præceptoris ſinum rediiſſe. Illo autem inſtigante, ac docente, tam vehementi ſcientiarum exarſit amore, ut præcedentem diffidiam animique laxitatem inſatiabili cura ac voluptate, & uberiori proventu compenſaverit. Quare S. P. Auguſtinus lib. 1. contra Academicos num. 4. ita de Trygetio ſcribit: *Illum enim quoque adoleſcentem, quaſi ad detergendum faſtidium diſciplinarum aliquantum ſibi uſurpaſſet militia; ita nobis magnarum, honeſtarumque artium ardentiſſimum, edaciſſimumque reſtituit*. Scripta hæc ſunt in agro Mediolanenſi, ubi

ubi Trygetius interfuit diſputationibus *de Beata Vita*, *de Academicis*, & *de Ordine*. Quoniam hæ diſputationes habitæ fuerunt anno 386. ad eumdem annum quæ de Trygetio dicenda erant, referenda eſſe putavi; nam quid poſtea ei contigerit, me prorſus latet. Arbitror tamen non adeo fuiſſe inconſtantem, ut poſteaquam expertus fuerat militiæ incommoda, atque ad Auguſtinum tanta animi alacritate redierat, eumdem ad ſapientiæ ac ſanctitatis faſtigium properantem iterum deſeruerit.

CAPUT II.

Ingenii, quo Trygetius pollebat, probabilia quædam, aliaque certa argumenta.

COmmemorat S. P. Auguſtinus quamdam Trygetii diſputationem habitam cum Licentio, ſcribens ad Romanianum lib. 1. contra Academicos num. 4. *Diſputationem, quam inter ſe Trygetius & Licentius habuerunt, relatam in litteras tibi miſi.* Erit fortaſſe diſputatio aliqua ex iis, quæ in libris de Beata Vita, ac de Ordine continentur: ſed nihilominus probabilius crediderim ab illis eſſe diverſam. Nam hæc duo opuſcula inter libros de Academicis, iisdemque libris jam inchoatis fuerunt edita, ut conſtat ex 1. Retract. cap. 2. ac 3. de diſputatione autem Trygetii loquitur, ut diximus, Auguſtinus initio 1. libri adverſus Academicos. Ibi præterea teſtatur jam antea diſputationem illam Romaniano a ſe miſſam, ut filii ſui Licentii in Philoſophia profectum deprehenderet, quod dignoſci facile poterat ex ſingulari aliqua illorum duorum adoleſcentium concertatione. Dum præterea *de Beata Vita*, & *de Ordine* diſceptaretur, non ſoli Trygetius & Licentius collocuti ſunt, ſed in priori congreſſu Navigius quoque, Laſtidianus, Ruſticus, ac puer Adeodatus; in altero idem Navigius & Alipius, quibus & Sancta mater Monica acceſſit. Haud ergo inveriſimile eſt in 1. contra Academicos ſignificari ſingularem aliquam Trygetii cum Licentio diſſertationem, verſantem circa argumentum quoddam philoſophicum, ideo ad Romanianum miſſam, ut lætaretur de filii acumine, ac diſputandi peritia. Ea quoque Auguſtini verba, *Et jam in libris*

bris nonnihil habebamus, quia proximæ ſequuntur poſtquam laudatum eſt Trygetii erga Hiſtorias ſtudium & inclinatio, fortaſſe innuunt collecta ab eodem Trygetio, litteriſque tradita quædam Hiſtoriarum fragmenta; tametſi ea verba Auguſtini univerſalia ſint, atque ad omnes illorum dialogorum perſonas accommodanda. At miſſis conjecturis ejuſmodi, ex prælaudatis diſceptationibus *de Academicis*, *de Beata Vita*, ac *de Ordine*, ſufficienter præſtantiſſimum Trygetii ingenium deprehenditur; nobiſque non ſuccenſendum exiſtimamus, propterea quod eumdem Trigetium in claſſe illuſtrium Auguſtini diſcipulorum collocaverimus.

CAPUT III.

Proloquia nonnulla a Trygetio adhuc adoleſcentulo inter diſputandum prolata.

At ſilentio prætereundum non eſt ea ore Trygetii cum aliis diſputantis proloquia quædam, ſententiaſque excidiſſe, quæ axiomatum loco haberi queant: ex quibus nonnulla ex præcitatis libris duxi expromenda, ut quiſque percipiat qua mentis acie præditus eſſet adoleſcentulus, a quo inter colloquendum, eaque occaſione, in qua non omnia ſolent eſſe librata, hujus generis eloquia prodierint. Recitabo autem ex multis viginti tantum, ne videar nimium verboſus, atque in Trygetii laudibus, quam in virorum doctiſſimorum celebratione prolixior. I. *Beatum volumus eſſe perfectum in omnibus ſapientem*. II. *Perfectus non eſt, qui adhuc veritatem requirit*. III. *Non poteſt beatus eſſe, quiſque id, quod magnopere concupiſcit, aſſequi nequit*. IV. *Poteſt homo beate vivere, ſi vivat ſecundum eam animi partem, quam dominari in homine fas eſt*. V. *Nec ſecundum rationem vivere, nec beatus omnino eſſe videtur quiſquis errat*. VI. *Ut non erret homo, quærit; ſed errat cum minime invenit quod quærit*. VII. *Errantis eſt ſemper quærere, & nunquam invenire*. VIII. *Sapientia recta via vitæ eſt*. IX. *Nihil eſt fœdius riſu irriſione digniſſimo*. X. *Sapientia eſt via recta, quæ ad veritatem duxit*. XI. *Nullius verbi in animis noſtris apertiorem notionem natura eſſe voluit, quam ſapientiæ*. XII. *Quum res nota ſit, non debemus de verbis calumnias aliquas commovere*. XIII. *Deum*

habet qui facit quæ Deus vult fieri. XIV. *Manifeſtum eſt nullius rei egentem beatum eſſe, omnem vero egentem, eſſe miſerum.* XV. *Nihil eſt medium inter miſerum & beatum.* XVI. *Egere eſt ſapientiam non habere.* XVII. *Maneat pœna noſtra, ut ea ipſa, quæ nos illicit fama, flagello proprio a ſui amore deterreat.* XVIII. *Omnis vita ſtultorum quamvis per eos ipſos minime conſtans, minimeque ordinata ſit, per divinam tamen providentiam neceſſario rerum ordine includitur, & quaſi quibuſdam locis illa ineffabili, & ſempiterna lege diſpoſitis nullo modo eſſe ſinitur, ubi eſſe non debet.* XIX. *Anguſto animo ipſam ſolam ſtultorum vitam conſiderans, veluti magna repercuſſus feditate, avertatur.* XX. *Qui mentis oculos erigens atque diffundens, ſimul univerſa colluſtrat, nihil non ordinatum, ſuiſque ſemper veluti ſedibus diſtinctum diſpoſitumque reperiet.* Ex his paucis, quæ ex prælaudatis diſputationibus depromere mihi libuit, apparet qua verborum ſententiarumque gravitate loqueretur, & quam ſollicito ac feſtinante greſſu ad Philoſophiæ arcem tenderet præclarus ille adoleſcens: de quo dictum hactenus.

DE

DE PROFUTURO EPISCOPO.

CAPUT I.

Profuturi cum Augustino amicitia, ætas, Episcopatus, & apparitio post mortem.

Religiosissimus vir Profuturus, quem nostratium quidam etiam Sancti titulo cohonestant, Augustino Parenti nostro singulari amicitia, ejusdemque instituti professione conjunctissimus fuit. Nam S. Pater epistola 38. alias 149. ei significans infirmitatem suam, quæ raghadis eruptione, fluoris scilicet, quem hæmorroides dicunt, ita laborabat, ut dolore ac tumore prominentium venarum, nec ambulare posset, nec sedere; id Profuturo hac familiari narratione scribens, *Nosti*, inquit, *hæc omnia; sed quia mihi es alter ego, quid libentius tecum loquar, nisi quod mecum loquor? Commendamus ergo sanctis orationibus tuis & dies & noctes nostras, ut oretis pro nobis, ne diebus intemperanter utamur, ut noctes æquo animo toleremus*. Commemorat eadem in epistola S. Pater mortem Megalii Calamensis Episcopi, ac Primatis Numidiæ, cui in episcopatu successit Possidius, in primatu autem Crescentianus; ut constat ex synodo Carthaginensi, anno 397. celebrata. Scribente hæc Augustino fluxerant a depositione corporis Megalii dies ferme vigintiquatuor; quare scire amat quis in eodem primatu successerit, haud ignorans in hujusmodi electione Profuturi consilium atque prudentiam plurimum valuisse. Hinc colligo Profuturum jam fuisse episcopum: cumque ea epistola data sit anno 397. episcopatum vero ille brevi tempore administraverit; arbitror anno 398. plus, minusve, non autem anno 396., ut visum Aloysio Torellio, Profuturi obitum consignandum. Cogitaverat Augustinus anno 395. Profuturum mittere ad Hieronymum in Palæstina commorantem, ac videtur in epistola 28. olim 8. scri-

pta eodem anno 395. paulo ante Augustini ordinationem, ipsum Profuturum fuisse jam accinctum itineri, immo & missum: nam in eadem epistola num. 1. Sanctus Pater ita Hieronymum alloquitur: *Nequaquam impudenter, quasi aliquis ignotus, commendo Germanitati tuæ fratrem Profuturum, quem nostris conatibus, deinde adjutorio tuo vere profuturum speramus; nisi forte quod talis est, ut ipse tibi per eum fiam commendatior, quam ille per me*. At revera dum Profuturus ad Hieronymum proficisci disponit, creatur episcopus, nec laudatæ Augustini litteræ tunc ad Hieronymum delatæ sunt, ut Sanctus Pater affirmat epistola altera 10. num. 71. quam misit per Cyprianum diaconum. In hac enim epistola serius conscripta, scilicet anno 403. ita num. 2. legitur: *Primas etiam quas ad te adhuc presbyter litteras præparaveram mittendas per quemdam fratrem nostrum Profuturum, qui postea collega nobis factus, jam ex hac vita migravit, nec eas tunc ipse perferre potuit, quia continuo dum proficisci disponit, episcopali sarcina detentus, ac deinde in brevi defunctus est, etiam num mittere volui*. Eruitur hinc, Profuturum ad episcopatum fuisse evectum eodem anno 395. quo & Augustinus consecratus fuit collega Valerii. Ac sane anno 396. quo S. Paulinus scripsit ad Romanianum epistolam inter Augustinianas 32. alias 36., in Operibus autem Paulini 46. Profuturus vivebat, dignitate fulgens episcopali: Paulini namque epistola sic incipit: *Pridie, quam has daremus, reversis ex Africa fratribus nostris, quorum expectatione nos pendere vidisti, optatissime sanctorum, & carissimorum virorum, inde epistolas receperamus, idest, Aurelii, Alypii, Augustini, Profuturi, Severi, jam omnium pariter episcoporum*. Fuisse Profuturum episcopum Cirthensem videtur colligi ex libro Augustini de unico Baptismo contra Petilianum cap. 16. num. 29. At cum eo loci Profuturus dicatur *ante paucissimos annos defunctus*, ille autem de unico baptismo liber editus sit circa annum 410. oriri potest suspicio aliqua, de altero ejusdem nominis episcopo ibi sermonem fieri. Fuisse autem Profuturum episcopum Calamensem scribit Baronius ad annum 395. num. 43. Sed cum ille ad episcopatum promotus fuerit vivente adhuc Megalio ejusdem urbis episcopo, Baronio subscribere nequaquam possumus. Certe Profuturum nostrum brevi portasse se episcopalem sarcinam,

testa-

testatur citata epistola 71. ad Hieronymum Augustinus. Idem Profuturus post obitum apparuit Evodio, qui petens ab Augustino solutionem quæstionum quarumdam spectantium ad animas a corporibus solutas, inquit: *Sic ergo & nostri, quos præmisimus, aliquando veniunt, ipsi apparent per somnium, & loquuntur. Nam memini me ego ipse & Profuturum, & Privatum & Servilium, quos memini sanctos viros de monasterio processisse, locutos mihi, & ita factum fuisse, ut dixerunt.* Videsis epistolam Evodii inter Augustinianas 158. olim 258. num. 9.

CAPUT II.

De Monastico Profuturi Instituto.

MOnasticam vitam Profuturum duxisse affirmant omnes nostri Ordinis Historiographi, Marquez cap. 10. §. 2. Ludovicus de Angelis in schedis ab Elsio laudatis, Rivius lib. 1. Vit. Augustini cap. 2. §. 16. & lib. 4. §. 1. c. 9. Præcitatus Elsius in Encomiastico pag. 595. Alexius de Meneses lib. MS. de Antiquitat. Ordinis cap. 5. & 6. Herrera in Alphabeto pag. 257. Torelli ad annum 396. num. 7. aliique omnes. Errant tamen, qui hunc Profuturum, de quo in prælaudatis Augustini epistolis, confundunt cum Profuturo altero, qui circa annum 398. ex Africa in Lusitaniam profectus fundasse dicitur monasterium Bracarense, atque ad sedem illius urbis evectus ann. 400. decessisse. Fefellit enim istos nominis similitudo; nec fieri potest, ut qui paulo antea episcopus Cirthæ seu Constantinæ, vel alterius in Africa civitatis obierat, ad Bracarensem Archiepiscopatum promoveretur Ita ratiocinatur doctissimus Pater Herrera in Alphabeto, & Cardinalis Norisius in Hist. Pelag. lib. 2 cap. 8. At dum ipse Herrera putat Profuturum Augustini discipulum non fuisse fundatorem prædicti monasterii Bracarensis, atque ob invictum momentum, quod nuper attigimus, Pennotto libro 1. Hist. Tripartitæ cap. 55. num. 2. oppugnanti Marquesium ingenua sinceritate subscribit, potuit & ipse in errorem induci nominis similitudine. Enimvero a Profuturo ex Africa profecto in Lusitaniam provinciam, monasterium Bracarense fuisse fundatum, præter nostrates affirmant Rodericus de Acunna in Historia

ſtoria Eccleſiaſtica Bracarenſi p. 1. cap. 55. num. 7. & 8. ac Julianus Toletanus in Chronico ad annum 398. quos idem Herrera producit. Diſtinctis autem duobus Profuturis, quos alio etiam ex capite diſtinguere neceſſum eſt, quum idem non potuerit ſimul in Africa & in Luſitania ſedere, evaneſcit ſpecies quælibet oppoſitionis. Ut ad Profuturum, de quo in præſentia agitur, revertatur oratio; hunc fuiſſe inſtituti monaſtici ſectatorem, atque profeſſione Auguſtinianum, dubitare non poſſumus. Commonſtrat id magna ipſum inter & Auguſtinum amoris neceſſitudo, ob quam illum, tanquam alterum ſe exiſtimabat, ut legimus in epiſtola 38 &, quod ibidem aſſeritur, ſecum itinera, quando e monaſterio diſcedere cogebatur, agebat; eique tanquam benevolentiſſimo fratri Severum, & qui cum eo ducebant communem vitam, familiariter commendabat. Accedit quod illum ad Hieronymum mittere cogitaverat; quod humillimus Pater nonniſi de fratre, filioque ſuo deliberaſſet. Ex epiſtola demum Evodii aperte conſtat eumdem Profuturum ex *monaſterio* fuiſſe profectum. Quum autem Profuturus cum Auguſtino vixerit, priuſquam ad epiſcopatum uterque promoveretur, ut conſtat ex dictis, ideoque monachus fuerit, priuſquam Clericis Hipponenſibus communis vita in Epiſcopio præſcriberetur; infertur ex iis, quæ in Vita Auguſtini diſputata fuerunt, Profuturum fuiſſe Monachum, non Canonicum, ejusdemque Ordinis, quem nos profitemur.

CAPUT III.

De Profuturi ſapientia, ac doctrina.

QUoniam vero Profuturus erat unus ex iis epiſcopis, qui, ut inquit in Vita Auguſt. cap. 11. S. Poſſidius, ex monaſterio, quod per ipſummet Auguſtinum eſſe, & creſcere cæperat, magno deſiderio Eccleſiæ pax atque unitas popoſcerat & conſecuta eſt, unde per multos & in multis ſalubris Eccleſiæ doctrina, non ſolum per omnes Africæ partes, verum etiam in tranſmarinis, per libros editos, necnon in græcum ſermonem translatos innotuit; haud dubitandum eſt, quin ipſe Profuturus, ex iiſdem primis epiſcopis unus, doctrinæ fama atque celebritate claruerit. In eam magis adducor ſententiam, quod S. Pater prælaudata epiſtola triceſima octava ſatis innuat

nuat se Profuturi consuetudine familiarissime usum; atque ab ejus prudentia attenderit optimam primatis Numidiæ in locum Megalii nuper defuncti electionem, cujus caussa suborta erant scandala ac dissensiones: ipsi quoque Profuturo commendaverit negotia quædam Victoris, qui ex monasterio Hipponensi Constantinam, idest, Cirtham perrexerat. Ex epistola quoque S. Patris ad Hieronymum scripta, ut diximus, anno 395. ineunte, non unum, sed triplex sapientiæ ac prudentiæ Profuturi eruitur argumentum. Nam principio affirmans Augustinus Profuturum talem esse, ut potius Augustinus per illum, quam ille per Augustinum fieret apud sanctissimum, doctissimumque Bethleemitici specus cultorem commendatior, suam de Profuturi merito ac sapientia existimationem paucis quidem, sed manifestis verbis significat. Deinde cum Augustinus hanc ad Hieronymum legationem excogitasset, ut plura circa utriusque studia communicaret, & secum ageret omnium Ecclesiarum Africanarum nomine de interpretandis vertendisque in Latinum Græcis scripturis, de septuaginta Interpretum auctoritate, atque de reprehensione Petri facta a Paulo: cum, inquam, doctissimus ad doctissimum destinasset ex sua familia unum, ad pertractandum de iis, aliisque gravissimis ac difficillimis controversiis idoneum; censendum est, selectum præ ceteris ad hoc muneris haud vulgari doctrina fuisse exornatum. Verum non opus est uti conjecturis, quando S. Pater diserte Profuturi conditionem demonstrat, scribens num. 6. ejusdem epistolæ: *Multa alia cum sincerissimo corde tuo loqui cuperem, & de Christiano studio conferre: sed huic desiderio meo nulla epistola satis est. Uberius idipsum possum per fratres, quem miscendum & alendum dulcibus atque utilibus sermocinationibus tuis misisse me gaudet. Et tamen, quantum vellem, nec ipse (quod pace ejus dixerim) forsitan capit: quamquam nihilo me illi prætulerim. Ego enim me fateor tui capaciorem; sed ipsum video fieri pleniorem, quo me sine dubitatione antecellit: & posteaquam redierit, quod domino adjuvante prosperatum iri spero, cum ejus pectoris abs te cumulati particeps fuerit, non est impleturus, quod in me adhuc vacuum erit atque avidum sensuum tuorum. Ita fiet ut & ego etiam tunc egentior sim, ille copiosior*. Atque his Augustini verbis quæ de Profuturo dicenda mihi erant, absolvo.

DE

DE NEBRIDIO.

CAPUT I.

NEbridius, quem summopere Augustinus commendat, non debet a nobis præteriri silentio. Fuit is patria Carthaginensis, honesto loco natus, & facultatum, bonorumque non indigens; quæ tamen invicto ac generoso animo dereliquit, & ex Africa in Italiam paulo post Augustinum venit, non aliam ob causam, nisi ut Augustini consuetudine frueretur, & cum illo litterarum otio vacaret. Promeruit idcirco præstantissimus juvenis, ut S. Pater lib. 6. Confess. cap. 10. n. 17. hæc de illo scriberet: *Nebridius etiam, qui relicta patria vicina Carthagini, atque ipsa Carthagine, ubi frequentissimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo & non secutura matre, nullam ob aliam caussam Mediolanum venerat, nisi ut mecum viveret in flagrantissimo studio veritatis, atque sapientiæ: pariter suspirabat pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquisitor ardens, & quæstionum difficillimarum scrutator acerrimus*. Alio in loco ejusdem operis S. Pater appellat Nebridium adolescentem *valde bonum & valde cautum*: atque ipse Nebridius irridens Astrologorum divinationes, ab illis consulendis Augustinum dehortabatur. Adisis lib. 4. cap. 6. num. 3. Tanto autem amore illum Augustinus prosequebatur, ut amicum carissimum, adolescentem mirabilis animæ, aliisque titulis amore & existimatione plenissimis eum appellaret. Docuit Mediolani Grammaticam una cum Verecundo, non alicujus commodi cupiditate, sed quia Verecundus aliquem Augustini sodalium petierat, qui ei subdoceret; Nebridius vero amicus dulcissimus ac mitissimus noluit officio benevolentiæ ipsius Augustini petitionem contemnere. Studuit omnibus secundum hoc sæculum majoribus latere, devitans omnem inquietudinem animi, ac volens hunc habere liberum, & quam multis posset horis feriatum ad legendum, vel audiendum aliquid de sapientia. Cum Augustinus in villa Verecundi statuisset abjicere professionem rhethori-

toricæ & Christianam fidem amplecti; Nebridius, tametsi nondum baptizatus, magnopere lætatus est: nam & ipse deposito errore, in quo aliquandiu versatus fuerat putans cum Manichæis Verbum divinum assumpsisse corpus phantasticum, tunc ab illa hæresi emergens, & nondum imbutus Ecclesiæ Sacramentis, inquirebat ardentissime veritatem. Non multo post conversionem & regenerationem Augustini & ipse Nebridius baptismum suscepit, eamdemque iniit vivendi rationem, Deoque serviendi propositum. Reversus in Africam non recepit se cum Augustino in monasterium Tagastense, quoniam necessum illi fuit paternam domum prope Carthaginem adire, ut sibi sanguine coniunctos a Christi fide alienos Domino lucrifaceret. Domi tamen eo fine moram agens ad Augustinum frequenter litteras conscribebat, nunc varias quæstiones proponens, nunc vero de solitudine monastica & communi vita sermonem faciens. Agam de iisdem litteris paulo infra. Sane Nebridius brevi domesticos omnes ad Christi fidem pertraxit, inter quos insignem fratrem Victorem nomine. Quamdiu domi permansit, in castitate & continentia perfecta Deo servivit, ut virum Augustini sodalem decebat. Verum dum flagrat desiderio revertendi ad patrem amicumque benevolentissimum, morte raptus est immatura. Audiamus Augustinum hæc de Nebridio scribentem lib. 9. Confess. cap. 3. num. 6. *Non multo post conversionem nostram, & regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum Christiana facta esset, carne solvisti, & nunc ille vivit in sinu Abraham. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, & unde multa interrogabat homuncionem inexpertum, jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix.* Consignant nostrates Nebridii obitum anno 391. ac certe habentur plures Augustini ad Nebridium epistolæ datæ circa ann. 389. Quoniam vero inverisimile est tanto fœdere conjunctos per biennium cessasse a litterarum consuetudine, arbitror Nebridii obitum ultra annum Domini 390. non esse protrahendum.

CAPUT II.

De Nebridii ingenio, ac vehementi ejus in ſapientiam amore.

QUanta animi alacritate Nebridius litteris daret operam, & quantum ſtudii impenderet ut veritatem conſequeretur, ceteroſque ad illum perduceret, ex dictis manifeſtiſſimum eſſe puto. Egregii enim animi indicia ſunt, patriam, parentes, charos, ac temporalia commoda deſerere ſolius ſapientiæ acquirendæ cauſa. Mari etiam ſe committere, exteraſque regiones peragrare ut cum Auguſtino dies omnes humanarum, divinarumque rerum contemplatione inſumeret, cum ſingularis amicitiæ, tum maximæ honeſtatis ac probitatis eſt argumentum. Præſtantiſſimum autem Nebridii ingenium oſtendit primo vis illa perſuadendi, qua adhuc adoleſcentulus Auguſtino juveni ferventiſſimo ea quæ fugienda erant, facile reddebat odioſa. Quod etiam inter ceteros Auguſtini ſocios Nebridius ſelectus ſit, qui cum Verecundo in urbe nobiliſſima Mediolani pueros formaret, idque ageret abſque lucri cupiditate & in gratiam amici, manifeſtat in illo quamdam ſupra ætatem animi, ingeniique magnitudinem. Illius inſuper in reducendis a Gentilium ſuperſtitione parentibus, fratribus ceteriſque ſibi ſanguine conjunctis ardentiſſimum ſtudium, atque ea in re impenſus labor, & feliciſſimus exitus doctrinam cum pietate, ſapientiam cum religione, gratiam cum eloquentia commonſtrat. Quæſtiones demum difficiles, non brevi aliqua conſideratione agitabat, ſed in iis diu multumque verſatus expediebat omnes difficultates, ægerrime ferens ſi cum eo differentes de rebus obſcuriſſimis, ac longa diſquiſitione tractandis, ſummarie breviterque fabularentur. Quamobrem S. P. Auguſtinus reſpondens Bonifacio epiſcopo, qui ab illo difficilium quarumdam quæſtionum reſponſionem breviſſimam flagitaverat epiſtola 98. alias 23. num. 8. inquit: *His litteris tuis relectis, & quantum temporis anguſtiæ ſinebant conſideratis, recordatus ſum Nebridium amicum meum, qui cum eſſet rerum obſcurarum ad doctrinam pietatis maxime pertinentium diligentiſſimus & acerrimus inquiſitor, valde oderat de quæſtione magna reſponſionem brevem: & quisquis hoc popoſciſſet, ægerrime ferebat, eumque, ſi ejus perſona pateretur, vultu indignabundus, & voce cohibebat, in-*

dignum

dignum deputans qui talia quæreret, cum de re tanta quam multa dici possent deberentque nesciret.

CAPUT III.

Mutuæ Nebridii, & Augustini Epistolæ recensentur.

NOnnullæ Nebridii ad Augustinum, & Augustini ad Nebridium servantur adhuc Epistolæ, ac sunt in novis editionibus a tertia usque ad decimamquartam. Epistola tertia est Augustini, sed aliam priorem Nebridii supponit, in qua agebatur de beatitudine, & quæ desideratur. In ea tamen epistola tertia significat Augustinus, quantum Nebridii epistolæ forent dignæ lectu, scribens in fine: *Provocaverim te ad epistolam longiorem, peto ut paulo diutius te legam. Nam non queo tantum dicere, quantum volupe est legere te.* Quarta item epistola Augustini est; atque inde colligimus alias scriptas a Nebridio, quibus familiari libertate ab amico petierat, quantum profecisset *in sensibilis atque intelligibilis naturæ discernentia.* Epistolæ quinta & sexta sunt Nebridii: in quarum prima brevi & eleganti optat ut Augustinus in rus suum concedat, & quasi angitur æmulatione, quod nimium ametur a civibus Tagastensibus; vellet enim, ut a negociis aliquantulum cessaret, ac secum litterarum otio frueretur. In altera autem epistola quærit Nebridius quid sit discriminis inter phantasiam ac memoriam; commendatque Augustini epistolas, quas a se ait servari ut oculos suos, memorando hoc elogio; *Illæ mihi Christum, illæ Platonem, illæ Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi & ad audiendum propter eloquentiam dulces, & ad legendum propter brevitatem faciles, & ad intelligendum propter sapientiam salubres.* Huic epistolæ respondet Augustinus septima, in qua ostendit memoriam absque phantasia esse posse, phantasiam vero nonnisi ex sensibus corporis derivare. Imaginum etiam, quas phantasias dicunt, tria genera explicat, quorum unum est sensis rebus impressum, alterum putatis, ratis tertium. In epistola octava petit Nebridius ab Augustino, quomodo imagines ac somnia subrepant dormientibus, & qua ratione a superioribus potestatibus, vel a dæmonibus inserantur. Huic respondens Augustinus epistola 9. in qua laudat Nebridii

ingenium, commendat epiſtolas, ſolvitque propoſitas quæſtiones explicando quomodo animus veſtigia ſui motus figat in corpore, appareantque illa *aereis ætbereiſve animantibus*. Puto horum animantium nomine Auguſtinum ſignificaſſe dæmones; quibus certe ea ætate corpus aliquod attribuebat. Proximæ quinque epiſtolæ ſunt Auguſtini: ſed inde alias ſcriptas fuiſſe a Nebridio aperte colligimus. Enimvero epiſtola decima ait Auguſtinus receptas a ſe litteras Nebridii recentiſſimas, quibus eum arguebat, quod conſulere negligeret, ut ſimul vitam traducerent. Epiſtola undecima inquit Auguſtinus ſibi adhuc reſpondendum eſſe permultis Nebridii litteris: *in quibus*, ait, *tam multas quæſtiones reperi, ut etiam ſi facile diſſolvi poſſent, ipſo acervo cujuſvis ingenium, otiumque ſuperarent: tam vero difficiles ſunt, ut ſi una earum mibi eſſet impoſita, non dubitarem me onuſtiſſimum confiteri*. Ex epiſtola duodecima colligimus, quod Nebridius querebatur ſe plures ad Auguſtinum epiſtolas miſiſſe, quam ab illo acceperit; quod S. Pater ita repellit: *Etſi reſcribendo par eſſe non valeo; tamen non minore a me diligentia ſervantur litteræ tuæ, quam frequentantur abs te*. Ex epiſtola decima tertia eruitur inter Nebridium & Auguſtinum crebro fuiſſe diſputatum de quodam *quaſi corpore* animæ, quod *vebiculum* appellabant; quam tandem quæſtiunculam Auguſtinus dimittendam exiſtimavit, quoniam videbatur poſſe ex illa gigni temerariam nimis & nugatoriam opinionem. Demum ex epiſtola XIV. cognoſcimus, Nebridium alias ad Auguſtinum dediſſe litteras, quibus moverat nonnullas de Sole quæſtiones: quibus S. Pater reſponſurus inquit: *Recentiſſimis litteris tuis reſpondere malui, non quod contempſerim præcedentia quæſita tua, minuſve me delectaverint; ſed quod in reſpondendo majora quam opinaris molior*. Hinc vero colligimus deſiderari plurimas Nebridii epiſtolas: quamvis ex hactenus laudatis, ſive ipſius Nebridii, ſive Auguſtini, quæ inter annum 387. & 389. ſcriptæ fuerunt, aperte conſtat continuo illum ſapientiæ ſibi comparandæ incubuiſſe, atque tam amoris neceſſitudine, quam ſtudiorum æmulatione cum Auguſtino certaſſe.

DE

DE EVODIO

EPISCOPO UZALENSI.

CAPUT I.

Rerum ab Evodio gestarum Epitome.

TAgaste in Africa, ubi & Augustinus natu est, Evodius, quem nostrates omnes inter Sanctos recensent, ex honestis parentibus ortum duxit. Adolescens castra aliquando sequutus fuit; sed temporalium rerum vanitate percepta, militiam reliquit, statuitque Deo tantum servire. Quum itaque Catechumenus esset, baptismum suscepit, antequam ad Deum converteretur, ac baptizaretur S. P. Augustinus: quo præcise anno, ignoratur. Audita vero ejusdem Augustini fama, ac mirabili conversione, Evodius, qui forte per id temporis Mediolani commorabatur, sese eidem Augustino adjunxit, societatem cum illo iniit, simul vitam agere statuit, & monasticæ vitæ se addixit. Aperte hæc S. Pater enarrat lib. 9. Confess. cap. 8. his verbis: *Qui habitare facis unanimes in domo, consociasti nobis & Evodium juvenem ex nostro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est, & baptizatus, & relicta militia sæculari, accinctus in tua. Simul eramus, simul habitaturi placito sancto. Quærebamus quisnam locus nos utilius haberet servientes tibi, pariter remeabamus in Africam.* Hoc in loco Augustinus singillatim Evodii meminit, quamquam itineris sui socios alios haberet; inter quos fidissimum omnium amicorum Alipium, Navigium fratrem, Adeodatum filium, Monicam matrem: quod forte sancti illius *placiti*, quod meratum est nuper, Evodius videretur esse tenacior. Interfuit Evodius Ostiæ morti Sanctissimæ Matris; & aliis, maxime puero Adeodato, flentibus, ipse Psalterium arripuit, cæpitque Psalmum centesimum, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, cantare, cui respondebat omnis domus. Docuit nos sanctus juvenis, in obitu parentum, amicorumque orandum esse,

non

non flendum. Diximus alibi, post mortem matris, sive, ut aliis placet, paulo antea, idest labente anno 387. Augustinum scripsisse Romæ librum *de quantitate animæ*, ibique inchoasse libros *de libero arbitrio*, quos presbyter absolvit in Africa. Iis itaque in libris Evodius collocutoris personam egit. In Tagastensi primum, deinde in Hipponensi monasterio simul Deo servientes Augustinus, Evodius, aliique fratres cohabitarunt. Inde Evodius unus ex decem, quos cap. 11. enumerat S. Possidius, electus est ad regendam Ecclesiam Uzalis, urbis Africæ, quæ prope Uticam jacet excisa. Servavit tamen cum Augustino, & cum aliis sodalitii sui fratribus pristinam consuetudinem; extatque etiamnum celebris Evodii ad S. Patrem epistola, inter Augustinianas 158. alias 258. Ad eum quoque scripsisse de monasterio Adrumeti Valentinum Abbatem, quando in eo monasterio graves circa gratiam Christi, & prædestinationem Sanctorum exortæ sunt controversiæ, infertur ex ejusdem Valentini epistola ad Augustinum, nunc inter Augustinianas 216., olim 256, Valentino rescripsisse Evodium constat ex Historia *Prædestinati* Jacobi Sirmondi, qui litteras Evodii invenit in vetusto Codice S. Maximi Trevirensis, earumque fragmentum inseruit primo capiti ejusdem historiæ. Disputasse Evodium cum Proculiano Donatista, inferimus ex Augustini epistola 33, alias 147. ad ipsum Proculianum. Contigit hæc disputatio, cum Evodius adhuc esset monachus, & circa annum Christi 396. Promotus vero ad episcopatum interfuit Africanis Conciliis, quæ in Causis Donatistarum & Pelagianorum celebrata fuerunt, ac dignus habitus est, qui a Synodo Carthaginensi anno 404. una cum Theasio episcopo mitteretur ad Honorium Imperatorem pro defensione rerum Ecclesiasticarum adversus Donatistas & Paganos. Legationem hanc consignant P. Herrera in Alphabeto, aliique nostratium, anno 407. Coss. Honorio VII. & Theodosio II. Aug. At Baronius ad annum 404. num. 123. scribit legationem hanc evenisse hoc anno, Coss. Honorio VI. & Aristeneto, producitque *Commonitorium* Concilii ad eosdem episcopos, in quo continentur quæ ab Honorio petenda erant. Meminit hujus legationis S. P. Augustinus in epistola 50. ad Bonifacium, nunc 185. num. 26. Sunt qui putant Evodium in itinere ab iisdem Donatistis obtruncatum, martyrem occubuisse: at hi errant, ut mox ostendam, quam-

vis idem error colligi possit etiam ex dictis, quum Evodius noster vixerit, quando exortæ sunt Adrumetinorum dissensiones. Perspicuum est has referendas esse ad annum Christi 427. Eapropter ad hunc annum, non vero ut fecerunt Herrera, Torellius, aliique ad annum 424. hanc Evodii memoriam proferendam existimavi. Quæ ulterius vir ille gesserit, & num supravixerit, ignorare me fateor.

CAPUT II.

Evodii Martyrium exploditur.

DIxi nonnullos asserere, quod Evodius a Synodo Carthaginensi ad Imperatorem Honorium missus cum Theasio a Circumcellionibus Donatistarum occisus fuerit, & coronatus martyrio. Id scribit Ambrosius Staibanus Farentinus in *Templo Eremitano* pag. 157., ubi etiam hujus martyrii annum diemque assignat, annum quadringentesimum septimum, diem vero sextam Octobris. Quare Philippus Ferrarius in suo Martyrologio, quum Staibanum legisset, quem etiam laudat, ad diem 16. ejusdem mensis ait: *In Africa S. Evodii Episcopi Uzalensis, & Martyris, a Donatistis ob fidem Catholicam occisi*. In designando anno lapsum Staibanum, arbitror constare ex dictis; in die vero e Staibano exscribenda litteram I. notam articuli Ferrarius pro nota numerali accepit: sed circa Evodii martyrium deceptus est uterque. E sua enim legatione rediisse Evodium demonstrant ipsius litteræ ad Augustinum datæ anno 414. & Valentini ad eumdem Evodium datæ anno 427. Idem evincitur ex epistola Augustini ad ipsum Evodium conscripta eodem anno 414. Videtur idem erui ex epistola S. Patris 80. alias 65. ad Paulinum & Tharasiam, ubi S. P. ait: *Pauca illico hæc arripui dictanda atque mittenda, prolixioris epistolæ me confitens debitorem, cum post reditum venerabilium fratrum nostrorum collegarum meorum Theasii & Evodii, primum vestri ex parte satiatus fuero.* Ex qua Augustini epistola intelligimus Evodium in Italiam pervenisse incolumem, ejusque reditum in Africam vehementer fuisse ab Augustino exspectatum. Extant quoque libri de miraculis S. Stephani jubente Evodio conscripti, posteaquam Reliquiæ beatissimi

ſimi Protomartyris a Paulo Oroſio in Africam fuerunt tranſlatæ : quod non contigit ante annum 416. Non uno itaque ex capite diſpungitur Evodii martyrium ab anno 407. Verum tamen eſt, quod Evodius ac Theaſius poſt ſuum in Africam reditum a Donatiſtis vexati, verberibuſque affecti fuerunt : nam legitur in Concilio Africano anni 408. *Baſſo & Philippo viris clariſſimis Coſs. tertio Idus Octob. Carthagine. In hoc Concilio receperunt legationem Reſtitutus & Florentius Epiſcopus contra Paganos & Hæreticos, eo tempore, quo Severus & Macarius occiſi ſunt, & propter eorum cauſam Evodius & Theaſius & Victor epiſcopi cæſi ſunt.* Quo in loco *cæſi ſunt*, quum opponatur *Occiſi ſunt*, afflictationem verberum, non mortem ſignificat : Aut ſi de morte ea verba intelligenda eſſe contendas ; aſſerere cogimur hunc Evodium *cæſum*, eſſe diverſum ab Evodio epiſcopo Uzalenſi : quem martyrio anno 407. aut ſequenti non occubuiſſe, quæ dicta ſunt nuper manifeſtiſſime oſtendunt.

CAPUT III.

De ſingulari ſapientia Evodii.

QUali autem Evodius ſapientia polleret, cognoſci principio poteſt ex illius cum Auguſtino dialogis. Etenim de *Quantitate animæ* ipſe Evodius num. 1. quæſtiones proponit, & quidem ſubtiles rectaque methodo digeſtas. Objicit quoque Auguſtino quæſtiones illas ſolventi difficultates complures n. 3. 4. 6. aliiſque. Dignoſcitur ex iiſdem quæſtionibus a n. 13. ad 19. Evodium matheſeos etiam fuiſſe peritum. Oſtendit præterea num. 50. ſe in libris quoque Poetarum fuiſſe verſatum, nonnulla producens ex libro ſecundo Odyſſeæ de cane Ulyſſis : a quo poſtea num. 54. progreditur ad diſſerendum de vi ſentiendi belluarum. Qua in re Auguſtinus Evodio demonſtrat in brutis eſſe ſentiendi facultatem a ratione ſejunctam ; quod negant modo Phyſiologi beſtiarum animas machinis æquiparantes. Sed piget quidquid eo loci ingenioſe ab Evodio inquiritur, & traditur ab Auguſtino, proſequi ſingulatim. Sublimiora ſunt quæ Evodius ait diſſerens *de libero arbitrio* cum S. Patre. Evodii eſt namque proloquium illud,

Non

Non sane ideo malum est quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege quia malum est; aliud item: *Quisquis alteri facit quod sibi fieri non vult, male utique facit*. Tum proximum: *Nullo modo perperam punit, qui punit eum, qui volens & sciens malum perpetratur*: itidem sequentia: *Apparet cupiditatem esse earum rerum amorem, quas potest quisque invitus amittere: multo est mitius eum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur occidi: Stultus est, in quo mens summam potestatem non habet: Magnam quidem istam pœnam esse judico, & omnino justam, si quis jam in sublimitate sapientiæ collocatus, inde descendere, ac libidini servire delegerit*; aliaque bene multa, quæ axiomatum loco stare possunt. Illud præterea sapientiæ Evodii argumentum est, quod Proculejanum ita superaverit, ut is convictus quereretur Evodium contumeliose respondisse, pro sua imperitia convicia ipse potius obtrudens. Sed Augustinus hæc pro Evodio ad Proculejanum scripsit laudata epistola 33. *Audivi quidem de memorato fratre te fuisse conquestum, quod nescio quid tibi contumeliose responderit: quod, quæso te, ne illam contumeliam putes, quam certum mihi est non de superbo animo processisse; novi enim fratrem meum: sed si quid in disputando pro fide sua, & pro Ecclesiæ caritate dixit fortasse ferventius, quod tua gravitas nollet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est. Collatorem enim & disputatorem, non assentatorem & adulatorem se esse cupiebat*. Alterum præstantium meritorum, prudentiæ, ac doctrinæ Evodii argumentum est, quod a Synodo Carthaginensi, ut supra diximus, ad Imperatorem Honorium missus fuit, pro rebus gravissimis, atque ad totius Africanæ Ecclesiæ fidem, religionem atque tranquillitatem spectantibus. Demonstrat insuper summam Evodii sapientiam, quod de Valentino Adrumetinorum monachorum Abbate narravimus, hunc scilicet significasse Evodio subortas in monasterio suo controversias, ratum posse rescripto ejusdem Evodii facillime illas componi. Quamobrem ubi Valentinus accepit per quosdam monachos, Felicem, & Cresconium, rem omnem ad Augustinum fuisse delatam, accusatumque Florum, quasi negasset dari liberum arbitrium, hæc scripsit ipsimet Augustino epistola 216. num. 3. *Proposui ad auferendas impias quæstiones, ut ad Dominum sanctum patrem Evodium mitteremus, ut ipse no-*

bis de hoc ſacroſancto libro (ſcilicet epiſtola S. Patris ad Sixtum, quam Florus Uzali conſcripſerat) *propter ignaros aliquid certius reſcripſiſſet. Nec hoc patientius accipere voluerunt, ſed arripuerunt profectionem nobis taliter non optatam.* Epiſtola demum inter Auguſtinianas 158. in §§. 12. diſtributa, & ſcripta ab Evodio, tam ſublimis eſt, & quæſtionibus ingentibus plena, ut ei Auguſtinus reſpondens dixerit *operoſiſſimum* eſſe illas diluere, etiam otioſis, ac *præditis facultate diſſerendi, & acrimonia intelligendi.* Vide epiſtolam Auguſtini num. 1. Ex his itaque apparet Evodium ſingulari ſapientia, & exquiſita doctrina fuiſſe exornatum.

CAPUT IV.

De Scriptis Evodii veris, ac ſuppoſitis.

INter ſcripta Evodii, miſſis quæ illi tribuenda ſunt in præcitatis dialogis, recenſenda prius eſt epiſtola, quam nuper laudavi, ſcripta ad Auguſtinum ex civitate Uzalenſi anno 414. Certum eſt aliam quoque epiſtolam ex eadem civitate & ad ipſum Auguſtinum dediſſe Evodium; nam quæ modo extat, & locum habet num. 158., ita incipit: *Debitum flagito epiſtolæ, quam miſi;* ac S. Pater Evodio reſpondens inquit, *Duarum ſane epiſtolarum tuarum, quibus multa & magna conquiris, una neſcio quomodo aberravit, & diu quæſita non potuit reperiri.* Reſpondiſſe quoque Evodium Valentino, conſtat ex præcitato libro Sirmondi; cumque longiorem difficillimæ quæſtionis dilucidationem ab Evodio peteret Abbas Adrumetinus, tenendum eſt reſponſionem Uzalenſis epiſcopi fuiſſe potius expoſitionem quamdam didacticam, quam epiſtolare reſcriptum: atque ex Opere Evodii ad Monachos illos miſſo, Gallos excerpſiſſe Capitula, quibus Auguſtini doctrinam traducere conati ſunt, putat auctor Præf. in Sirmondo. Idem Jacobus Sirmondus in Hiſtoria Prædeſtinatiana pag. 402. tomi 4. editionis Pariſienſis, ex Corbejenſi aliiſque Codicibus tribuit Evodio librum *de fide contra Manichæos*, in Appendice tomi VIII. Operum Auguſtini pag. 26. Non ſemel Evodium ſcripſiſſe ad Paulinum Nolenſem non dubito, quum ipſe Paulinus ſuam cum Evodio familiaritatem, & invicem quoque ſcribendi promiſſionem

nem innuat in epiſtola 45. ad Alipium pag. 399. editionis Plantinianæ. Num alia Evodius ediderit, incompertum mihi eſt: nam Volumen epiſtolarum ejus de Fide Catholica pertractantium, quod laudat in loco ſuperius citato Ambroſius Staibanus, nec alicubi ſcriptum, nec ab aliquo inſigni alio Auctore commemoratum hactenus adinveni. Opus etiam *de miraculis S. Stephani* adnexum libris S. P. Auguſtini de Civitate Dei, quamvis ab eodem Staibano, necnon a Doctoribus Lovanienſibus Evodio Uzalenſi adſcribatur, alium tamen auctorem habet ignotum, & anonymum. Neque enim Evodii nomen opus illud, quod in libros duos dividitur, præferebat in vetuſto Codice, ex quo editum fuit a Joanne Ulimmerio, neque in altero Floriacenſi, quem in ſua admonitione præfixa eidem operi citant doctiſſimi Patres S. Mauri. Auctor præterea illorum librorum affirmat in Prologo ſe ad illos ſcribendos applicuiſſe, Evodio jubente, cui & opus nuncupat dicens: *Propterea, beatiſſime papa Evodi, juſſis paternitatis tuæ ſtudioſe obtemperare curavi, non tam fiſus viribus meis, quam adjutus gratia Dei, & ſanctis orationibus tuis*. Videtur hoc opus commendari ab Auguſtino ſerm. 323. num. 3. ubi ait: *Apud Uzalim, ubi eſt epiſcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant, quærite, & invenietis*. Laudandus propterea eſt Aloyſius Torelli, qui ad annum 424. num. 28. animadvertit prædictum opus non eſſe Evodii, ſed Evodio dicatum; quod poſtea Critici univerſi probarunt.

CAPUT V.

Animadverſio in Phereponum.

HIc obiter nota caſtigandam eſſe Joannis Phereponi temeritatem, qua pag. 594. *Appendicis Auguſtinianæ*, auſus eſt affirmare miracula narrata a S. P. Auguſtino lib. 22. de Civit. D. cap. 8. (ubi num. 10. & ſeqq. miracula quoque Sancti Stefani recenſentur) fuiſſe ſanctorum Antiſtitum ſtratagemata, quibus fucum faciebant plebeculæ; ac Auguſtinum ſibimet repugnare, cum *de vera Religione* cap. 25. ſcripſerit miracula Apoſtolorum noſtris temporibus non renovari. At revincitur homo inverecundus, veterumque Patrum contem-

ptor, propterea quod nunquam Augustinus adversus Ethnicos narrasset miracula, quæ notissima non essent, certisque testimoniis comprobata: unde ea selegit, quæ in dubium revocari non poterant, cujusmodi fuerunt facta Mediolani ad corpora martyrum Protasii & Gervasii, coram Imperatore, & immenso populo teste: Carthagine in persona Innocentii Exadvocati vicariæ præfecturæ, urbi universæ notissimi: ad Aquas Tibelitanas in translatione sacrarum reliquiarum Protomartyris Stephani; atque ut cetera omittam, patrata Uzali, & in memoratis quoque libris contenta, omniaque facta stupentibus, ac videntibus universis. In Uzalensis vero Ecclesiæ conventu, dum Stephani primi Martyris Christi miracula fideliter descripta, & publica attestatione comprobata recitarentur, eadem persona, in qua miraculum contigerat, conscendens per absidæ gradus adstabat universis conspicienda, ut quod sermone proferebatur etiam præsenti opere cerneretur. Vide cap. 1. lib. 2. laudati Operis de miraculis S. Stephani. Quare Phereponus audacissimus non potuit tam sacrilege in Augustinum debacchari, nisi etiam Ambrosium faceret impostorem, simulque Patres omnes proscinderet, putida dicteria & scurriles jocos admiscens. Sed legendi adversus Phereponum Lamindus Pritanius, Guilielmus Caveus, & Anonymus Cantabrigiensis, nec non Bollandistæ tom. *6.* Augusti pag. 242. & seqq. Profecto Augustinus in libro *de vera Relig.* cap. 25. recte ait non fieri ætate nostra miracula, quæ fiebant ætate Apostolorum, quando baptizati linguis omnium gentium loquebantur; sed non ait nunc nulla miracula fieri: nec id objecisset Phereponus, si legisset libr. 1. Retract. cap. 13. n. 7. ubi quæ scripserat *de vera Religione*, dilucide explicat. Sed hæc obiter dicta sint, quum agendum mihi esset de Evodio; quo jubente miracula Stephani fuerunt litteris consignata.

DE VALENTINO
ABBATE.

CAPUT I.

De monasterio Adrumeti, in quo Valentinus Abbas fuit.

IN Africam ab Augustino monachos primum fuisse introductos rationibus invictissimis, Scriptorum plurium testimoniis, Donatistarum assertis, atque ejusdem Augustini libris alibi demonstravimus. Recole dicta in Augustino num. 24. & 28. Certissimum proinde est monasterium Adrumetinum in Africa, cui anno 427. præerat Valentinus Abbas, fuisse Augustiniani Instituti. Adrumetum fuit colonia & urbs Africæ sub Archiepiscopo Carthaginensi, Hadrumetum Pomponio Melæ, Adrumetos Ptolomæo, nunc vero Mahometha, atque Hamammetha Arabice dicta, ac sita in regno Tunetano, atque in ora maris Mediterranei, inter Aphrodisium ad occasum, & Ruspinam ad ortum, & distans 75. milliariis ab urbe Carthaginis. Adrumetum etiam in Fastis Ecclesiasticis celebre evasit ob martyrium duodecim fratrum, de quibus egit Alphanus in Carmine ad Rofridum, ubi descripta Africa inquit auctor: *Hic urbs extabat Drumentum nomine dicta*. Desideratur hoc Alphani carmen in secundo Volumine Italiæ sacræ, ubi Ferdinandus Ughellus vir de Ecclesiastica Historia optime meritus ejusdem Alphani versus in lucem produxit ex vetusto Codice Cassinensi. At legi potest apud Laurentium Surium tom. 7. ad diem primam Septembris pag. *666.* editionis Coloniensis. Meminit quoque ejusdem carminis in notis ad Martyrologium Romanum eadem die 1. Septembris Cardinalis Baronius. Servarunt nobis Valentini memoriam epistolæ Augustini, illamque celebriorem reddidit historia hæresis Prædestinatianorum, illorum nempe, qui prædestinationem secundum Dei beneplacitum, & prævenientem gratiam adstruentes, ajebant periisse peccato Adæ humanæ voluntatis arbitrium. Pertractavi de hac

hæresi lib. *6.* Theologicarum disciplinarum cap. 14. Sed quoniam ex his, quæ hic disputata sunt, dignosci potest Valentini cura, atque solicitudo, nonnulla hoc in loco attingam rursus, de monasterio tamen Adrumeti dumtaxat agens; nam quæ ad Gallos Massilienses, ad Lucidum, ad Gothescalchum, aliosque hujus Prædestinatianæ hæreseos infamatos attinent, nullam cum Valentino monachorum Adrumetinorum Abbate connexionem habent.

CAPUT II.

Exortam in monasterio Adrumetino hæresim Prædestinatianorum quinam affirmaverint.

ITaque hæresim Prædestinatianam exortam fuisse in monasterio Adrumeti circa annum 424. affirmarunt Tyro Prosper, Sigebertus, Baronius, Spondanus, Alvarez, & post editum librum *Prædestinati* a Sirmondo, viri alii quamplurimi. Non videtur Tyronis Prosperi contemnenda auctoritas, siquidem illius Chronici auctor a multis creditur idem esse ac Beatus Prosper S. P. Augustini discipulus. Convenit enim patria, cum uterque sit Aquitanus, ac tempus, cum Chronicon protrahatur usque ad annum, quo Roma capta fuit a Genserico, scilicet Christianæ Aeræ 455. Revera Prosperum Aquitanum ad hæc usque tempora scripsisse Chronicon testatur Victor Aquitanus in Præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum Romanæ urbis Archidiaconum, postea Papam, & Gennadius Massiliensis de Scriptoribus Eccl. cap. 84 ubi etiam ait hunc Prosperum Chronici auctorem infamasse scripta Fausti; quæ Gennadius de Prospero acerrimo Semipelagianorum oppugnatore proculdubio affirmavit. Idcirco præcitatum hujus Chronicon esse Prosperi docent Bellarminus de Scriptoribus Eccles. Philippus Labbeus in Observat. ad Bellarminum, ac tom. 1. novæ Biblioth. MS. Adde Cl. Petrum Pithoeum, qui illud evulgavit anno 1588. Sirmondus autem fatetur duos fuisse Prosperos Aquitanos, & eadem ætate, eademque in Gallia ambos Chronicum scripsisse, & perduxisse illud ad eumdem terminum, scilicet ad Consulatum Augusti VIII. & Anthemii, urbemque captam a Genserico. Quare in hujus viri sententia,

tia, cujuscunque sit præcitatum Chronicon, sive unius, sive alterius Prosperi, ejusdem antiquitatis est, ejusdemque prorsus auctoritatis. Videsis Sirmondum in Historia Prædestinatiana cap. 5. Prædestinatianorum quoque meminit Gennadius, cujus illustre testimonium producit cap. *6.* citatæ Historiæ Sirmondus. Negat quidem Jansenius tom. 1. Augustini lib. 8. cap. 23. Gennadium hujus hæreseos meminisse, cum etiam Pelagianos omiserit: sed revincitur primò testimonio Hincmari, qui lib. *1.* de Prædest. cap. 1. ait S. Patrem Augustinum conscripsisse librum de xxcviii. hæresibus, quibus novissime subjunxit hæresim Pelagianorum, Gennadium vero addidisse nonagesimam Prædestinatianam, deinde nonagesimam primam Nestorianam, sic Eutychianam, & post hanc Timotheanam; deinde Jansenius refellitur ex vetusto Codice Bibliothecæ Sancti Victoris, ubi post librum Augustini de Hæresibus subjicitur appendix Gennadii continens quatuor illas hæreses ab Hincmaro commemoratas, quarum prima est Prædestinatianorum. Atque hinc apparet non posse Hincmarum falsitatis redargui. Affirmaverat idem Sirmondus cap. *3.* non tantum Hincmarum prædictæ Hæreseos meminisse tom. 1. epist. 17. ad Nicolaum Papam, verum etiam Photium in Bibliotheca Cod. 54. Accedit liber inscriptus, *Prædestinatus*, in quo ipsamet hæresis oppugnatur, ab eodem Sirmondo in lucem editus ex Bibliotheca S. Mariæ Rhemensis. Ad elevandam hujus libri auctoritatem solent quidam respondere auctorem Semipelagianum esse. Verum subirascitur huic responsioni Sirmondus; non quod immunem a Pelagianorum labe auctorem Prædestinati esse credat, sed quod ei detrahenda fides non sit, quamvis Semipelagianus dicatur. Quod vir doctissimus probat hoc argumento ab exemplis petito: *Quid* enim, *an inter Ecclesiasticæ historiæ Scriptores, fidem omnem abrogabimus Eusebio Cæsariensi, aut Socrati & Sozomeno, propterea quod Arianus ille fuerit, hi vero Novatiani? Quod si hos in iis historiis quas narrant non respuimus, cur Prædestinati auctorem, ac reliquos, tametsi ii essent, quos fingunt, in re historica non recipiamus?* Adde *Prædestinatum* Sirmondi in Codice Barberino præferre nomen Primasii, qui floruit tempore Vigilii Papæ, & quintæ Sinonodi, cui interfuit, non vero anno 440. ut visum nostratibus, necnon Sixto Senensi, ac Simlero. Potuit vero Primasius

sius de erroribus Adrumetinorum certissimam notitiam habere, cum fuerit Adrumetinus episcopus, ut inquit in dissert. Historica de Primasio ad Bellarminum de Script. Eccles. anno 545. Philippus Labbeus. Spernenda non est Codicis Barberini auctoritas, cum exscriptus sit ex alio vetustissimo annorum octingentorum monasterii Augiensis, prout Sirmondo significavit Lucas Holstenius. Vide epistolam *Prædestinato* præmissam tom. 1. operum Sirmondi. Præter istos recensuit in Catalogo hæreseon Prædestinatianam etiam Hyginus, laudatus ab Hincmaro Rhemensi lib. de Prædest. cap. 1. pag. 6. Plura alia testimonia produci possent ad evincendum hanc hæresim extitisse: sed cum illa nequeant intelligi de monasterio Adrumeti, prætermittenda esse duco, ne extra oleam transiliam.

CAPUT III.

Qua ratione prædictorum Auctorum assertio videatur conformis S. P. Augustini testimoniis?

NEc tantum ex prælaudatis Scriptoribus, verum etiam ex Augustino colligi videtur, in monasterio Adrumeti hanc hæresim erupisse, ibique monachorum quosdam negasse Dei gratiam, ne liberum arbitrium e medio tollerent, quosdam vero denegasse ipsum liberum arbitrium, ne gratiam destruerent; quorum primi Pelagiani profecto erant, alii autem Prædestinatiani. Enimvero S. P. Augustinus audita monachorum illorum dissensione, quæ suborta fuit occasione epistolæ 194. alias 105. ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, quam ex Uzalensi civitate quidam attulerat, scripsit ad Valentinum ejusque monachos epistolas duas, simulque librum de Gratia & libero arbitrio. In epistola autem priori, quæ est num. 214. ita S. Pater ait: *Venerunt ad nos duo juvenes, Cresconius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium; & quod gravius est, dicant, quod in die judicii non sit redditurus Deus unicuique secundum opera ejus:* & prope finem epistolæ: *Interim credite di-*

te di-

te divinis eloquiis, & quia liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Ita nimirum scribit Augustinus, quoniam perceperat in eo monasterio alios liberum arbitrium, alios vero gratiam negare. In altera item epistola, quæ est num. 215. postquam ait detentos a se Felicem & Cresconium aliquanto diutius, ut redirent instructiores adversus novos hæreticos Pelagianos, inquit S. Pater n. 4. *Quantum ergo potuimus, egimus cum istis vestris & nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverent: quæ neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat.* Pluries quoque ad hanc rem inculcat divinum illud monitum Prov. 4. 26. *Ne declines in dexteram, neque in sinistram.* Cur autem tot, ac tam repetitæ exhortationes, nisi quia S. Patri compertum fuerat esse Adrumeti, qui gratiam, esse qui libertatem negarent? Initio autem libri de Gratia & libero arbitrio significat Augustinus, se librum illum ad monachos Adrumeti dirigere, ut suborta illic Prædestinatiana hæresis compescatur. Nam inquit num. 1. *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater, & ceteri qui simul Deo servitis, compellente mutua caritate curavi.* Atque hinc apparet adversus negantes liberum arbitrium, idest, Prædestinatianos librum illum fuisse conscriptum. Eam ob rem in eodem libro S. Pater demonstrat primo dari liberum arbitrium pluribus Scripturarum testimoniis, ac deinde stylum convertit ad gratiam propugnandam: quod nimirum utramque hæresim Prædestinatianorum, ac Pelagianorum inter Adrumetinos serpere cognovisset. Præterea accepto Augustini libro, fuerunt quidam in errore ita pertinaces, ut assererent eum, qui gratia destituitur, nec adimplet præcepta, non esse corripiendum, non utique alia ratione, nisi quia voluntas in eorum sensu non libere, sed ex necessitate peccaret. Quæ utique est assertio Prædestinatianorum, affirmantium hominem ad peccatum induci fatali quadam necessitate. Scripsit proinde

Augustinus ad eumdem errorem eliminandum ad eosdem Monachos librum alterum de Correptione & Gratia: de quo libro ita in 2. Retractat. cap. ultimo. *Rursus ad eosdem scripsi librum, quem* De Correptione & Gratia *prænotavi, cum mihi nuntiatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum si Dei præcepta non facit; sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum*. Illorum, qui correptionem aspernabantur, prout S. Pater scribit eodem in libro cap. 3. num. 5. hæc verba erant: *Præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus*. Videntur istiusmodi verba hominum existimantium non habere se liberum arbitrium, nisi ad peccandum, aut, si gratia desit, indeclinabiliter attractum. Hæc autem sunt, quæ adduci possunt ad commonstrandum erupisse inter Adrumetinos hæresim Prædestinatianorum.

CAPUT IV.

Veriorem esse sententiam eorum, qui negant in monasterio Adrumetino Prædestinatianorum hæresim erupisse.

AD veritatem magis accedere illos existimamus, qui negant, in monasterio Adrumeti commemoratam hæresim extitisse, ac putant nomine illius hæreseos fictitio Semipelagianos, ceterosque Augustinianæ doctrinæ adversarios sententiam prædestinationis secundum propositum, & gratiæ suapte natura effectricis traduxisse. Neque id solummodo affirmant Usserius & Jansenius, quorum nomina obtrudere solent *ii*, qui hanc sententiam in invidiam trahere conantur; verum etiam Alexander Natalis, Maguinus, Auvræus, Cabasutius, Norisius, Macedus, Contensonus, alioque in Augustinianam doctrinam propensiores. Hi enim persuadere sibi nequeunt ex doctrina Augustini tam monstrosam prolem fuisse progenitam, atque optime norunt hoc liberi arbitrii decomptores Augustini discipulis exprobrasse, quod absurda illa defensarent, quæ sunt Prædestinatianæ hæresis capita. Et quamvis nullum revera sequeretur libris S. P. Augustini præjudicium, etiamsi ex illis male intellectis portentosa illa hæresis germinasset, quemadmo-

admodum nil detrahit Scripturarum Sanctarum auctoritati, quod ex illis pravo sensu explicatis soleant hæretici omnes blasphemiarum suarum petere patrocinia: nihilo tamen minus verissimum est, ab Augustinianæ doctrinæ obtrectatoribus, sancto Parenti ejusque discipulis prædictam hæresim calumniose fuisse imputatam. Nam id perspicue demonstrant objecta Gallorum, objectiones Vincentianæ, Genuensium excerpta, aliaque obtrectatorum illorum opuscula, necnon SS. Hilarii & Prosperi ad Augustinum epistolæ, ac S. Pontificis Cælestini litteræ ad calumniam illam compescendam datæ ad episcopos Galliarum. Jam vero ex his universim præmissis, ad agendum de diffidiis in Adrumeti monasterio excitatis, revertamur oportet. Suborta autem ea diffidia inter eos, qui ad mentem Augustini prævenientem gratiam propugnabant, atque inter alios, qui hanc gratiam propugnantibus opponebant quod liberum negassent arbitrium, ideoque contentionem illam non Augustinensium ac Prædestinatianorum, sed Augustinensium & Semipelagianorum fuisse, sequentia nobis argumenta demonstrant. Principio falsum est, quod Augustino Felix & Cresconius retulerunt, fuisse in Adrumetino cœnobio qui liberum arbitrium negarent: nam Valentinus Abbas acceptis Augustini epistolis, respondit falsum illi fuisse nuntiatum: *Sed cur non directum*, inquit, *non timet proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non negamus: sed per Christi quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus*. Deinde cum duo illi monachi ad Augustinum profecti accusassent tanquam libertatis eversorem Florum confratrem suum, propterea quod asseruisset Dei gratiam non dari secundum merita nostra; evidens est illam hæresis criminationem fuisse effectum illorum aut malevolentiæ, aut ignorantiæ, propter quam gratiæ prædicatori crimen hæresis objecerunt. Quare Valentinus testatur ingenuam Flori fidem, cæcamque ac falsam fratrum accusationem, scribens in epistola prælaudata: *Servi tui Flori hæc fides est, Pater, non sicut fratres isti sunt locuti: in præsentiarum audierunt ab illo dictum, non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris*. Interrogans præterea Augustinus duos illos fratres, adeo illos rudes invenit, ut Pelagianæ hæresis placita non perciperent; quam ob causam secum illos usque

ad Paſcha retinuit, *ut inſtructiores redirent adverſus novos hæreticos Pelagianos*, inquit S. Pater initio epiſtolæ 215. Nil ergo mirum ſi non aſſueti Pelagianorum fallaciis, ac fortaſſe in eo errore detenti, quod nequeat cum divinis gratiæ præfinitionibus conciliari libertas, objecerint Floro ceteriſque pro gratia pugnantibus nefarium crimen hæreſeos. Præter hæc, interea temporis percipiens optime Auguſtinus, quænam fuerit ſubortæ contentionis origo, & librum de Gratia & libero arbitrio conſcribens, adverſus Pelagianos, quorum ſemina apud Adrumetum pullulare cernebat, ſtylum convertit: ac proinde in 2. Retractationum cap. *66.* ait editum a ſe eumdem librum, non contra Prædeſtinatianos, ſed contra Pelagianos, qui bonorum operum initium non gratiæ, ſed humanæ libertati adtribuunt, putantes libertatem ipſam everti, ſi gratia voluntatem præveniat humanam. *Propter eos* (inquit citato in loco Auguſtinus) *qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cujus titulus eſt*, de Gratia & libero arbitrio. *Ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio, ita ut me conſulere aliqui eorum cogerentur*. Decretorium eſt hoc Auguſtini teſtimonium, ex quo apparet contra Pelagianos, non contra Prædeſtinatianos commemoratum librum fuiſſe ſcriptum ad monachos Adrumeti: inter quos nullum extitiſſe Prædeſtinatianum etiam ſufficiens enumeratio demonſtrat. Enimvero quinque, vel amplius fratrum animoſitate contentio exorta eſt, ex quorum duo Felices nomine, & Creſconius ad Auguſtinum venerunt invito Abbate, & Florum accuſarunt. Hi profecto accuſatores non fuere Prædeſtinatiani, ut ſatis conſtat. Talis nec fuit Florus accuſatus, ut oſtendimus ex verbis Valentini; ideoque nullum Prædeſtinatianum in monaſterio Adrumeti adinvenimus. Accedit, quod Prædeſtinatiani ſumma reverentia Auguſtini ſcripta excipiebant, contentioſi autem monachi librum S. Patris ex civitate Uzalis delatum damnabant, ut non obſcure indicat Valentinus ſcribens: *Arripuerunt profectionem nobis taliter non optatam, fratre Floro furore illorum propemodum conturbato, in quem ſæviebant, quia ipſe illis, ut putabant, vulnera libri hujus attuliſſet, in quo medicinam non poterant*

terant

terant infirmi cognoscere. Præterea Massilienses, de quibus S. Prosper in epistola ad Augustinum, erant Semipelagiani, non autem Prædestinatiani; putabant enim contrarium Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui quidquid Augustinus de vocatione electorum secundum Dei propositum disputaverat; eorumque professio erat, Deum præscisse ante mundi constitutionem qui credituri sunt, eosque prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit; & negabant Dei prædestinationem humanas prævenire voluntates, atque removeri omnem industriam, tolli virtutes, & necessitatem induci, si eadem prædestinatio adstruatur. At non aliud afferebant contentiosi illi Adrumetini, scribente Prospero in eadem epistola, *quosdam intra Africam similia movisse*, idest, in monasterio Adrumeti similia contra Augustini doctrinam excitasse dicteria, ac in urbe Massiliensi excitarunt Semipelagiani. Quæ cum ita sint, jure meritoque affirmavimus hæresim, de qua loquimur, non fuisse sub Valentino exortam, sed fuisse iniquam criminationem Semipelagianorum, quibus nil solemnius, quam propugnatoribus Augustinianæ doctrinæ opponere dogmata Prædestinatianorum. Quamobrem Sanctus Remigius in libro adversus Erigenam ait: *Quæ est ista secunda hæresis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix, nisi, ut nobis videtur, disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat?* Eadem scribit S. Prudentius Trecensis episcopus, ut diximus præcitato libro 6. Theolog. disciplin. cap. 14. pag. 480. ubi de hæresi Prædestinatiana pertractavimus.

C A P U T V.

Expenduntur testimonia producta numero 2.

VIdendum modo quid valeant momenta in contrarium producta, ac primum testimonia Prosperi Tyronis, Auctoris *Prædestinati*, Gennadii, Hincmari, Hygini, ac Photii; his enim rejectis, aliorum, qui illis fidem adhibuerunt, corruit prorsus assertio. Quantum ergo spectat ad Prosperi Chronicon;

con; duo sub hoc nomine Chronica inveniuntur procusa, & habentur ambo tom. XI. *Thesauri Antiquitatum Romanarum*. Chronicon primum in duas partes dividitur, quarum prima incipit ab Adam, & extenditur usque ad Consulatum Valentis VI. & Valentiniani II. cui additur Auctarium de Variis hæresibus. Altera pars incipit ab anno Aeræ Christianæ 379. sive a Consulatu Ausonii & Olybrii, & prosequitur usque ad Consulatum Valentiniani VIII. & Anthemii, sive ad annum 455. In eo Chronico nulla hæresis Prædestinatianæ fit mentio. Chronicon alterum editum a Pithæo caret Consulum notis, & incipit pariter ab anno 389. & protrahitur pari ratione usque ad annum 455. atque in hoc Chronico legitur: *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa*. Dico itaque hocce Chronicon non esse Prosperi Aquitani, sed inscii atque imperiti Scriptoris; atque hinc quæ supra dixi confirmo; nam cum Prosper in suo Chronico exortas sua ætate hæreses accuratissime describat, Prædestinatianæ nullatenus meminit. Et quidem Chronicon illud, in quo Prædestinatiana hæresis memoratur, falso adscribi S. Prospero suspicatus est illius editor, qui præcitato Tomo XI. ei hunc titulum, præfixit, *Ejusdem, alteriusque Prosperi*. Sirmondus quoque, etsi huic Chronico fidem habendam esse contendat, quod & ipse Prædestinatianæ hæreseos afferat existentiam, ut præmonui, duos Prosperos, ambosque Chronicorum auctores, fuisse non negat. In secundo itidem Chronico plura falsa, & chronotaxi repugnantia contineri observavit eruditissimus Cardinalis Norisius lib. 2. H. Pelag. cap. 15. ubi variis illius Chronici erroribus adnotatis, ait facilius sibi fore Augiæ stabulum purgare, quam omnes Tyronis hujus errores ex indice recitare. Hoc unum afferam, in hoc Tyronis chronico ita consignari Romanorum Pontificum seriem, 37.: *Innocentius*, 38. *Cœlestinus*, 39. *Xystus*, 40. *Leo: apud* Prosperum vero 37. *Anastasius*, 38. *Innocentius*, 39. *Zosimus*, 40. *Bonifacius*, 41. *Cœlestinus*. Vides a *Tyrone* duos Romanos Pontifices in sola quatuor enumeratione prætermitti, Zosimum ac Bonifacium. Gennadium vero meminisse Prædestinatianæ hæresis ultro concedam: sed certissima duo sunt, unum scilicet, Gennadium Semipelagianis adhæsisse; alterum apud ejusdem factionis homines in more fuisse positum, Augustinianæ doctrinæ addictos tan-

quam

quam Prædestinatianos traducere. Ac de *Semipelagianismo* Gennadii illud invictissimum est argumentum, quod cap. *63*. & 84. *de Viris illustribus* Cassiani Semipelagianorum ducis opuscula appellat *salutaria*, & approbata ab Ecclesia, & S. Prosperum cap. 84. quasi per contemptum commemorando, Cassiani famæ judicat corrosorem, eumque infamare ait tanquam *nociva* eadem opuscula Cassiani. Fausti quoque Opus de Gratia vocat *egregium*, cum Semipelagianorum erroribus undique scateat. Verum de Semipelagianismo Gennadii dictum alibi. Consuevisse autem Semipelagianos Augustinianæ doctrinæ sectatoribus Prædestinatiani erroris notam inurere, evidens est ex collatione errorum, quos in libello ad Gallicanos episcopos damnavit Lucidus, cum Vincentianis objectionibus, & Capitulis calumniantium Gallorum, scilicet cum iis consectariis, quæ decomptores liberi arbitrii opponebant Augustinensibus. Omnia enim eo collineant, ut adstrui a nobis extinctum post hominis primi transgressionem liberum voluntatis arbitrium, Christum non esse mortuum pro omnibus, plures homines creatos esse ut damnentur, ex præscientia Dei homines compelli ad perditionem, improbe & calumniosissime mentiantur. Jure itaque cum de Prædestinatianis agitur, Gennadii expungitur testimonium. Atque idem de libro *Prædestinati* dicendum est, cujus auctorem plurimi cum Maguino fabulosum esse commonstrant, Semipelagianismo autem scatere nemo negat; siquidem & concupiscentiam cum ratione pugnantem, non vitium, & effectum peccati, sed proprietatem naturæ, & conditionem creationis esse propugnat. Nec audiendus Sirmondus, vir alioqui spectabilis doctrinæ, dum ait ob Semipelagianismum non esse abrogandam fidem prædicto auctori, quemadmodum nec Eusebio propter hæresim Arianam, nec Socrati, vel Sozomeno propter errores Novatianorum. Valeret enim aliquantulum hujusmodi comparatio, si Semipelagianis non hæsisset animo probrosa sententia, Prædestinatianis accensendos esse omnes victricis Gratiæ propugnatores: sed quum id Semipelagiani opinarentur; quid mirum, si quos illius Gratiæ defensores noverunt, appellaverint Prædestinatianæ hæresis assertores? Quamquam & illud ignoro, num Eusebio in iis, quæ spectant ad hæresim Arianam, & Socrati & Sozomeno in iis, quæ attinent ad Schisma & errores Novati, sit prorsus habenda fides: ut mittam Eusebii

ſebii *Arianiſmum*, qui forte incertis innititur conjecturis. At legenda contra Prædeſtinatum Sirmondi Cenſura Auvræi Doctoris Sorbonici. De Hincmaro plura dixi in diſputationibus Theologicis, lib. *6.* cap. 14. prop. 3. ubi oſtendi illum erraſſe inſectando Gotheſchalchum tanquam Prædeſtinatianum. Unum tamen addam, Hincmarum pag. 7. aſſerere S. Proſperum in epiſtola ad Auguſtinum, in qua Maſſilienſium errores deſcribit, loqui adverſus Prædeſtinatianos, & Auguſtinum adverſus eoſdem hæreticos edidiſſe libros *de Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Dono perſeverantiæ*; quum manifeſtiſſimum ſit eoſdem libros contra Semipelagianos fuiſſe conſcriptos, & quod haud ſatis mirari poſſumus, affirmat Hincmarus pag. 13. & 14. S. Proſperum agere de Prædeſtinatianis in Præfatione objectionum atque reſponſionum contra Gallos, necnon in Carmine *de Ingratis*, ubi legitur:

Contra Auguſtinum narratur ſerpere quidam
Scriptor, quem dudum livor aduſſit edax.
Inter multa ſuis quæ tradidit hæreſiarches,
Quod cognoſcis ait naturam, quæ bona facta eſt,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe parentis:
Et quoniam tales naſcantur nunc quoque, qualis
Ille fuit noſtri generis pater ante reatum,
Poſſe hominem ſine peccato decurrere vitam
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate ſua: nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu. Connectit & illud
Idem auctor, quod lex ita Sanctos miſerit olim
Cælorum in regnum, ſicut nunc gratia mittit,
Hoc quoque judicio ſancto ſcis eſſe peremptum.
Objectum eſt aliud ipſum dixiſſe magiſtrum
Quod meritis hominum tribuatur gratia Chriſti,
Quantum quiſque Dei donis ſe fecerit aptum.
Sed nimis adverſus fidei hoc nimiumque repugnans
Eſſe videns, dixit ſe non ita credere, & illos
Damnari dignos, quorum mens iſta teneret.

Quæ aliaque multa ad ſolos Pelagianos ſpectantia, Hincmarus

rus in redargutionem quoque & compressionem hæresis Prædestinatianæ dicta fuisse arbitratur. De Semipelagianis itidem, non de Prædestinatianis loquitur Photius, ac præsertim de iis, qui Augustino jam mortuo obloquebantur, quasi liberum negasset arbitrium; quorum obtrectatorum loquacitatem compressit beatus Prosper. En Photii verba: Μετὰ μέν τοιγε θάνατον τοῦ ἐν ἁγίοις Αὐγουστίνου, ἤρξαντο τινες τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, τὸ μὲν δυσσεβὲς κρατύνειν δόγμα κακῶς δὲ λέγειν Αὐγουστῖνον, καὶ διασύρειν, ὡς ἀναίρεσιν τοῦ αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον. ἀλλὰ καὶ Κελεστῖνος ὁ Ῥώμης ὑπέρ τε τοῦ θείου ἀνδρὸς, καὶ κατὰ ἀνακινούντων, τὴν αἵρεσιν, τοῖς ἐγχωρίοις, γράφων ἐπισκόποις, σύνκινομένην πλάνην ἔστησεν. idest: *Post mortem S. Augustini cæperunt quidam ex Clero impium dogma statuere, ac de Augustino male loqui, eumque insectari, quasi liberi arbitrii induxisset interitum. Verum Cælestinus Romanus Pontifex & pro Sancto viro, & contra hæresis incentores scribens ad episcopos ejus regionis, nascentem errorem compescuit.* Hæc a Photio dici de Massiliensibus Augustini obtrectatoribus, ac Semipelagianis, nemo sanæ mentis ignorat. Ceterum accusantibus iisdem Semipelagianis discipulos Augustini tanquam libertatis eversores, fuisse nonnullos, inter quos Hyginus laudatus ab Hincmaro, qui scripserit Prædestinatianos extitisse, detecta falsi hujus rumoris origine, ultro libenterque fatemur.

CAPUT VI.

Diluuntur ea, quæ num. 3. fuerunt præmissa.

JAm vero quæ num. 3. ex Augustino objecta fuerunt, facili negotio solvuntur. Enimvero, quod Felix & Cresconius retulerant adversus Florum aliosque confratres rerum eventu compertum est falsum. Nam, ut vidimus, Valentinus in epistola ad Augustinum testatus est non esse in suo monasterio qui liberum arbitrium negarent, & Flori, qui omnium primus vocabatur in crimen, orthodoxam fidem commendavit. Deprehendit insuper Augustinus Monachos delatores parum circa hæreses Pelagianorum fuisse instructos, quam ob causam illos apud se aliquandiu detinuit; unde nil mirum, si Pelagianis opponentibus adversus Prædicatores Gratiæ interitum libertatis facilem accomodaverint auditum, aut discernere non po-

tuerint gravissimas difficillimasque de gratia, & de libertate quæstiones. Recte autem S. Pater tam liberum arbitrium, quam gratiam defendit, & ad utrumque defendendum hortatur Adrumetinos, non quod primum negarent, sed ut ostenderet id sibi, suisque asseclis falso imputari, atque ut fidem Catholicam, quæ unum & alterum profitetur, luculentius exponeret. Nec oppositum probat quod legitur initio libri de Gratia & libero arbitrio, ubi ait S. Pater, *Sed quoniam sunt quidam &c.* Etenim particula disjunctiva *Aut*, significat non absolute contentiosos monachos negasse libertatem arbitrii, sed hypothetice, scilicet, asseruisse tolli liberum arbitrium, si gratia defendatur; ideoque ipsos gratiam negavisse: nam ob hanc caussam editum ab Augustino librum de Gratia & libero arbitrio constat ex 2. Retract. cap. *66.* Fieri etiam potuit, ut quando eidem operi conscribendo S. Pater manus admovit, anceps hæreret, an in Adrumeti monasterio liberum arbitrium, vel gratiam negarent, ideoque apposite disjunctivam illam particulam adhibuit, simulque pro libero arbitrio, & pro gratia opus elucubravit, ut ab illo monasterio errorem omnem eliminaret. Vide dissertat. nostram lib. *6.* cap. 14. Theologicarum Disciplinarum. Quantum vero attinet ad librum de Corrept. & Gratia, inde omnia, quæ diximus, confirmantur; non enim illi, quorum causa idem liber conscriptus est, rejiciebant correptionem ab omnibus, nec asserebant impelli se necessitate ad peccandum dum carent gratia; sed nolebant corripi a defensoribus prædestinationis & gratiæ; quasi cum Semipelagianis opponentes: Si Dei gratia prævenire debet voluntatem humanam, ora ergo pro me, ut eamdem gratiam accipiam, & per hanc quæ Deus præcipit faciam; recte enim corriperer, si eam mea culpa non haberem, aut si dante Domino, ego illam accipere noluissem. *Hoc dicunt* (ait S. Pater in eodem libro de Corrept. & grat. cap. 4. num. *6.*) *qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripi nolunt.*

CA.

CAPUT VII.

De solicitudine, ac sapientia, qua Valentinus compescuit monasterii sui dissensiones.

HUjus ergo generis fuerunt Monachorum Adrumetinorum dissidia: ad quæ componenda sapientissimus ac prudentissimus Valentinus statim se applicuit. Ac primo nolebat, ut ad S. P. Augustinum statim res deferretur, ne hujus cor caritate flagrantissimum ea dissensionum notitia aliquantulum commoveretur: sed cum illum adire quidam pertinaciter vellent, prudenter annuit, eisque sumptus & viaticum dedit. Insuper cum epistolis monachos nonnullos misit ad S. Evodium episcopum Uzalensem, ut ipse scriptis suis quæstionem omnem dirimeret: quod fecit opusculo, cujus fragmentum ex codice Trevirensi recitat cap. 1. Hist. Prædestinatianæ Jacobus Sirmondus. Rogavit quoque Valentinus presbyterum quemdam Sabinum nomine Theologicarum rerum haud mediocriter peritum, ut Augustini epistolam ad Sixtum, de cujus epistolæ sensu ac doctrina monachi digladiabantur, legeret, liquidisque interpretationibus exponeret; id, quod Sabinus præstitit, ita ut nonnullis fratribus ad Augustinum profectis, in monasterio pax & tranquillitas exultaret. Denique ad S. P. Augustinum scripsit Valentinus epistolam, inter Augustinianas 256. nunc 216. In hac epistola Valentinus primo rusticitati fratrum, qui controversiam excitarunt, adscribendam ait litterarum suarum importunitatem, ac significat quantam ex libro ad se misso perceperit voluptatem. Narrat deinde originem dissidii in monasterio suborti, auctoresque tumultus haud bene se gessisse, nec vera narrasse demonstrat. Addit quæ a se fuerint acta ad dissensiones componendas. Accusat inordinatam fratrum ad Hipponem regium profectionem, se non approbante susceptam. Declarat a se suisque rectam teneri fidem de libero arbitrio, & de justitia Dei remuneratoris, ac Florum, quem ab omni erroris suspicione vindicat, illi commendat, orans ut dignetur pro regula monasterii libenter excipere quidquid ipse Florus sanctissimo Institutori suggessisset. Hinc apparet eumdem Florum una cum hisce litteris ad Augustinum fuisse

miſſum, prudenti ſane conſilio, ut ex Flori interrogatione magis ipſius fides deprehenderetur. Quare S. Pater initio libri de Corrept. & gratia num. 2. propoſitis iis, quæ de gratia & libero arbitrio credenda ſunt, *Hanc fidem* (inquit) *quæ ſine dubio vera, & prophetica, & Apoſtolica, & Catholica fides eſt, etiam in fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudeo; unde hi potius corrigendi ſunt, quos quidem propitio Deo correctos eſſe jam exiſtimo, qui eum non intelligebant.* Atque hæc confirmant illorum, qui Florum tanquam Prædeſtinatianum traduxerant, hallucinationem, & ignorantiam. Hactenus de Valentino.

DE

DE UTROQUE

LEPORIO.

CAPUT I.

De Leporio Hipponensi Presbytero.

LEporios duos distinguendos esse arbitror, utrumque Augustiniani instituti monachum, unum Afrum genere, Gallum alterum, sed ex Galliis ad Augustinum profectum. De priori Leporio illustre habemus Augustini testimonium in sermone 50. de diversis, nunc 356. num. 10. Eo loci Augustinus ait Leporium fuisse seculi natalibus clarum, & honestissimo loco natum, susceptum tamen ab Augustino in Clericorum numero, *inopem*, *& jam Deo servientem*. Is ergo monachus fuerat, priusquam inter clericos adoptaretur, eratque unus eorum, qui cum monachalem vitam ducerent, selecti, promotique fuerunt ad altaris ministeria. Nec serviebat Leporius dumtaxat Deo priusquam clericus initiaretur, sed Augustini imitatus exemplum, in quodam horto ædificaverat monasterium, in quo sui sancto proposito se receperant: quod utique monasterium dici non potest Canonicorum, quum nec locus, in quo erectum fuerat, ad Ecclesiæ jura spectaret. Aperta sunt laudato in loco verba Augustini: *Hortus*, inquit, *est unus, ubi nostis; ibi monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et ad quem? dixerit aliquis; Ad illud, quod ibi est, monasterium*. Addit S. Pater Leporium tunc, scilicet priusquam ad clericorum ædes transiret, illorum, qui secum in monasterio degebant, curam gessisse. Confirmant hæc invictissime, quæ de monasteriis monachorum diversis a clericorum ædibus alibi disseruimus. Leporii sumptibus, seu potius pecunia ex bonis, quæ Leporii fuerant, extracta, ædificata fuit Hipponensis Basilica *ad octo Martyres*. Ædificavit quoque Leporius in eadem urbe Xenodochium, necnon domum, quæ

non ipſi, ſed Eccleſiæ præſtabat penſionem. Hæc de Leporio leguntur in præcitato ſermone. Clariſſimus Eccleſiaſticorum Annalium Parens ad annum 409. num. 35. putat hunc Leporium eſſe illum, qui poſt Aurelium aſſumptus fuit *ad præfecturam Eccleſiæ Carthaginenſis*: idemque ex noſtratibus tradunt Marquez cap. 10. §. 4. Herrera tom. 2. Alphabeti pag. 13. Cruſenius p. 1. cap. 15. Elſius in Encomiaſt. pag. 432. aliique. Quia vero hujus Leporii nulla ſuperſunt litterarum monumenta, hoc unum addentes, quod a noſtratibus refertur ad annum 409. quo ſane tempore Leporium vixiſſe non dubito, ad Leporium alterum, ac primum ad tempus, quo floruit, ſtylum orationemque convertimus.

CAPUT II.

Quo tempore Leporius monachus vixerit.

AD eadem tempora referendum putant Hiſtoriographi noſtri Leporium alterum Uticenſem in Provincia Bethica epiſcopum, qui primum in Galliis, deinde in Africa vitam monaſticam duxit, atque ex monachi humilitate ad presbyteri miniſterium, hinc vero ad cathedram epiſcopalem adſcendit. At ſerius utriuſque Leporii ætatem arbitror protrahendam. Nam Leporius Afer, etſi vivebat memorato an. 409., ſi revera ſucceſſit in Primatu Africæ Aurelio Carthaginenſi, ad hanc dignitatem evectus eſt circa annum 430. Certe enim Aurelius vivebat anno 426. ante quem annum Auguſtinus non abſolvit libros *de Civitate Dei*: nam libro 22. hujus Operis cap. 8. ait Sanctus Pater de Diaconis Carthaginenſibus: *Ex quibus nunc ſolus eſt in rebus humanis jam Epiſcopus cum honore a nobis nominandus Aurelius*: Immo illuſtris Noriſius Hiſtor. Pelag. lib. 2. cap. 8. ex libello Marii Mercatoris ad Theodoſium colligit Aurelium vixiſſe anno 429. quamvis paulo poſt deceſſerit, cum ante Paſcha anni 431. ſederit Carthagine Capreolus, cujus litteræ productæ fuerunt eodem anno in Synodo Epheſina p. 2. cap. 9. Quare Leporium fuiſſe Primatem Carthaginenſem Baronio, & noſtratibus non facile aſſentiar. Etſi enim in Africa non Metropolitani deſignabantur Primates, ſed ſeniores provinciæ epiſcopi; ab hac tamen lege excipiendus eſt epiſco-

pus

pus Carthaginensis, qui jam ante Cyprianum totius Africæ ob sedis suæ dignitatem atque amplitudinem Exarchus erat, ac Primas. Neque hanc dignitatem sequentibus temporibus diminutam, sed servatam fuisse demonstrat Auctor Geographiæ sacræ Africæ, præmissæ postremis editionibus S. Optati Milevitani pag. 25. Quamquam autem Capreolus in litteris ad Patres Ephesinos sese Africæ, aut Proconsularis Provinciæ, alteriusve Primatem non appellaverit, quod inusitatum esset episcopis magnificos alios titulos usurpare; se tamen fuisse *Primatem* demonstrat, tum legatione illa, quam ipse fecit tanquam dignior Africanis aliis episcopis; tum narratione sua, qua ait cogere se voluisse Synodum ex numero episcoporum fratrumque suorum, ut ex illis seligerentur, qui destinarentur ad Ephesinum Concilium; quod ut fieret, non permisit conditio temporum, ac præsens Africanarum Ecclesiarum calamitas. Leporius itaque, sententia quidem mea, non fuit Episcopus, nec Primas Carthaginensis post Aurelium. Quia tamen quando habuit Augustinus præcitatum sermonem de vita & moribus Clericorum, Leporius juvenis erat, aut saltim senex fuisse non deprehenditur, circa annum 427. quo alter Leporius librum propriæ Retractationis conscripsit, arbitratus sum ejusdem Leporii consignandam esse memoriam. Profecto Leporii, de quo mox dicturus sum, emendationem alii referunt ad annum 420. alii ad annum 425. Jacobus Le Baune S. J. in adnotationibus ad opera Sirmondi tom. 1. pag. 346. emendationem illam contigisse putat Theodosio duodecies, & Valentinio iterum Coss. ideft, anno 426. quoniam Leporius presbyter fuit præsens Gestis Ecclesiasticis, quibus eodem anno sexto Kal. Octobris Eraclius, sive Eradius designatus fuit successor Augustini in episcopatu, ut nos in *Eraclio* infra dicemus. At non advertit vir doctus, Leporium presbyterum Hipponensem fuisse illum, de quo superiori num. pertractavimus, & quem proinde circa annum 427. floruisse etiam hinc erui posse putamus. Epistola inter Augustinianas 219. quæ agit de emendatione Leporii scripta dicitur a PP. Sancti Mauri prædicto anno 426. aut proximo 427. De hac epistola paulo infra. Interim ex dictis colligimus utrumque Leporium circa eumdem annum 427. floruisse.

CA-

CAPUT III.

Testimonia quædam de Leporii erroribus, & de ejus emendatione.

LEporius, dum in Galliis morabatur propugnavit hæresim Pelagianam, & Nestorianam. Aperta sunt testimonia Cassiani, Facundi Hermianensis, Gennadii, & quod caput est, ipsius Augustini. Nam Cassianus lib. 1. de Incarnat. cap. 4. inquit: *Leporius enim tunc monachus, modo presbyter, qui ex Pelagii, ut supra diximus, institutione, vel potius pravitate descendens, apud Gallias adsertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos, fuit a nobis admonitus, a Deo emendatus; ita male conceptam persuasionem magnifice commendavit, ut non minus pæne admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides: quia primum est, errorem penitus non incurrere, secundum bene repudiare. Is ergo in se reversus, non solum in Africa, ubi tunc erat, atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates, flebiles confessionis ac planctus sui litteras dedit, scilicet, ut ubi deviatio ejus prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur: & qui testes erroris ante fuerant, iidem postea correctionis essent.* Facundus item Hermianensis episcopus libro 1. Operis conscripti *pro defensione trium Capitulorum* ad Justinianum Imperatorem pag. 12. edit. Parisiensis inquit: *Cum quidam Leporius presbyter apud Gallias depravatus a vera & antiqua Ecclesiæ fide, eadem docere præsumeret* (quæ Nestorius effutiit de Christo propter bona opera prædestinato ad moralem cum æterno Verbo unitionem) *atque inde pro tali errore depulsus, in Africam docendus veniret, illic instructus, ut docet Apostolus, in spiritu mansuetudinis a spiritualibus patribus, & prædicto Augustino, atque aliis Africanis episcopis, pravissimam novitatem sui dogmatis abdicavit. Scripsit autem libellum satisfactionis idem Leporius ad Gallos episcopos, quem memorati venerabiles patres Aurelius atque Augustinus & ceteri sic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem etiam suas ei subscriptiones adjicerent.* Ex quibus Facundi verbis confirmatur quod supra diximus, S. Aurelium Carthaginensem episcopum eo anno, quo Leporius memo-

memoratum Libellum edidit, adhuc fuisse superstitem. Gennadius autem in libro de viris illustribus cap. 59., *Leporius*, inquit, *adhuc monachus, postea presbyter, præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum, & conatu proprio, non Dei se adjutorio obtinuisse credebat, Pelagianum dogma cœperat sequi: sed a Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum emendatus, scripsit emendationis suæ libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione; simul & quod de Incarnatione Christi male senserat corrigens, catholicam sententiam tulit dicens: Manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis, unam credendam Filii Dei personam.* De iisdem erroribus, & emendatione Leporii agitur in epistola 219. inter Augustinianas, de qua nonnulla dicam proximo numero.

CAPUT IV.

Quomodo, & quando prædicta Leporii emendatio contigerit.

CONstat ex dictis Leporium opera Africanorum Patrum, præsertim vero Augustini fuisse ad Catholicam fidem, melioremque frugem revocatum. Id vero hac ratione evenit. Cum Leporius scripta epistola errores suos evulgasset, magnamque scandali occasionem præbuisset fidelibus, admonitus primum, deinde in errore persistens, Proculi & Cyllinnii Gallorum Antistitum auctoritate damnatus, coactus est solum vertere. Proculus fuit episcopus Massiliensis, qua in urbe morabatur Cassianus Leporii monitor, idemque Proculus satis notus est litteris Romani Pontificis Zosimi. Cyllinnius vero fuit episcopus Aquensis, prout constat ex notitia veterum Galliæ episcoporum; & alii Cylinnium, Cyllenium quidam, nonnulli Quillenium scripserunt, parva litterarum permutatione. Itaque Leporius Massilia pulsus transmisit in Africam: ibique Aurelius Carthaginensis, aliique episcopi operam suam contulerunt ut illum ab erroribus revocarent. Augustinus a se, collegisque suis Leporium susceptum fuisse ait ea caritate, qua debemus consolari pusillanimes & suscipere infirmos: unde percipimus pervenisse Leporium in Africam,

non in errore pertinacem, sed animo perturbatum, & veritatis percipiendæ amantissimum. Inter alios errores ab Augustino deprehensos emendatosque in Leporio, maximus ille erat, quod negabat Deum hominem factum, *ne substantiæ divinæ, qua Filius Dei æqualis est Patri, indigna mutatio, vel corruptio sequeretur*. Ita legitur in præcitata epistola 219. num. I. Asserebat propterea Leporius Christum ob eximias virtutes arbitrio suo comparatas factum fuisse Dei filium, templum divinitatis, ac dominum nostrum in Baptismo: quæ est eadem blasphemia Nestorii. Quare Cassianus libro VII. de Incarnatione cap. 21. his verbis Nestorium alloquitur: *Ita ergo & tu Pelagianæ hæreseos spinosa soboles idem ostendis in germine, quod pater tuus habuisse traditur in radice. Leporius ille enim Dominum nostrum asserebat Christum factum esse per baptismum: tu in baptismo templum Dei dicis factum per Spiritum Sanctum. Non equidem ad plenum eadem verba sunt, sed ad plenum una perversitas*. Hunc Leporii errorem nondum S. P. Augustinus audierat, cum scripsit librum de Correptione & Gratia; nam in eo libro cap. II. scripsit: *Neque enim quisquam tanta rei hujus, & fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu Sancto, & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei filius*. Quamobrem prælaudata epistola 219. & libellus emendationis Leporii scripta fuerunt post præcitatum Augustini librum, anno scilicet 427. quod confirmat quæ diximus num. 2. Profecto Africani episcopi non contenti, quod Leporius correctus ac sanatus esset in Africa, illum compulerunt ad mittendum in Gallias commemoratum emendationis suæ libellum, cui & subscripsere cum Leporio episcopi sex Africani; quorum nomina paulo post recensebo. Prædicta vero epistola data fuit ad episcopos duos Galliarum Proculum & Cyllinnium, qui Leporium damnaverant; ac data est nomine Augustini, Florentii, & Secundi. Stylus autem demonstrat fuisse scriptam ab Augustino, ut Jacobus Sirmondus, aliique observarunt. In eadem epistola numer. 3. hæc leguntur. *Sicut per suam pænitentiam susceptus* (Leporius) *est a nobis, sic per suam epistolam* (idest libellum emendationis) *suscipiatur a vobis. Cui quidem epistolæ nostræ*

etiam manu subscribendum putavimus, ipsius esse testantes. Hanc ejus correctionem dilectionem vestram minime dubitamus & gratanter accipere, & eis notam facere, quibus ejus error scandalum fuit.

CAPUT V.

Agitur de Libello Emendationis Leporii.

Continetur Emendationis Libellus paulo supra laudatus, tomo I. Operum Sirmondi pag. 346. in Conciliis Labbei tom. 2. pag. 1677. in maxima Patrum Bibliotheca initio tomi septimi, atque inter dissertationes Joannis Garnerii de de H. Pelagiana; & laudatur, ut diximus, ab Augustino, a Cassiano, a Gennadio, a Facundo Hermianensi productis in locis, necnon a Joanne II. in epistola ad Avienum. In eo libello fatetur Leporius in se viguisse imperitiæ superbiam, stultam simplicitatem cum persuasione, fervoremque cum intemperantia conjunctum; testaturque Deum, se credidisse veritatem esse errorem suum, lucemque sincerissimam obscuras tenebras. En sinceræ conversionis indicium, aperta, & non fucata ignorantiæ errorisque proprii confessio. Addit onerosius sibi esse, quod prava dogmata tueri conatus fuerit cum multorum scandalo, ac proinde festinandum sibi esse ut curet vulnerata *qui sana transfodit*. Atque id est veræ emendationis nota altera, dare operam, ut inde pax oriretur, unde nata fuerat discordia. Damnat præterea epistolam suam, quam appellat originem scandali & offendiculum caritatis, eamque epistolam abolitione calcandam esse pronuntiat, oratque, ut hic animi sui sensus cunctis innotescat & pateat. Id vero est omnia mala germina, eorumque radicem evellere, quod est indicium aliud resipiscentiæ. Retractat deinde, quæ contra fidem catholicam scripserat, & juxta symboli veritatem asserit Filium Dei natum ex Maria Virgine, & utramque substantiam carnis & Verbi esse unum, eumdemque Deum & hominem inseparabilem, atque Verbum carnem factum, non ut conversione aut mutabilitate aliqua cæperit esse, quod non erat, sed ut potentia divinæ dispensationis Verbum Patris, nunquam a Patre discedens, homo proprie fieri dignaretur, in-

carnatusque sit Unigenitus, secreto illo mysterio, quod ipse novit. His, aliisque praeclare dictis Nestorianam haeresim anathematizat ac damnat. Progreditur deinde ad refellendum Pelagianum dogma, damnatque quod in praecitata epistola affirmaverat, Christum Dominum nostrum sic omnia quae erant passionum implesse, ut in nullo quasi perfectus homo a divinitatis auxilio juvaretur: ac retractat quod dixerat ideo Christum in cruce exclamasse, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* quoniam perfecta hominis patientia, minime adjuvante deitate, in tantis doloribus probaretur. Docet itaque sic clamasse, ut vere & manifeste Filius Dei se in carne ostenderet moriturum, & quasi utens carnis suae voce demonstraret per mortem crucis corpus pro aliquo tempore non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, quae erat unita cum Deo, esse derelinquendum. Hoc autem caute monent Theologi intelligendum esse, ne quis dissolutam credat hypostaticam unionem, sed derelictam carnem dumtaxat agnoscat, effectu potestatis illius, quam Verbi Persona substantiali vinculo colligata exercebat in corpus. Verum culpandus non est Leporius, qui eamdem phrasim adhibuit, qua usi fuerunt tres magni nominis Patres, idest, Epiphanius haeresi 20. & *69.* Hilarius can. 33. in Matth. & Ambrosius in Tract. de Symbolo cap. 13. Legi potest Hyacinthus Serry in Prologo Galeato ad Melchiorem Canum cap. 8. Tandem Leporius anathema dicit haereticis omnibus, Photino, Ario, Sabellio, Eunomio, Valentino, Apollinari, Manichaeo, & universis contra sanam doctrinam venientibus: iterumque veniam a Gallis episcopis deprecatus libello suo propria manu subscripsit. Relectus fuit hic libellus in Ecclesia Carthaginensi: eumque propria subscriptione firmarunt Africani episcopi, Domninus, & Bonus, quorum sedes ignoratur, Aurelius Carthaginensis, Augustinus Hipponerejensis, Florentius Hypponiensium Diarritorum, & secundus Aquensis. Horum trium, qui postremo laudati sunt, nomine data est epistola ad Proculum & Cyllinnium: de qua supra.

C A-

CAPUT VI.

Pelagianorum, & Nestorianorum affinitas.

POtest ex dictis erui, cur tam arcta necessitudine Pelagiani, & Nestoriani conjuncti essent. Nam cum Nestoriana hæresis in hoc potissimum sita foret, quod negaret in Incarnatione Verbum Dei substantialiter conjunctum naturæ humanæ in unitatem personæ, dogmatizabat proinde Christum nativis arbitrii sui viribus promeruisse, ut sibi specialissimo amoris nexu, & titulorum communicatione Dei Filius copularetur. Quamobrem & Ibas Edessenus tanquam Nestorianus olim audiit, quod in Triclinio Episcopii dixisse perhiberetur: *Non invideo Christo facto Deo*, quæ verba significare videbantur ad Dei filietatem posse unumquemque propriis virtutibus pervenire: id, quod Pelagianum esse nemo non videt. Idcirco S. P. Augustinus demonstrans adversus Pelagianos necessitatem gratiæ prævenientis, urgere solet exemplum Christi, qui nullis præcedentibus meritis prædestinatus est filius Dei, & quem appellare solet præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ. E contra Pelagiani ad Nestorii partes accesserunt; atque post obitum Augustini, in Oriente novas turbas ciere molientes, eidem Nestorio anno 431. Ephesum venienti comites adfuere; ac inter eos Julianus, Florus, Orontius. In Synodo etiam Ephesina, quam Latrocinium appellant, ubi acta veræ synodi fuerunt rescissa, damnata duodecim Cyrilli Capitula, idem Cyrillus & Memnon sacris interdicti, & sententia quorumdam Cœlestii ac Pelagii dogmata approbata fuere, ut ex litteris S. Gregorii Papæ ad Anastasium Antiochenum observavit Cardinalis Baronius ad annum 431. num. *76.* quamvis Norisius lib. 2. Histor. Pelagian. cap. *9.* Pelagianum canonem Schismaticorum actis insertum revera additum a quodam Pelagiano demonstret, non ab Orientalibus procusum, propterea quod Joannes Antiochenus nec Julianum, nec Florum, nec Orontium, nec Pelagianorum Episcoporum alium, qui Nestorium secuti fuerant, conciliabulo interesse voluerit, nec ullus eorumdem Pelagianorum ipsi Pseudoconcilio subscripserit. Ceterum Pelagianos stetisse a partibus Nestorianis,

rianis, ac simul cum Nestorio Ephesium adventasse constat ex Epistolis Cœlestini, & Cyrilli, nec in dubium ab ullo hominum revocatur. Una autem cum Nestoriana hæresi Pelagianam in Orthodoxo, & æcumenico Concilio Ephesino fuisse damnatam, æque certum est, atque a doctissimo Norisio eodem cap. *9.* fuse sapienterque demonstratum. Quamobrem S. Prosper utrique hæresi concinit epitaphium, quod incipit,

Nestoriana lues successit Pelagianæ,
Quæ tamen est utero progenerata meo.

Hinc nemo debet mirari, Leporium olim Pelagianum dici a Cassiano magistrum Nestorii, & ambas hæreses tanta affinitate conjunctas adoptasse: quas tamen, ut superius narravimus, publica solemnique fidei confessione damnavit.

CAPUT VII.

Cetera ad Leporium pertinentia enarrantur.

DUm Leporius monente Augustino errores pristinos ejuravit, servabat adhuc monachorum instituta; non enim presbyter appellatur sive in subscriptione libelli sui, sive in epistola Præsulum Africanorum. Non est autem vero simile Leporium pœnitentiam agentem, & sub Augustini disciplina versantem pallium & cucullam monasticam exuisse: sed cum in Galliis vivens monachus esset sui juris, nullique Ordini addictus, quales tunc temporis erant plurimi, profectus in Africam ad exteriorem religiosi viri habitum addidit institutionem ac formam. Augustinus propterea illius propositi, ac retractationis adeo humilis amore permotus, magis magisque in pietate litterisque proficientem inter Clericos illum excepit, atque ad presbyteratum evexit. Hinc a Gennadio & a Cassiano Leporius primo *Monachus*, postea de *Præsbyter* appellatur. Deinde ad Episcopatum evectus fuit in Ecclesia Uticensi. At cum duplex fuerit Utica, una Africæ, Ityca alias dicta, altera Hispaniæ Bœthicæ, imo & tertia *Galliæ* Narbonensis, oriri posset quæstio cujus Uticæ Leporius gesserit episco-

episcopatum. Quidam Itycæ, sive Uticæ in Africa episcopum opinantur, non alia ducti ratione, nisi quod in Africam ex Galliis abierit. At Scriptores Augustiniani ajunt Leporium fuisse episcopum Uticæ in Bethica Hispaniarum provincia. Ita scribunt Thomas Herrera p. 2. Alphabeti pag. 13. Nicolaus Crusenius p. 1. cap. 15. Antonius a Purificatione exam. 4 fol. 578. Sebastianus de Portillo tom. 1. ad diem 4. Februarii, Emmanuel Leal in Chronico, Aloysius Torelli ad annum 406. num. 2. & Joseph ab Assumptione tom. 1. Martyrologii Augustiniani pag. 97. Innititur nostratium sententia Chronico Flavii Dextri, in quo ad annum 406. legitur. *Leporius Episcopus Uticensis in Bethica, prius monachus ex familia S. Augustini, mutat suam perditam priorem sententiam, admonitus a S. Augustino præceptore suo*. Me non latet plura menda in illo Flavii Dextri Chronico ab eruditis viris deprehendi; quemadmodum nota illa annorum cohærere nequit cum ætate Leporii, quam superius investigavimus: sed tamen rejici non debent quæ etiam in apocryphis spuriisque libris continentur, nisi aliunde constet illorum falsitas. Profecto quæ in Chronico Dextri leguntur de Leporio, certissima existimantur a Juliano Archipresbytero S. Justi Toleti in Adversariis sacris pag. 74. num. 333. & a Luithprando Cordubensi num. 41. quos citato in loco producit P. Herrerius. Addit Joseph ab Assumptione hæc verba Auberti Miræi in Chronico: *S. Leporius episcopus Uticensis in Hispania S. Augustini monachus construxit in Bethica duo monasteria*. Verum & is emendandus est hæc referens ad annum 406. præcitatum. Dicet aliquis, non cedere in Augustinianæ familiæ honorem inter alumnos suos recensere monachum sectatorem Pelagii, ac præcursorem Nestorii. Haud secus in Historia Tripartita lib. 1. cap. 52. num. 10. & cap. 55. num. 3. scribit Gabriel Pennottus, qui arbitratur Leporium fuisse monachum ejusdem cum Pelagio instituti, ac deinde episcopum in Africa, non autem in Hispania. Sed viro docto respondendum est, ea, quæ de episcopatu Leporii in Hispania ab ipso dicuntur, nullo testimonio, nulloque momento suaderi. Quæ vero de monachatu ipsius Leporii subjicit, si loca, ac tempora distinguantur, futilia sunt. Enimvero in Galliis Leporius pravorum dogmatum assertor erat, in Africa doctri-

næ

næ Catholicæ propugnator : illic Pelagii aſſecla , iſtic Auguſtini diſcipulus ; priori in loco alienus , altero in loco noſter ; nec dedignatur Auguſtiniana familia , quæ habet parentem olim Manichæum, habere filium olim Pelagianum ; quin gloriatur ſummopere de parente ac de filio Manichæorum , Pelagianorumque profligatoribus . Gaudet etiam ſancta mater Eccleſia Saulum , quem perſecutorem vidit , habere defenſorem. Hactenus de Leporio.

DE ERACLIO

CAPUT I.

Haud improbabile est Eraclium, antequam ordinaretur in clericum, fuisse monachum.

ERaclium, de quo pauca sum dicturus, vixisse inter clericos Hipponenses, quos S. Pater Augustinus ad communem vitam servandam exemplo dictisque pertraxerat, manifestum est ex sermone 356. de Vita & moribus clericorum, alias 50. de diversis, num. 7. Hinc Thomas de Herrera in Alphabeto pag. 213. de Eradio (ita enim Eraclius in vetustioribus Augustini editionibus nominabatur) instituendo sermonem, fuisse illum absque dubio Canonicum Regularem fatetur, eorum scilicet unum, qui Augustino nutritore ac gubernatore in Episcopio Hipponensi religiosam, & a Laicorum contubernio segregatam vitam ducebant. Atque id quidem propter præcitati sermonis auctoritatem ingenue fatendum est. Verum non defuere ex nostratibus, qui hunc Eraclium clericum utique, ac presbyterum sanctæ illius societatis fuisse tradiderint, sed ad clericalem vitam assumptum ex monasterio antea Augustini opera ædificato, ubi proculdubio monachi commorabantur. Nam cum teste Possidio in Vita Augustini cap. 11. ea ætate in monasterio servientes cæperint in Ecclesia Hipponensi ordinari in clericos, ideoque magna clericorum pars ex monachis exierit; nec Hipponensis tantum, verum etiam aliæ per Africam Ecclesiæ ex eodem monachorum monasterio & clericos & episcopos sibi ordinari petierint; incredibile prorsus est S. Parentem Augustinum, qui aliis Ecclesiis monachos ad clericatum promovendos elargiebatur, ubi statuere debebat Ecclesiæ propriæ administros, quos volebat adinstar monachorum vitam suam instituere, ex monasterio selectiores & probatiores, inter quos eminebat Eraclius, non assumpsisse. Erant præterea inter clericos Hipponenses nonnulli, qui non ex monasterio, sed ex laicorum numero adsciti, non æquo

animo ferebant communis illius vitæ instituta, ad eosque inflammandos proponit Augustinus exempla eorum, qui jam antea bonis omnibus abdicatis idem vivendi genus fuerant amplexi. Hos inter enumerat ex Diaconis præter hunc Eraclium, Faustinum, quem ex militia sæculi, priusquam ordinaretur, recepisse se in monasterium, legitur eodem sermone num. 4. Hunc & Eraclium, una cum Severo, qui tunc disponebat agellos suos in pauperum, & Ecclesiæ subsidia distribuere, diaconis cæteris in exemplum proponit; quemadmodum num. 10. presbyteris Leporium, de quo pariter scribit jam pridem in horto monasterium servorum Dei constituisse. Hinc apparet Augustinum clericis e sæculo venientibus, clericos ex monachis factos imitandos proposuisse. Etsi vero sermo laudatus postponitur alteri *de Vita & moribus Clericorum* 355. sive de diversis 49. etiam in editione PP. Benedictinorum ceteris omnibus præstante; puto tamen sermonem illum 356. longe ante alium fuisse editum, atque cum primum S. Pater clericos ad communem vitam exhortabatur. Permoveor autem hac ratione. Sermone 356. num. 14. inquit S. Pater expungendos a clericorum albo, atque a tabula clericorum delendos esse qui paupertatis propositum violassent: *Qui voluerit*, inquit, *habere proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere, parum est ut dicam, non mecum manebit, sed & clericus non erit*, ibique tantum permittit clericatum eos tenere, qui noluerunt suscipere socialem vitam, non autem eos, qui sociali vita suscepta, ab hac descivissent. At sermone præcedenti num. 6. ait: *Certe ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet recedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia ejus, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum:* ibique rursus testatur se nec ei, qui cadit a voto, & a professione sancta, clericatum auferre. Quæ utique verba videntur posterius præcedentibus dicta. Eraclius itaque, quando Hipponensibus clericis S. P. Augustinus vitam communem præcipiebat, jam illam in monasterio servaverat, dignus qui cum Faustino ac Leporio iisdem clericis proponeretur,

retur. tanquam exemplum imitationis. Accedit quod dum Augustinus ea loquebatur ad clericos, Eraclius celebris erat inter illos, unde ait S. Pater citato num. 7. *Opera ejus lucent coram oculis vestris:* ipse autem Eraclius quando se Augustino tradidit, plane rudis, illitteratus, atque, ut ipse ait in sermone, quem habuit eodem Augustino præsente, *durus* erat. Itaque probabilitate non caret, hunc Eraclium priusquam inter clericos adscisceretur in monasterio Augustini fuisse enutritum, litterisque imbutum, postea vero jam formatum, eruditumque ex monacho clericum evasisse.

CAPUT II.

De Eraclii merito, ac de sermone, quem habuit Augustino præsente.

IDem itaque Eraclius eodemque sermone ab Augustino plurimum laudatur. Ejus opere, & expensa pecunia, quæ pridem erat sui juris, ædificatam Memoriam S. Martyris, forte Stephani, cujus Reliquiæ in Africam allatæ innumeris miraculis coruscabant, legitur ibidem num. 7. Neque dicas hinc apparere Eraclium tunc temporis rem familiarem abdicasse; nam ibidem S. Pater testatur, remansisse illum nutu suo in possessione, quod Eraclius veniens ad monasterium esset adolescens, ac dubitaret prudentissimus Augustinus, ne matri adhuc viventi collatio in commune bonorum ejus displiceret. Postea Eraclio adulto, ac jam diacono, illius pecunia in sacris ædibus fuit expensa, ac tum demum manumissi aliqui illius servuli, qui in monasterio vivebant. Hinc vero infertur eumdem Eraclium non tam virtutum splendore, quam generis conditione fuisse distinctum. Illum quidem singulari benevolentia Augustinus amplectebatur; voluitque ut ad presbyteratum promotus se præsente sacras conciones haberet: quem honorem primus omnium in Africa Sanctus Valerius contulerat ipsimet Augustino; cum nunquam antea in Ecclesia Africana obtinuisset consuetudo, ut presbyteri coram episcopis conciones haberent, quemadmodum in Vita S. Patris cap. 5. narrat Possidius. Extat ad calcem sermonum Augustini sermo erutus ex Codice Ecclesiæ Bellovacensis per Gode-

fridum Hermant ejusdem Ecclesiæ Canonicum hac inscriptione : *Sermo S. Presbyteri Eraclii discipuli S. Augustini, ipso præsente habitus*. Facile illinc dignosci potest singularis Eraclii humilitas, atque erga Augustinum gratissimus animus, reverentia singularis, ac filialis amor, & caritas flagrantissima. Neque hunc tantum honorem Eraclio detulit Augustinus, ut se adstante concionaretur; verumetiam curavit, ut post obitum suum regeret Hipponensem Ecclesiam, se autem vivente designaretur Episcopus; non autem, quod in se factum contra Nicænum Canonem a sene Valerio vehementer dolebat, statim ordinaretur, secumque sederet. Designato autem Eraclio, qui S. Patri in Episcopatu succederet, (quod magna populi acclamatione factum est anno 426. die 26. Septembris) voluit Augustinus ut ad Eraclium perferretur quidquid antea ad seipsum perferebatur, sicut legimus in Ecclesiasticis Gestis ejusdem designationis, sive in Augustiniana epistola 213. alias 110. num. 6. Ex eadem professo designatione deprehenditur, quanta Eraclius prudentia, doctrina, ac sanctitate præstaret, utpote qui a tanto viro, qualis erat Augustinus, ceteris filiis ac discipulis suis in ea occasione sit præpositus. Hæc de Eraclio: cujus rude hoc elogium anno 430. alligandum existimavi, quoniam eodem anno decessit Sanctissimus Augustinus, eique Eraclius in episcopatu, ut designatum fuerat, successit.

DE ANONYMO

DE Evodio paulo supra pertractans mentionem feci auctoris *anonymi*, a quo scripti fuerunt libri duo de miraculis intercessione sancti Stephani Protomartyris in civitate Uzalensi patratis. Etsi eumdem anonymum nostratium nemo inter Sriptores Afros, qui monasticam vitam ibidem ab Augustino institutam professi sunt, quod noverim, recensuerit; puto tamen non procul a veritate recessurum qui dixerit, revera Scriptorem illum idem institutum servasse. Neque enim inverisimile est Evodium alicui monachorum, quorum & ipse vivendi rationem sectabatur, munus illud conscribendi miracula gloriosissimi Protomartyris demandasse; sed magna id probabilitate affirmatur. Nam intio libri primi ait auctor a se opus illud fuisse susceptum administrante Pontificatum in Ecclesia Uzalis Evodio Sacerdote dignissimo, *Aurelio tunc temporis Augustino apud Hipponem dominicæ sationis dispensatore constituto*. Cur autem eo in Opere Augustini nomen apponatur, cum illi nec Uzalensis Ecclesia subjiceretur, nec de illo in iisdem libris agatur, profecto non video; si id in causa non fuit, quod filius ac discipulus sanctissimi ac celeberrimi monachorum Patris, & præceptoris sui meminisse in Opere, tametsi disparato, congruum existimaverit. Ad Monachos præterea reliquias beati Stephani missas ex partibus Orientis, & Monachos de iisdem Reliquiis ad populum sermones fecisse, idem auctor anonymus scribit capite primo libri primi. Videtur insuper idemmet Scriptor se monachum declarare scribens in fine Operis, Florentium quemdam dispensatorem pecuniæ publicæ in civitate Carthaginensi venisse Uzalim, ingressumque in monasteria narrasse Episcopo, ibique degentibus servis Dei insigne miraculum, in suamet persona patratum S. Stephani invocatione: quo miraculo audito iidem Dei servi, seu monachi, inter quos auctor usus pronomine plurali personæ primæ, connumerat semetipsum, gratias, una cum Episcopo, Deo reddiderunt: *Monasteria* (inquit) *ingressus venerabili Episcopo, simulque servorum Dei ad se concurrenti choro, omnia*

hæc

hæc enarravit. Et nos quoque ſecum per multam gratiarum actionem, in laudes Dei, & coronæ martyrum Stephani alacriter excitavit, ac ferventiſſime accendit. Ex quibus verbis non obſcure colligitur Evodium poſtquam ad Uzalenſem Eccleſiam deſtinatus fuit, imitando Auguſtinum, priſtinum vitæ genus retinuiſſe, in monachorum monaſteriis ut plurimum habitaſſe, atque unum ex ſervis Dei eo loci degentibus fuiſſe Scriptorem anonymum duorum librorum *De miraculis S. Stephani*; qui duo libri Auguſtiniano Operi *de Civitate Dei* ſubjiciuntur; atque de hoc auctore anonymo, qui proculdubio vixit Evodii temporibus, hæc dumtaxat.

Sunt alii, qui in hoc additamento locum ſibi videntur vindicare, ut Eulogius, Alipius, Severus Milevitanus, Sebaſtianus Monachus, Peregrinus Epiſcopus, Fortunatus Cirtenſis, Bonifacius, ac præſertim Poſſidius, & Proſper Aquitanus. At de Poſſidio plura in hoc ipſo Opere ſcripta ſunt; de Proſpero autem tum in diſſertationibus Hiſtoricis, tum in libro Theologicarum decimoquinto. Ceteri autem non ſinunt, ut poſtquam Appendix ſatis excrevit, ulterius progrediatur, & quaſi nitatur ad præcipui Operis accedere magnitudinem.

FINIS.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella Inquiſitor Generale del Santo Uffizio di Venezia* nel Libro intitolato *De rebus geſtis S. Auguſtini Auctore P. Joanne Laurentio Berti cum Lucubratione Hiſtorica de S. Monica, aliiſque &c.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Baſſaneſe Stampator di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Novembre 1755.

(Alviſe Mocenigo 2°. Ref.

(

(Barbon Moroſini Kav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 22. al Num. 175.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 24. Novembre 1755.

Regiſtrato nel Mag. Eccellent. della Beſtemmia.

Dioniſio Querini Nod.

Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Berti, Giovanni Lorenzo,

De Rebus Gestis S. Augustini Latinorum Patrum nobilissimi, Librisque Ab Eodem Conscriptis Commentarius editus ab humillimo ejus filio F. Joanne Laurentio Berti

Venetiis 1756

4 V.ss. 65
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10692750-3